1581

BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
14
20 L
31

A Albr[illegible]
B. Fil.

Ex bibliotheca Hermanni Mordemij
Agrippinatis.

Ex vita Sculteti, p. 16, 17.

Anglus, Belga, Scotus, rapidi pius accola Rheni,
Sarmata cum Gallo, fortis et Helvetius,
Omnes haeretici: Gentes damnare tot audent
Vix ſex, aut ſeptem Miſnica mancipia.
Quae cauſa? ore negant Christi nos ſumere corpus,
Percipit arcana quod ratione fides.
O ſanctum errorem! quo ſi quis forte tenetur,
Ut pereat mundo, non perit ille Deo.
Simo Stenius, Lomacenſis.

De Schmidlino.

Aut mens Vulcanum, aut forceps indocta ſefellit,
Eiſenhut voluit cudere, cudit ἔσω.
Joh. Major. saxo.

XXVIII. 3. 11

7. Heideni consideratio [illegible]

pag. 44

DE LIBRO CONCORDIAE

quem vocant,

A quibuſdam Theologis, nomine quorundam Ordinum Auguſtanæ Confeſſionis, edito,

ADMONITIO *Chriſtiana:*

Scripta à Theologis et Miniſtris Eccleſiarum in ditione Illuſtriſsimi Principis IOHANNIS CASIMIRI *Palatini ad Rhenum Bauariæ Ducis, &c.*

1. COR. 3.

Cuiuſque opus manifeſtum fiet: dies enim declarabit.



BIBLIOTECA NAZ.
ROMA
VITTORIO EMANUELE

NEVSTADII IN PALATINATV,
Excudebat Matthæus Harniſch.

cIↃ. IↃ. LXXXI.

CAPITA PRAECIPVA HVIVS ADMONITIONIS.

Prooemium.
De Perſona Chriſti, veræ doctrinæ repetitio. Cap. I.
De Cœna Domini, veræ doctrinæ repetitio. Cap. II.
Dilutio accuſationis falſæ noſtrarum Eccleſiarum de quibuſdam falſis dogmatibus. Cap. III.
De autoritate Confeſsionis Auguſtanæ. Cap. IIII.
De vera ſententia Confeſsionis Auguſtanæ. Cap. V.
De autoritate D. Lutheri. Cap. VI.
De iniuſta condemnatione noſtræ doctrinæ in libro Concordiæ. Cap. VII.
Monſtratio falſarum aſſertionum in libro Concordiæ. Cap. VIII.
Monſtratio Antilogiarum libri Concordiæ. Cap. IX.
De proceſſu Theologorum in Concordiæ negotio, & de Magiſtratus Chriſtiani officio in controuerſiis Eccleſiaſticis. Cap. X.
De incommodis exſequutionis huius Concordiæ. Cap. XI.
Epilogus de vera Chriſtianæ Concordiæ in Eccleſiis conſtituendæ ratione. Cap. XII.

DE LIBRO CONCORDIAE quem vocant, ADMONITIO CHRISTIANA.

PROOEMIVM.

QVEMADMODVM *nihil eſt neq; iucundius, neq;
pulcrius, neq; ſalutare magis vitæ hominum, conſen-
ſu bonorum de vero Deo, & vero eius cultu, & ſynce-
ra ipſorum concordia & dilectione mutua, teſtante
Dauide in Pſalmo, vbi cõfert hanc membrorũ Eccle* Pſal.133.
*ſiæ coniunctionem fragrantiſſimo balſamo, quo vngebatur ſum-
mus Sacerdos, & rori, fertiliſſimum ſolum Carmeli & regionis
circumiacentis, fœcundanti: & ipſo Chriſto Domino, vbi in ſolen-* Ioh.17.
*ni illa & ardentiſſima ante agonem extremum precatione, qua ſa-
lutem Eccleſiæ commendat Patri, hoc inter præcipua bona petit,
vt omnes ſibi dati à Patre ſint vnum in Deo: Sic nihil eſt neq; tri-
ſtius, neq; deformius, neq; pernicioſius generi humano, diſſenſio-
nibus & pugnis de religione. Expertus eſt omnibus temporibus
inde ab initio, & nunc experitur mundus, nullam eſſe veram, fir-
mam & ſalutarem coniunctionem hominum, niſi in Deo ſint con-
iuncti. Ex hac enim, de re omnium maxima, diſſenſione, odia &
bella aſperrima, perſequutiones & diſſipationes triſtiſſimæ pro-
manarunt, ex quibus deinde nullum non malorum genus, tan-
quam ex Pandoræ pixide, prouolauit, & miſeros homines, præſer-
tim verò Eccleſiam Dei, horribilium ſubinde tempeſtatum flucti-
bus inuoluit atque oppreſſit. Hæc autem lugubria & cruenta cer-
tamina, dum noſtra præſertim ætate, intuentur homines, variè
afficiuntur. Multi palàm prophani & Epicurei, ridentes o-
mnem religionem, & habentes pro fabula, conficta à verſutiori-
bus, ad continendum in metu & obedientia imperitiores, ſtolidos*

eſſe iudicant eos, qui pro religione tantos conatus ſuſcipiunt, aut tanta mala patiuntur. Alij prætextum ſuæ impietatis inde arripiunt, quaſi in tanta varietate, & tam acri defenſione pugnantium opinionum, non poßint inuenire, quid ſequendum ſit. Alij fingunt, ſe credendo quod volunt, corám Deo defungi poſſe, etiamſi dicta & facta ſua omnium, quibus cum verſantur, obſequiis accommodent. Alij prædicantes tranquillitatem, concordiam, felicitatem & optabilem ſtatum ſuperioris ætatis, quæ vigebat & regnabat in toto orbe Chriſtiano, Papatus, & conquerentes de noſtri temporis infelicitate, diſtractionibus, turbis, odiis, perſequutionibus, inſidiis, condemnationibus, proſcriptionibus, direptionibus, cædibus, ſuppliciis, & vndique circunſtantibus rerum & vitæ periculis ac detrimentis, vel contrahunt odiū veræ religionis, cauſſam horum ingentium malorum imputantes doctrinæ Euangelij, & partim ob ſtatus publici ruinas, partim ob ſuarum voluptatum, opum & commodorum amißionem frementes, vel qui coërcentur quidem aliquo pietatis fræno, nec tamen ſatis de cœleſti doctrina confirmati ſunt, mirantur, ſi hæc doctrina ſit vera & diuinitus profecta, cur igitur eius prædicationem & publicationem tanta moles malorum conſequatur, & omnia in deterius ruant, quæ religionis emendatione meliora futura videbantur. Hæc ſunt mundi & carnis iudicia, quibus non aliquando commoueri non eſt omnium.

Qui verò in Schola Chriſti rectiùs inſtituti, & ſenſu veræ pietatis & gratiæ diuinæ imbuti ſunt, longè aliter iudicant de his ſpectaculis, & illa tentationum tela facilè repellunt.

Atheis enim & deriſoribus tolerantiæ & conſtantiæ Chriſtianæ, opponunt patefactiones & teſtimonia diuina, illuſtria & minimè ambigua, & experientia ſua & aliorum confirmata: Academicæ autem ἐποχῆς *hypocriſin refutant perſpicuitate fundamenti religionis Chriſtianæ, in ſcriptura ſacra traditi, & Symbolis ac Decalogo comprehenſi; promißionibus item diuinis, quæ*

teſtan-

teſtantur certò eſſe docendos à Deo, quicunq; ſeriò ſe doceri ab ipſo petunt, ſaturandos quicunq; eſuriunt & ſitiunt iuſtitiam, dandum à Patre Spiritum ſanctum omnibus petentibus: dandam eſſe ſapientiam cœleſtem poſtulantibus eam à Deo cum fide: ſuæ deniq; conſcientiæ teſtimonio, in qua viuam & ſolidam conſolationem in Deo acquieſcentem, per vocem Euangelij accenſam ſentiunt: Itaque vocem paſtoris ſui Chriſti agnoſcunt, audiunt & eum ſequuntur, alienos autem refugiunt; non enim rapi poſſunt ex manu illius: Contra pudorem & fugam crucis Chriſti, muniunt pios mãdata Domini de confeſſione non detrectanda; Qui Matth. 10. 32. *me confeſſus fuerit, ait Dominus, eum cõfitebor, & qui negauerit me coram hominibus, eum negabo coram Patre meo cœleſti: & natura veræ fidei, quæ non aliud in corde fouet, aliud ſermone & geſtu oſtẽdit, nec ſui diſſimulationem patitur: Corde enim credi-* Rom. 10. 10. *tur ad iuſtitiam, ſed ore fit cõfeſſio ad ſalutem: Ideoq; nequaquam aſſentiuntur reſpectantibus ad ollas Aegyptias, & præferentibus ſecuritatem regni Pontificij periculis Euangelij; præſertim cùm illæ laudationes priſtinæ felicitatis ſint hominum imperitorum ſermones, qui de mundi & Eccleſiæ rebus nihil ſciunt, niſi quod audiuerunt à ſuis maioribus. Nam ſi quis inſpiciat ſuperiorum temporum hiſtorias, deprehendet neque illa caruiſſe multis magnis calamitatibus. Frequentiſſimis & grauiſſimis bellis, reges & principes commiſerunt & implicarũt furiæ Romanenſes: nec defuerunt monachorum & Sophiſtarum de Religione contentiones* Legatur hiſtoria Fridericorũ I. & II. Hẽrici IIII. & aliorũ. *& pugnæ: ac ſubinde grauibus pœnis Idolomaniam & alia peccata Deus vindicauit, vtq; vno verbo rem dicamus, Mundus non primùm ante annos quinquaginta cœpit eſſe mundus. Sed demus ſanè illis, nunc magis ſæuire diabolum, & plures ac maiores turbas concitare; non tamen aut illi quod volunt obtinent, aut ea re abſterrentur vel abſterreri debent fideles ab amplexu & profeſſione Euangelij. Intelligunt enim illos in maximo errore verſari, & erga Deum eſſe horribiliter ingratos, qui propter*

terrena quædam & temporaria, quæ ipſi amplificant, commoda, putant miſerabilem illam ætatem, qua Romanus Antichriſtus, denſiſſimis ignorantiæ tenebris, impiis doctrinæ & diſciplinæ Eccleſiaſticæ corruptelis, idolis, blaſphemiis, & tyrannide ſua omnia obruerat & fœdauerat, & mundum in cæcitate omniq́ peccatorum genere ſepeliuerat, feliciorem fuiſſe his noſtris temporibus, quibus ex immenſa miſericordia, rurſus accenſa, & longè lateq́ fulgente Euangelij luce, Deus nobis ex tetra carnificina, & plus quàm Babylonica captiuitate ereptis, veram conſcientiarum libertatem & pacem reſtituit, & inſtaurauit in multis gentibus ſuam Eccleſiam, à qua rectè agnoſcitur & inuocatur in Chriſto, & publica voce vera ad ſalutem æternam via, omnibus eam cognoſcere cupientibus monſtratur.

Hæc Dei beneficia, quantumuis magnis & multis cum periculis & calamitatibus coniuncta, longiſſimè anteponenda ſunt etiam altiſſimæ paci, & omnibus felicitatibus huius mundi, cum Dei & veræ ſalutis ignorantia coniunctis.

Hæc ergo qui conſiderant, neq́ iraſcuntur Euangelio, neq́ ad dubitandum de veritate illius ſolicitantur, cùm perſequutionem illius gratia patiuntur. Sciunt enim inde ab initio ſimilem fuiſſe fortunam Eccleſiæ & veritatis cœleſtis in mundo, ſemper à tyrannis & profeſſis hoſtibus, ſemper à falſis fratribus, ſemper à doctrinæ deprauatoribus & ſchiſmatum auctoribus, aut oppugnationes aut pericula ſuſtinuiſſe: & ſi quando breues habuit inducias, ſubinde nouos inſultus expertā eſſe, eosq́ ſæpenumerò ſæuiores atque atrociores præſentibus. Sciunt ſimilia ſibi expectanda eſſe vſque ad mundi finem, ex multiplici & ſeria prædictione Domini & Apoſtolorum eius, & quidem fore, vt mala ſub finem ingraueſcant. Non veni miſſurus pacem, ſed gladium, inquit Dominus: Et Apoſtolus: Spiritus diſertè dicit fore, vt poſterioribus temporibus deſciſcant quidam à fide, ſpiritibus deceptoribus attendentes, & doctrinis dæmoniorum, & fore tēpora grauia in

Vide Socratem li. 2. cap. 30. de tyrannide Macedonii.

Matth. 10. 34.

1. Tim. 4. 1

extremis

extrêmis diebus. Sed prætereà conſtat etiam nobis de cauſſis horum malorum, quas qui non conſiderant, non poſſunt non vehementer perturbari iſtorum conſpectu, & in varios errores præcipitari. Etſi enim Euangelium eſt doctrina & fons omnis veræ pacis, efficiens vt lupus commoretur cum agno, neque noceatur, neque inferatur iniuria in vniuerſo monte ſancto Domini, vt eſt apud Prophetam: Notum tamen eſt immane nobis odium Prin- Ieſai: 11. 6.
cipis tenebrarum & huius mundi Diaboli aduerſus Chriſtum & & ca. 65. 25.
eius membra; nota potentia & aſtutia eius in oppugnanda foris & intus Eccleſia. Non eſt ergò, quòd miremur, vbi regnũ ſuum inter homines erroribus & idolis faſcinatos, ſecurè & ſine aduerſariis poßidet, eum momentanea quadam pacis mundanæ ſpecie ipſos ineſcare, & in obſequio retinere; cùm primùm autẽ videt, ex ortu lucis Euangelicæ, tenebras ſuas in mentibus hominum diſcuti, fraudes aperiri, regnum ſuum oppugnari & deſtrui, ira & furore percitum ad arma currere & conclamare, omnemq́ue vim & omnia tela ſua expedire, vt veritatis radios excludat atque opprimat. Nota eſt nobis etiam Dei ſapientiſsima prouidẽtia & iuſtitia, qui ſinit ad tempus hoſtes ſuos hæreticos & tyrannos contra ſe furere, partim vt Eccleſiam ſuam exerceat, caſtiget, expurget, mirabiliter & glorioſè tueatur ac liberet, partim vt mundi contemnentis oblatam in Euangelio ſalutẽ, puniat ingratitudinem. Oportet enim ſcandala venire, & hæreſes eſſe, vt 1. Cor. 11.
qui probati ſunt, manifeſti fiant. Ideoq́ue egrediuntur ex nobis, qui 19.
ex nobis non fuerunt, vt pateſiat non omnes eſſe ex nobis: Et pro- 1. Ioh. 2. 19.
pterea illis qui amorem veritatis non receperunt, vt ſalui fierent, 2. Theſſ. 2.
mittit Deus efficaciã deceptionis, vt credant mẽdacio, & dãnen- 11. 12.
tur. Denique certò etiam cognita eſt nobis merces illa copioſa, & Matth. 5. 12.
corona gloriæ immarceſcibilis, quæ repoſita eſt nobis in cælo, fide- 1. Theſſ. 2.
liter & fortiter in hoc ſeculo malo ſub ſignis Chriſti militantibus. 19.

Hac armatura muniti & confirmati, quotquot in Chriſtũ credunt, nõ elangueſcũt, neq́ue frangũtur, ſed quãtò magis odioſam eſſe

vident mundo & diabolo doctrinam Euangelij, tantò magis eam ipſi amant, & quantò magis illi conantur eam opprimere, delere, ac ſcandalis deformare, tantò magis obſiſtunt eorum conatibus, non tantùm patientia, conſtantia & neceſſaria confeſſione, ſed etiam ſtudio minuendi mala publica ſibi & aliis, tollendi ſcandala, colendæ pacis, quantum in ipſis eſt, cum omnibus, monſtrandi & remouendi veras malorum cauſſas, abſtergendi calumnias, quibus ad conflandum ipſi odium, veritas ab aduerſariis deformatur, ſanandi vulnera, & ſarciendi ac tuendi concordiam &
Matth.5.9. *vnitatem Eccleſiæ in Deo, ſicut dictum eſt: Beati pacifici, quia filij Dei vocabuntur. Neceſſitatem huius ſtudij imponit nobis & mandatum Dei, & totius Eccleſiæ ac ſingulorum fidelium ſalus. Cùm enim veritas vna ſit, falſum verò multiplex, & animorum diſiunctio facilè pariat ſententiarum pugnas, non poteſt ſine concordia diu retineri doctrinæ puritas.*

Quapropter & nos Deo agimus gratias, quòd in aliquorum Chriſtianorum Principum & Magiſtratuum animis excitat ſtudium conſeruandæ in Eccleſiis Euangelium Chriſti profitentibus, concordiæ, & tollendi ſchiſmata & contentiones, quibus conatur diabolus impedire curſum Euangelij, & Eccleſias mutuis vulneribus confectas, ludibriis & libidini hoſtium obiicere: atq; hunc Illuſtriſ. Principum & aliorum bonorum ac piorum virorum conatum, in prima & immortali ipſorum laude ponendum eſſe nō dubitamus, eumq; votis & operis omnium coniunctis adiutum & promotum feliciter, ad Dei gloriam & Eccleſiæ ſalutem, totis pectoribus optamus. Teſtis eſt Deus, teſtis noſtra conſcientia, teſtes omnes boni & prudentes, qui non credent, nos gaudere diſcordiis redundantibus in noſtra capita, nos hæc ex intimo animorum ſenſu dicere.

Non autem ignoramus, multos fore, qui hæc legentes vel audientes, illicò ſunt nobis dicturi; Si tanto pacis & concordiæ deſiderio tenemini, Cur ergò non deſinitis docendo & ſcribendo de

veſtris ſententiis contendere & aliis contradicere, ignem gladio fodientes, & oleum addentes camino?

At noſtro iudicio aduerſarij potiùs interrogandi erant, cur ipſi non deſinant quotidie noſtros tot virulentis libris laceſſere, hæreſeos condemnare, plauſtris conuitiorum conſpuere: Hic illis continuò eſt parata reſponſio, quia ſpeculatores, cuſtodes & paſtores à Deo conſtituti ſint Eccleſiæ; itaq; hoſte & lupo aduentante ſibi vocem ſuam inſtar tubæ eleuandi, ore aperto latrandi, & ouibus cauendi neceſſitatem ſummam incumbere, niſi pœnas ſilentij Deo grauiſſimas velint luere. Hæc porrò illi dictitantes pro nobis iam reſponderunt. Etenim ſi cauſſam aduerſus nos iuſtam tuerentur, qui nos accuſant hæreſeos, non ſanè poſſet ab illis iuſtum poſtulari ſilentium. Cùm verò teſtetur verbum Dei, teſtetur confeſſio & conſcientia noſtra, non tam nobis, quàm veritati & Eccleſiæ Chriſti atrocem ab illis iniuriam fieri, quis non videt ipſorum teſtimonio, culpam turbarum & contentionum à nobis in ipſos transferri? Tempus eſt neceſſariæ & à Deo mandatæ confeſſionis, cùm verbum Domini blaſphematur, veritas traducitur nomine mendacij, membra Chriſti propter acceptam ab ipſo doctrinam, eiiciuntur ex Eccleſiis, ſuppliciis, ignibus & gladiis hoſtium obiiciuntur. Conuitia & iniurias omnes libēter taciti condonaremus paci Eccleſiæ, & illis, qui ſine cauſſa nos oderunt, orantes pro ipſis Dominum, vt mentem eis det meliorem: Sed vbi de gloria Chriſti & de conſcientiis agitur, non eſt liberum tacere ſcientibus veritatem. Tacebat Chriſtus ad alia crimina falsò obiecta: Sed cùm dogmatum falſorum accuſabatur, edebat liberam confeſſionem coram Pilato & omnibus aduerſariis. Cùm Apoſtoli eſſent iuſsi tacere doctrinam Act. 4. 20. *de Chriſto, reſpondebant ſe non poſſe ea non loqui, quæ viderant & audiuerant. Præſertim autem docentibus à Deo eſt iniunctū, vt refutent falſa dogmata & idola, & quos decipi ac ſeduci vident ab errorum defenſoribus moneant, infirmos autem &*

hæſitantes erudiant & corroborent. Tales Apoſtolus doctores
Tit. 1. 9. 10. 11. *Eccleſiæ requirit, qui non tantùm poſſint exhortari per doctrinam ſanam, ſed etiam cōtradicentes conuincere: quia refractariis, & vaniloquis & mentium deceptoribus oporteat os obturari, ne totas domos, nedum totas gentes, ſubuertant, docentes quæ non oportet turpis lucri gratia.*

Poſtulat ergo & ſalus Eccleſiæ falſorum dogmatum & falſarum accuſationū refutationes ſolidas quidem, & ex verbo Dei ſumtas, ſed tamen limites modeſtiæ & dilectionis Chriſtianæ nō egredientes. Nouas ſubinde & verſutas corruptelas excogitat & ſpargit, noua & ingentia crimina impingit Eccleſiæ & Euangelio Satan: Quid ni vicerit, ſi nemo quicquam horum refellat? Quid ergo tale ſilentium fuerit, niſi manifeſta præuaricatio in cauſſa Chriſti? Nunquid hoc ſatis docuit Pontificia tyrannis? Dum ſine hæreſeos crimine licebat diſſentire à Romano Epiſcopo, manebat aliqua doctrinæ puritas & Eccleſiæ libertas: Poſtquam verò prodiiſſet iſte Oecumenicus Epiſcopus, contra quē nemo auderet mutire, niſi qui oleret rogum, facilè nimirum erat
2 Theſſ. 2. 4. *ſeſe opponere & efferre aduerſus omne quod dicitur* DEVS *aut numen, & in templo Dei tanquam Deum conſidere, ac ſe pro Deo venditare. Iccircò præclarè & cordatè dictum eſt à Cypriano:*
Epi. 3. li 1. Si ita res eſt, vt nequiſſimorum timeatur audacia, & quod mali iure & æquitate non poſſunt, temeritate ac deſperatione perficiant; actum eſt de Epiſcopatus vigore, & de Eccleſiæ gubernandæ ſublimi poteſtate, nec Chriſtiani vltrà aut eſſe aut durare poſſumus. *Hæc ille.*

Et res ipſa oſtendit, diſſimulationem nō eſſe viam ad concordiam & ſanationem Eccleſiarum & conſcientiarum idoneam, ſed neceſſariam eſſe cauſſarum morbi & ſalubrium remediorum monſtrationem. Quòd ſi autem aduerſarij veritatis pertinaciter ſua placita defendere, rixando & conuitiando non deſinant: iam nō defenſores ſed oppugnatores veræ doctrinæ, cauſſam turbationum

bationum præbere, omnibus piis & ſanis manifeſtum erit, nobisq́; ſufficere Dauidis querelam & excuſationem: Ego pacificus, ſed quum loquor, illi belligerantur. Pſa.120.7.

Hæ igitur ſunt cauſſæ, quæ nobis ſilentium excutiunt, & gemitus noſtros extorquent. Quantum enim lætitiæ nobis afferre poterat & debebat virorum Principum & aliorum gubernatorum optima Eccleſias pacandi voluntas: tantum nobis doloris & mœſtitiæ affert quorundam Theologorum importunitas, qui bonorum credulitate abutentes, ſanctum illorum & laudabile propoſitum ad finem longè alium atque illi cogitant, hoc eſt, ad ſtabiliendam ſuam in Eccleſia exiſtimationem & dominationem Pontificiam, detorquent, perſuadentes eis vafris ſermonibus, hanc eſſe viam ad Eccleſiarum concordiam, ſi ipſorum placitis ſubſcribant Principes & ſubditi, & ab his diſſentientes, tanquam hæreticos & catharmata cõdemnent, proſcribant & perſequantur; atque ita ſub ſancto & plauſibili nomine Concordiæ, ſyncretiſmos in ſua officina fabricatos, mundo conantur obtrudere, quibus Eccleſiæ magis dilacerantur, conſcientiæ magis perturbantur, veritas obſcuratur, & hoſtium ſæuitia acuitur & cõfirmatur. Hoc malum qui animaduertunt, illos Deo, Eccleſiæ, iis qui à Sophiſtis decipiuntur, poſteritati & ſibi ipſis debere non dubitamus hoc officium, ne ſilentes ac diſſimulantes cõniueant, ſed admoneant illos, qui in fraudem illiciuntur, ne dum ſeruire Deo & conſulere Eccleſiæ volunt, idq́; ſe facere exiſtimant, illum offendant, hanc lædant grauiſſimè. Hoc igitur dum ex officio noſtro agimus, nequaquã ſumus hoſtes & turbatores pacis, ſed eam ardentiſſimis votis à Deo petentes, talem conſtitui cupimus, quæ ſit pia & ſalutaris Eccleſiæ, non autem, quæ ſub titulo pacis & Concordiæ homines à Deo, Eccleſias autem & membra Chriſti inter ſe longiùs diſiungat, eisq́; perſequutiones & ærumnas augeat, flammis diſſidiorum maioribus, quàm hactenus fuerunt, accenſis,

Oramus itaq. & obſecramus, omni qua decet cum ſubiectione, reuerentia & manſuetudine, Illuſtriſſimos Principes, Generoſos Comites, ſpectabiles, clariſſimos & reuerendos viros, in Germania Rerumpublicarum, Eccleſiarum & Scholarum gubernatores, miniſtros, omnesq. illarum ciues & membra, Dominos clementiſſimos & colendos, & fratres obſeruandos, vt ea quæ hoc ſcripto moniturí ſumus, ſepoſitis affectibus & præiudiciis benignè & candidè cognoſcant & conſiderent, ac ſi quid in iis rectè dictum perſpexerint, id non temerè abiiciant, ſi quid ſecus, id pro non dicto habeant, nobis gratum etiam facturi, ſi meliora monſtrauerint. Teſtis eſt Deus, à nobis aliud non ſpectari, niſi gloriam Chriſti, ſalutem Eccleſiarum, honorem & felicitatem ipſorum & neceſſitatem noſtram ac plurimorum piorum in Germania & alibi, ne afflictis addatur afflictio, innocentes condemnentur & opprimantur, ipſorum & noſtro periculo ac malo, prætextu & abuſu nominis ipſorum, inſtinctu vnius aut paucorũ Theologorum & ſpecie Concordiæ, quam Eccleſiarum maior & pernicioſior diſcordia conſequatur. Hæc minimè leuia eſſe, omnes ſani fatentur. Et prudentum eſt, in rebus magnis, non modò periculum, ſed etiam famam & ſuſpicionem periculi non contemnere.

De

De perſona Chriſti, veræ doctrinæ repetitio.

CAP. I.

NIMIS *notum eſt omnibus, quantum malorum traxerit, & quàm duriter exercuerit Chriſti Eccleſiam, infauſtum illud, & nullis lacrymis ſatis deploratum certamen de ſacra Cœna Chriſti Domini, ſtatim ab initio repurgationis doctrinæ & Eccleſiarum exortum. Suſpirarunt iamdudum anxiè omnes pij & cordati, vt placida & legitima aliqua doctorum & bonorum virorum collatione, cognitione & diiudicatione, cauſſa hæc explicaretur, & lis dirimeretur, ac tandem animo & ore vno Chriſtum prædicare & inuocare poſſent Eccleſiæ à tyrannide Pontificum liberatæ. Quoniam verò, partim Dei caſtigantis & exercentis ſuam Eccleſiam permiſſu & iuſto indicio, partim aſtu Satanæ, cupientis omnibus modis impeditam Euangelij propagationem & Eccleſiæ incrementum, huic voto hactenus non reſpondit euentus: hoc ſaltem ſperatum eſt, fore, vt hoc incendium, quod explicatione ſententiarum obſcuriore, & vel affectu vel errore deprauata, & ſiniſtrè accepta (id quod in controuerſiis magnis, & diuturna caligine inuolutis, etiam doctis & piis non rarò, præſertim ſub illarum initia ſolet accidere) & ingeniorum atque concertationis vehementia exarſerat: rurſus tam longa, exquiſita, & acri diſceptatione, omniumq́ ex verbo Dei, & ex tota antiquitate Eccleſiæ, ad cauſſam hanc vllo modo pertinentium, conquiſitione, deniq; tam diligenti, accurata, copioſa, perſpicua, toties à tam multis & præſtantibus doctrina ac pietate viris, repetita & inculcata rei declaratione, tum etiam tolerantia & lenitate, meditatione & collatione ſententiarum Chriſtiana & fraterna, tandem ſua ſponte deflagraret; aut ſi non prorſus extingueretur, tamen vires ad Eccleſias ſchiſmate diſiungendas paulatim amitteret.*

Neq; ſanè defuiſſent ad hanc ſpem augendam coniecturæ, niſi

quidam Theologi, ad hominum magis, quàm ad Dei verba attenti, & nimis indignum exiſtimatione ſua arbitrantes, videri aliquid minùs rectè intellexiſſe, ſenſiſſe aut dixiſſe, & ſucceſſu temporis aliquid in rerum diuinarum cognitione profeciſſe, à ſe & ſuis magiſtris ſemel prolata mordicùs tueri, quàm veritati cedere, & Eccleſiarum atq; conſcientiarum paci conſulere maluiſſent.

Horum ergo aliqui, primùm redintegrato certamine rem experti ſunt; alij verò cùm diſputando cauſſam ſe tenere non poſſe viderent, aliam viam ingreſſi ſunt. Studuerunt iſti perſuadere omnibus, & perſuaſerunt quibuſdam in Germania Ordinibus, Confeſſionis Auguſtanæ ſociis, vt librum à quinque aut ſex Theologis conſcriptum, ſua auctoritate munitum, titulo Concordiæ illorum Ordinum publicarent. Liber Concordiæ. *In eo libro repetiuerunt opinionum quarundam falſarum & obſoletarum refutationes & condemnationes, quarum pleræq; partim ſolidis aliorum refutationibus, partim ſua abſurditate conciderunt, & ferè hac ætate, qua ſunt exortæ, etiam mortuæ cum ſuis auctoribus ſunt, atque ſepultæ: ſed conſilium & ſcopum eorum hunc fuiſſe, res ipſa loquitur, & ipſi non diffitentur, vt in illarum opinionum cumulum coniectam veram de Chriſti Domini noſtri perſona & myſtica Cœna doctrinam, quam aliæ Eccleſiæ profitentur, ſimul cum illis condemnarent, & ex Eccleſia eiicerent. Et quia omni idoneorum argumentorum robore deſtituti, atque iis etiam, quibus cauſſam ſuam populo venditabant, coloribus exuti, ad confictam nuper corporis Chriſti* VBIQVITATEM *ſeu omnipræſentiam confugerunt, vt quia vbique ſit, etiam in pane Euchariſtico illud eſſe obtinerent; veterem errorem nouo atq; antehac in Eccleſia Chriſtiana, tam ante quàm poſt natum Papatum, inaudito cumularunt: eumq; in hoc libro, oppreſſa irrefutabili veritate per magiſtratuum auctoritatem & poteſtatem Politicam, & ſuffragatorum multitudinē, Eccleſiæ obtrudere ſunt conati. Quod vt perficiant, hunc librum volunt haberi ab omnibus pro Regula &*

norma diſcernendi veram doctrinam Religionis à falſa, Orthodoxos ab hæreticis, & pro vltima Auguſtanæ confeßionis declaratione, cui nihil deinceps addi poßit aut debeat à quoquam, & à qua nemini liceat diſcedere: ſi quis autem diſſentiat, vel confeßionem Auguſtanam aliter intelligat, is tanquam hæreticus iam declaratus & ad carceres vel exilia condemnatus, ex Eccleſia & pace religionis excludatur atque proſcribatur.

Magnus ſanè & audax horum Theologorum conatus, partem Eccleſiarum Chriſti in Europa longè maximam, & homines pios per vniuerſam Germaniam plurimos, de ſuo iudicio anathemate ferientium. Cùm ergo de honore & veritate Chriſti, de pace & ſalute tot Eccleſiarum, deq; tot fidelium capitibus & fortunis agatur: Confidimus omnes prudentes & Deum timentes Principes & viros, ſiue qui approbarunt, ſiue qui repudiarũt librum illum Concordiæ, ne nunc quidem præcipitaturos iudicia, nec temerè molitionis huius Theologorum exequutores & miniſtros ſe præbituros, vbi tantæ multitudinis membrorũ Chriſti, partim ſanguine partim lacrymis madentium gemitus, aures eorum circunſonuerint: Et conſideraturos prius ſperamus eorum rationes, propter quas librum iſtum Theologorum verã doctrinam à falſa, Chriſtianos Orthodoxos ab hæreticis diſcernendi normam & regulam, non ſine maxima Eccleſiarum omnium iniuria & detrimento, conſtitui poſſe aſſeuerant.

Sunt quidem ad cauſſam hanc pertinentia, dicta, ſcripta, repetita ſæpe multumq; à multis; veruntamen, cùm res oſtendat, non omnes animaduertere, quantum illa obſtent Anathematiſmis libri Theologorum, quàm poſſumus pauciſsimis, hoc declaratu neceſſarium eſſe exiſtimamus.

Ac principio quidem apud omnes caret controuerſia, librũ eum, in quo hæreticæ impiæq; doctrinæ accuſantur & condemnantur illi, qui de omnibus Chriſtianæ religionis capitibus, nihil extra ſcripturam. Propheticam & Apoſtolicam, nihil Noſtra cõfeſſio.

extra ſymbola Chriſtianorum Catholica, nihil denique extra conſenſum apertiſsimum totius purioris Antiquitatis Eccleſiæ neque ſentiunt, neq́ profitentur, neq́ ſcribunt, neq́ loquuntur: normam docendi & iudicandi in Chriſti Eccleſia, conſtitui nequaquam oportere. Tales verò cùm ſint anathematiſmi iſtius libri, hanc ſolam cauſſam ad auctoritatem tanti iudicij illi abrogandam ſufficere arbitramur. Condemnantur autem in illis hæreſeos, quos illi vocant Sacramentarios, hoc eſt, qui de Cœna & perſona Chriſti ab ipſis diſſentiunt. Quódnam verò ob crimen? ob quem errorem? ob quam blaſphemiam? Quia carneam & oſſeam verè humani corporis Domini noſtri Ieſu Chriſti ſubſtantiam, in omnibus locis & creaturis exiſtere, in pane autem Cœnæ Dominicæ carnem, & in vino ſanguinem eius, piorum & impiorum ore comedi & bibi non credunt. Hoc eſt illud grande nefas & morte piandum, quod ſi non cõmitteremus, iam exemti eſſemus anathemati. Nam in aliis doctrinæ noſtræ partibus, quod cum colore aliquo reprehendant, ne ipſi quidem anathematiſtæ habent. Extant, & in luce ac manibus omnium non ſine fructu (Dei ſit gloria) verſantur multæ complectentes vniuerſam doctrinam Eccleſiæ confeſsiones & declarationes, breuiter & prolixè à noſtris perſcriptæ, neq́ hactenus vllius hæreſeos aut falſi dogmatis conuictæ; ex quibus notum eſt publicè, quid credamus & profiteamur, De vno æterno & vero Deo, & tribus in ipſo hypoſtaſibus; De mundi creatione, & eius per diuinam prouidentiam ſuſtentatione & gubernatione; De peccato per ſolam Diaboli & hominis liberam voluntatem iuſta Dei permiſsione, ingreſſo; De libero arbitrio ad ſpontaneam ſui perditionem ſufficiente, ad liberationem verò ex peccato & morte inutili; De Filio Dei mediatore, vero Deo veroq́ homine, & illius officio, regno & beneficiis; De diuina Lege & Euangelio, & de vtriuſque vera ac genuina ſentẽtia; De fide in Chriſtum; De conuerſione ad Deum; De gratia Dei & iuſtificatione peccatoris coram Deo gratuita,

per imputatam credentibus ſatisfactionem Chriſti; De vita hominis Chriſtiani; De vera Dei inuocatione & cultu; De gratuita electorum ſalute, & iuſta reproborum damnatione; De Eccleſia, eiusq; notis, auctoritate & ordine; De dignitate & vſu miniſterij verbi Diuini & Sacramentorum; De traditionibus humanis & libertate Chriſtiana; De Magiſtratu & ordine Politico; De afflictionibus & cruce; De reſurrectione carnis, iudicio extremo & vita æterna; & ſi quis alius eſt Chriſtianæ doctrinæ articulus. De his capitibus omnibus, notior eſt, & planiùs explicata Confeſſio noſtra, quàm vt hic repetitione eius non neceſſaria, lectores ſint onerandi: neq; de his, Dei beneficio, inter Eccleſias Euangelicas interceſſit aliqua lis aut diſſenſio. Quin etiam de pleriſq; articulis Libri Concordiæ ſatis inter nos conuenit, & eoſdem errores, quos illi condemnant, etiam nos toto pectore auerſamur. Agnoſcimus peccatum Originis eſſe non tantùm reatum, ſed etiam Peccatum Originis. *deprauationem naturæ humanæ hæreditariam, repugnantem legi diuinæ, & merentem pœnas æternas, etiamſi nulla acceſſerint peccata actualia, & ab hac prauitate naturam à Deo conditam, etiam poſt deprauationem diſcernimus. Eam verò corruptionem naturæ in omnibus hominibus tantam eſſe confitemur, vt niſi ex gratuita & ſingulari miſericordia ad agnitionē Dei veram perducantur, & Spiritu ſancto in filios Dei regenerentur, in æternum hoſtes Dei maneant: Credimus totam noſtram iuſtitiam,* Iuſtificatio. *qua peccatores in iudicio Dei cōſiſtimus, & Deo placemus, & hæredes æternæ ſalutis efficimur, eſſe nec fidei nec aliarum virtutū in nobis, dignitatem aut meritum, ſed ſolam obedientiam Chriſti vſque ad mortem crucis: eamq; imputari à Deo omnibus & ſolis fide vera ipſam accipiētibus; vtq; hæc obedientia Mediatoris poſ-* Mediator. *ſet eſſe* λύτρον *ſufficiens pro peccatis totius mundi, oportuiſſe æternum Dei Filium, vnita ſibi natura verè humana, ſimul eſſe verum Deum & verum hominem: Bona verò opera, quæ renati ſe-* Bona opera. *cundùm Legem faciunt, ex vera quidem fide, tanquam debitam*

Deo gratitudinē, & neceſſariū ac proprium fidei effectum, cōſequi aſſeueramus: Veruntamen ea neq; iuſtitiā, neq; partem vllam eſſe iuſtitiæ, neq; meriti rationē vllam habere coram Deo, ſed fructus potiùs eſſe iuſtitiæ, & partē gratuitæ erga nos Dei beneficentiæ, hāc ipſam cum Chriſto in vera ſanctitate nunc incoatam, deinceps verò perficiendam cum Chriſto capite noſtro conformationem:

Lex. *Fatemur etiam Legem Dei eſſe concionem diuini iudicij, quæ docet & requirit perfectam erga Deum obedientiam, & hanc præſtantibus vitam æternam promittit: vlla verò ex parte eam violantibus minatur æternas pœnas; ideoq; propter peccata noſtra ſine Euangelio nihil eſſe niſi miniſterium literæ mortiferum;*

Euangelium. *Euāgelium autem eſſe miniſterium Spiritus viuificantis, & concionem gratiæ, prolatam ex ſinu æterni patris per Filium Dei, quæ monſtrat peccatoribus modum recōciliationis cum Deo, iubet eos in Chriſtum credere & agere pœnitētiam, & hoc facientibus, etiamſi legem nondum impleant ſua ipſorum obedientia, promittit remiſſionem peccatorum & vitam æternam gratis dandam propter meritum Chriſti. Vrgemus & nos prædicationem Legis diuinæ, non tantùm apud prophanos & nondum conuerſos, vt a-*

Vſus legis. *gnitione iræ Dei aduerſus ſe perterrefacti, præparentur ad cōcionem gratiæ; ſed etiam apud iam cōuerſos, vt in illis etiam creſcat agnitio peccatorum, & deſiderium ac ſtudium veræ erga Deum*

Beneficia Chriſti. *pietatis & obedientiæ: Confitemur quoque Chriſtum & merito ſuo, ac dolorum terrorumq; infernalium pro nobis perpeſſione, & ſua diuina potentia atq; efficacia, mortem, infernum & diabolum nobis viciſſe, non contendentes de animæ Chriſti ad locum ſupplicij impiorum deſcenſu vel ſimilibus rebus, de quibus*

Libertas Chriſtiana. *in verbo Dei nihil eſt expreſſum: Docemus etiam liberos eſſe Chriſtianos in vſu rerum à Deo nec præceptarum nec vetitarum, citra tamen ſpeciem abnegatæ veritatis, citra neceſſariæ confeſſionis omiſſionem, & citra ſcandalum infirmorum: Præſertim verò*

Prædeſtinatio. *æternæ Dei Prædeſtinationis vſus, ad illuſtrandam Dei gloriam & ſtabiliendam fidelium conſolationem, à noſtris diligenter &*

perſpicuè monſtratus eſt; præciſa de occultis Dei iudiciis omnes curioſæ & prophanæ quæſtiones, & omnes anſæ deſperationis aut ſecuritatis carnalis, quas homines ad prætextum impietatis ſuæ ſolent ex illa arripere. Ex ſacra enim Scriptura didicimus, Deū æterno, immutabili, ſapientiſſimo & iuſtiſſimo conſilio, nequaquam effeciſſe aut approbaſſe, ſed permiſiſſe, vt totum genus humanum, Diaboli fraude, ac ſua ipſius libera voluntate & culpa, in peccatum & mortem ſe præcipitaret, & ex eo tamen ſibi elegiſſe æternam Eccleſiam, ſine vlla quidem in hominibus præuiſa huius electionis cauſſa, ſed ea tamen lege, vt omnes ſeruandos non niſi per Chriſtum ſeruaret, ac proinde in hac vita vocaret per Euangelij cognitionem ad Chriſtum, eosq́ per veram fidem ipſi inſereret & conformaret; aliis in ſua cæcitate & pertinaci prauitate, in qua nati ſunt, relictis, & illius merito, in ſpontaneum & iuſtiſſimum exitium ruentibus; vt in ſeruatis miſericordiam, in pereuntibus verò iuſtitiam & iram ſuam aduerſus peccatum, æternis exemplis demonſtraret; ac proinde fideles de ſua quidem ſalute & ad vitam æternam electione, dubitare non oportere, ſed eius cognitionem & certitudinem in ipſis omnem non à priori, hoc eſt, non ex arcani conſilij Dei ſcrutatione (hic enim impiæ deſperationis abyſſus eſt) ſed ex verbo Dei reuelato, & à poſteriori, hoc eſt, non niſi ex effectu eius proprio, videlicet, ex fide & conuerſione ad Chriſtum, pendere, ac pro huius incremento aut decremento, firmari aut languefieri: Deumq́ omnibus hominibus ſalutem offerendo nihil ſimulare, neq́ cuiquam ſalutem inuidere, ſed omnium conuerſione & ſalute, nullius autem cæcitate & perditione delectari; etſi id quod probat, & quo lætatur, & quod ſeriò & ſeueriſſimè ab omnibus requirit, non in omnibus ipſi libet efficere, ſed in iis tantùm, quos ipſe ad vitam præördinauit, & ex communi exitio, quod omnes merebantur, & in quod omnes ſibi relicti erant ruituri, dignatus eſt eripere, vt omnis gloria ſalutis noſtræ, in ſolidum diuinæ miſericordiæ tribuatur.

Hanc de iſtis articulis doctrinam, cum ſcriptura ſacra, & cum veteris Orthodoxæ Eccleſiæ teſtimonio per omnia conſentire, Liber Concordiæ fatetur. Neque nos quicquam intus fouere aut docere, quod his, quæ diximus, repugnet, teſtis eſt Deus, teſtes omnes noſtræ Eccleſiæ, teſtes noſtra ſcripta, & omnes qui ea legerunt attentè & candidè. Videamus ergo quid reſtet, propter quod liber nos damnat hæreſeos.

Duo capita potiſſimùm controuerſa.

Reſtant duo articuli, in quibus ſuos illi anathematiſmos potiſſimùm contra nos ſtringunt; videlicet de perſona Chriſti, & de Cœna ipſius myſtica. Sed de his etiam nihil verbo Dei, ſymbolis & veteri Eccleſiæ non conſentaneum, nos credere & profiteri, toties & tam clarè à noſtris eſt oſtenſum, vt omnibus vtranq; partem audire, & rationes cum rationibus conferre, & veritatem remotis affectibus & præiudiciis inquirere volentibus, res non poſſit eſſe obſcura.

De perſona Chriſti.

Didicimus enim è ſacris literis, ita poſtulaſſe conſilium Dei æternum de ſalute humani generis, vt Filius Dei coæternus, fieret Mediator & victima, nos Patri reconcilians, & Spiritu ſancto in filios Dei regenerans. Is igitur in vtero Mariæ virginis, de matris ſubſtantia, naturam verè humanam, anima rationali & corpore humano conſtantem, virtute ſui Spiritus formatam & ſanctificatam, in vnitatem ſuæ perſonæ aſſumſit, eam ſibi non tãtùm inſeparabiliter, ſed etiam arcano & inſcrutabili, arctiſſimo & ineffabili modo ac vinculo adiungens & copulans, vt æternus Dei λόγος ſeu Filius, & hæc maſſa naturæ aſſumtæ, ſimul ſint ſubſtantia vnius perſonæ Chriſti, qui vnus & idem ſit verus Dei & verus hominis Filius, verus Deus & verus homo, ab æterno ex Patre, & in tempore ex virgine genitus. Non enim ſic tantùm eſt in Chriſto Diuinitas, ſicut omnibus creaturis adeſt ad earum conſeruationem & gubernationem; neq; tantùm ſicut in ſanctis habitat, per gratiam & Spiritum ſuum eos ſibi conformes faciens; ſed ſic inhabitat & geſtat, mouet ac viuificat λόγος hanc

carnem

carnem ſibi propriam, vt cum ea in vnitatem perſonæ ſemel ſibi aſſumta, ſemper vnius eiuſdemq́; perſonæ Chriſti maneat ſubſtantia: ſicuti anima & corpus, arcano & inexplicabili nexu ſic vnita ſunt, vt ſint partes ſubſtantiales vnius hominis, & corpus diſpereat, niſi ſic geſtetur ab anima: & quidem arctiùs cum ſua carne cohæreat, quàm anima cum corpore, vt qui ſua etiam anima à corpore per mortem ſeparata, nec ab anima nec à corpore ſuo ſeparatus eſt. Neq; tamen mutatæ aut permixtæ, aut confuſæ ſunt duæ naturæ in perſona Chriſti; neutra in ſubſtãtiam, aut partem, aut naturam alterius mutata eſt, vel proprietatibus eſſentialibus aſſimilata, aut æquata alteri; ſed vnitas pariter & diſtinctas eſſentias, & eſſentiales proprietates & operationes in æternum retinent. Eſt ergo in vnica Chriſti perſona, ſicut gemina eſſentia ſeu ſubſtantia, ſeu natura, altera diuina, increata, creans, ſuſtentans & viuificans alteram, ſpiritualis, incircũſcripta & ſemper vbiq; tota eademq́; exiſtens: Altera humana, creata, ſuſtentata & viuificata ab altera, finita, corporea, & circũſcripta quãtitate & figura certa, partem habens extra partem, & vno tempore non niſi vno in loco exiſtens: Sic gemina mens ſeu intellectus, alter diuinus & increatus, vniuerſa quæ fuerunt, quæ ſunt, quæ erunt, & eſſe vel non eſſe poſſunt, ab æterno in æternum, à ſe ipſo, vno & immutabili actu ſeu intuitu intelligens, & fons omnis, quæ in omnibus creaturis eſt, intelligentiæ; Alter humanus & creatus, omnia quæcunq; vult & quandocunq; vult, ex vnita ſibi mente diuina cognoſcens & contemplans, & ſenſualia omnia valens ſenſu percipere, diuerſis & diſtinctis intelligendi & ſentiendi actibus: Gemina voluntas & operatio, altera diuina & increata, volens & nolens, quæcunq; vult aut non vult, ab æterno immutabiliter, & ſuo tempore, quæ vult efficiens, alteram c[illegible]ns & moderans pro ſuo arbitrio, tanquam pars partem vnius integri & perfecti Chriſti, & omnium eius actionum cauſſa prima exiſtens; Altera humana & creata, perpetuò cum diuina con-

In vna Chriſti perſona, ſicut duæ ſunt naturæ, ſic gemina eſt mens, voluntas, operatio, ſapientia, robur, virtus, &c.

gruens, ab ea pendens, & illius ductu volens & efficiens, quæcunque ipſius ſunt propria: Gemina ſapientia, robur & virtus, altera diuina & increata, quæ eſt ipſa vnica, tota, & ſimpliciſſima, infinita & immutabilis Deitatis eſſentia; Altera humana & creata à Diuina, quæ nec Deitatis nec Humanitatis eſt eſſentia, neq; res per ſe ſubſiſtens, ſed qualitas & proprietas, in natura humana à λόγῳ per Spiritum ſuum effecta, & in ea vt in ſubiecto ſuo inhærens, quæ in Chriſto humiliato cum ætate creuit, & in glorificatione ad ſummum perfectionis ſuæ gradum perducta eſt; & quanquam omnium angelorum & hominum dona & captum atq; intelligentiam, & multitudine & magnitudine donorum longè ſuperat: tamen intellectui diuino eius menſura cognita eſt: & eſſentiali ſapientiæ potentiæ & virtuti in Deo, tanquam finitum infinito, creatura creatori, nunquam adæquatur.

Propter hunc autem vtriuſq; naturæ in vna perſona complexum, quicquid de Chriſto prædicatur, de tota & indiuiſa eius perſona verè & realiter dicitur, alia tamen vtriuſq;, alia duntaxat alterius naturæ ratione & reſpectu. Officium enim Mediatoris, quia vtriuſq; naturæ proprietates & actiones poſtulat, ſecundùm vtranq; naturam Chriſto competit & tribuitur, ſeruato tamen naturarum & proprietatum & operationum diſcrimine. Totus Chriſtus ſecundùm Deitatem & Humanitatem ſuam eſt Mediator, redemtor, interceſſor, & ſeruator, Rex, ſacerdos & propheta noſter, paſtor & caput & vitis, cuius nos ſumus membra & palmites, Dominus & iudex mundi, ſciens & volens opera ſua ſecundùm vtranque naturam, & vtraq; natura operante cum altera, quod vniuscuiuſq; eſt proprium: humana natura patitur & moritur; diuina vult hanc obedientiam, et humanam ſuſtentat ac reſuſcitat: humana prædicat Euangelium; diuina dictat quod illa loquatur: humana adhibet preces, geſtus et verba; diuina efficit miracula: humana aſcendit in cœlum, et terram deſerit; diuina iam antea eſt in cœlo, et in terra manet nobiſcum, et humanã illùc

Officium Mediatoris, vt duas naturas, ſic vtriuſque naturæ diſtinctas proprietates & actiones poſtulat.

Diſtinctæ naturarũ in vno Chriſto actiones.

illuc extollit: humana ſe oſtendit & loquitur cœlitus; diuina eſt efficax in corde Pauli & Stephani: humana deſcendet de cœlo in nubes, conſpicietur in gloria teſtante in ea habitātem Deitatem, & feret ſua voce ſententiam extremi iudicij; diuina inſpiciet & manifeſtabit omnium corda & conſciētias, dictabit & exſequetur ſua potentia latam ſententiam, glorificando electos & in pœnas abiiciendo reprobos.

Proprietates verò & paſſiones vel operationes alterius naturæ propriæ, de tota perſona prædicantur, ſecundùm eam naturā, cuius propriæ ſunt, & non ſecundùm alteram. Iccircò de perſona quidem ab altera natura denominata, ſed non de altera natura verè prædicantur. Deus enim eſt natus de virgine, eſt paſſus, eſt mortuus, reſurrexit, aſcendit in cœlum, ſed humanitate, nō deitate ſua; humanitas eſt mortua non Deitas. Homo Chriſtus Ieſus eſt ab æterno genitus à Patre, ſuſcitauit ſuum corpus, eſt omnipotens, omniſcius, vbiq; præſens, dat Spiritum ſanctum, habitat in ſanctis, ſuſcitat mortuos, non humanitate, ſed Deitate ſua. Et tamen verè & realiter de perſona dicuntur, non tantùm quæ ſecūdùm totum, hoc eſt, vtranq; naturam, ſed etiam quæ ſecundùm partem, hoc eſt, naturam alteram, ei competunt: Sicut verè & realiter de homine dicitur, etiam quod ei tantùm partis alicuius ratione conuenit. Non tantùm homo, ſed etiam Deus eſt paſſus, quia humanitas non ſeparata, ſed perſonaliter vnita manens Deitati, paſſa eſt. Homo eſt omnipotens & vbique præſens, quia Deitas non ſeparata, ſed perſonaliter vnita manens humanitati, eſt omnipotens & vbique præſens. Hinc eſt, quòd Baptiſta patiente, non Deus pati dicitur, nec Deo habitante in Baptiſta, & extra ipſum, Baptiſta dicitur eſſe vbique: Chriſto autem patiente & reſurgente, vtrunq; verè dicitur, Deus pati, & homo ſe reſuſcitare; quia humanitas patiens eſt Dei propria humanitas, & Deitas reſuſcitans, eſt hominis propria Deitas, hoc eſt, pars ſubſtantiæ ſeu perſonæ ipſius exiſtit, non autem quia Deitas ſimul Regula immota.

moritur, aut humanitas ſimul eſt omnipotens. Sicut enim Deus eſt homo, ſic omnia quæ hominis ſunt, eſt & agit & patitur, eſt finitus, mouetur loco & moritur: Et ſicut homo iſte Deus eſt, ſic omnia quæ Dei propria ſunt, eſt & agit & patitur: Eſt immenſus, dat Spiritum ſanctum & adoratur, videlicet, non per æquationem eſſentiæ aut proprietatum aut operationum, ſed per admirabilem vnionem naturarum, diuinæ & humanæ, infinitæ & finitæ, viuificantis & viuificatæ; propter quam vnus & idem Chriſtus, creator & creatura eſt. Illæ autem proprietates, quarum Deitas archetypus eſt, imago autem & ſimilitudo in humanitate, prædicantur quidem de Chriſto ſecundùm vtranq; naturam, ſed æquiuocè. Chriſtus enim eſt ſapiens & potens ſecundùm vtranq; naturam; ſed alia eſt in ipſo diuina, ſubſtantialis, æterna, immutabilis & infinita; alia humana, qualitas inhærens, creata & aucta ſucceſſiuè, & non æqualis Deo, ſapientia & virtus. Omnibus ergo creaturis ſapientior & potentior eſt Chriſtus ſecundùm naturam humanam, quia ſcire & efficere poteſt, quæcunq; ſecundùm eam vult ſcire & efficere: Omniſcius autem & omnipotens propriè & ſimpliciter, ſecundùm Deitatem.

Proprietates humanæ eſſentiales.

Differunt etiam in Chriſto proprietates humanæ eſſentiales ab accidentalibus. Eſſentiales ſunt, ſine quibus natura humana deſinit eſſe humana, ſicut rectè dicitur: Negatis proprietatibus, negantur naturæ: vt finitum & circunſcriptum eſſe, habere partem extra partem, habere animã rationalem & corpus verè humanum, viſibile, palpabile, etc. Has retinet Chriſtus à conceptionis momento vſq; in æternum, vt ſit verus homo, frater noſter, et caput noſtrum in omni æternitate.

Accidentariæ.

Accidentariæ ſunt, quæ naturam non conſtituunt, nec eius conſtitutionem neceſſariò conſequuntur, nec remotæ ipſam deſtruunt. Harum rurſus aliæ ſunt infirmitatis, vt, eſurire, ſitire, fatigari, dolere, contriſtari, pati et mori poſſe, etc. quas Chriſtus omnes vnà cum natura humana aſſumſit, excepto peccato, prout poſtulabat ipſius officium; ſed in glorifi-

Propria infirmitatis.

tura diſtincta, in vnam hypoſtaſin, ſicut diſtincta proprietatibus, & tamen vnita ſubſtantiis, tanquam vnius ſubſtantiæ partibus diſſimilibus, corpus & anima ſunt in vno homine.

Idem docuerunt de Chriſto omnes veteres & orthodoxi Eccleſiæ ſcriptores, maximo & apertiſſimo conſenſu, qui inde ab Apoſtolis vſq; ad ſtabilitam in Eccleſia tyrannidem Antichriſtianam vixerunt. Doctrina Orthodoxæ vetuſtatis de Chriſto.

Ignatius, auditor Apoſtolorum, ſic ſcribit Smyrnæis, teſte Theodoreto: Certa & vera fide amplectimur Dominum noſtrum, qui eſt ex genere Dauidis ſecundùm carnem, Filius Dei ſecundùm Deitatem & potentiam, verè natum ex virgine, verè crucifixum pro nobis carne. *His verbis Deum fatetur ex genere Dauidis, ex virgine natum eſſe, crucifixum eſſe, non ſecundùm vtranq; naturam, nec reali cõmunicatione Idiomatum, ſed ſecundùm carnem: Et hominem Dei Filium eſſe ſecundùm Deitatem: & omnipotentiam ei tribuit, non ſecundùm carnem, ſed ſecundùm Deitatem.*

Sic ibidem dicit, eos abnegare Chriſtum, qui non fatentur, ab eo geſtari carnem. Si geſtat & ſeruat λόγος ſuam carnem: certè caro non eſt omnipotens. Nihil enim eſt ab omnipotentia magis alienum, quàm geſtari & ſeruari, & ſuſtentari ab alio.

Ibidem: Egò etiam poſt reſurrectionem in carne ipſum exiſtere ſcio & credo: Et cùm diſcipulis dixit: Contrectate me & ſpectate, quoniam non ſum dæmonium incorporeum, ſtatim vt ipſum contrectarunt, crediderunt.

Et ibidem: Si non vero corpore venturus eſt Dominus, quomodo videbunt eum, qui crucifixerunt ipſum? Rerum enim incorporearum neque ſpecies, neque effigies, neque figura eſt animantis certam formam habentis, propter naturæ incorporeæ ſimplicitatem. *Quid apertius eſt, quàm Ignatium in Chriſto non agnoſcere verum corpus, quod non ſit ſenſile & circunſcriptum?*

Oramus itaq; & obſecramus, omni qua decet cum ſubiectione, reuerentia & manſuetudine, Illuſtriſſimos Principes, Generoſos Comites, ſpectabiles, clariſſimos & reuerendos viros, in Germania Rerumpublicarum, Eccleſiarum & Scholarum gubernatores, miniſtros, omnesq; illarum ciues & membra, Dominos clementiſſimos & colendos, & fratres obſeruandos, vt ea quæ hoc ſcripto monituri ſumus, ſepoſitis affectibus & præiudiciis benignè & candidè cognoſcant & conſiderent, ac ſi quid iniis rectè dictum perſpexerint, id non temerè abiiciant, ſi quid ſecus, id pro non dicto habeant, nobis gratum etiam facturi, ſi meliora monſtrauerint. Teſtis eſt Deus, à nobis aliud non ſpectari, niſi gloriam Chriſti, ſalutem Eccleſiarum, honorem & felicitatem ipſorum & neceſſitatem noſtram ac plurimorum piorum in Germania & alibi, ne afflictis addatur afflictio, innocentes condemnentur & opprimantur, ipſorum & noſtro periculo ac malo, prætextu & abuſu nominis ipſorum, inſtinctu vnius aut paucorũ Theologorum & ſpecie Concordiæ, quam Eccleſiarum maior & perniciosior diſcordia conſequatur. Hæc minimè leuia eſſe, omnes ſani fatentur. Et prudentum eſt, in rebus magnis, non modò periculum, ſed etiam famam & ſuſpicionem periculi non contemnere.

De

De perſona Chriſti, veræ doctrinæ repetitio.

CAP. I.

NIMIS *notum eſt omnibus, quantum malorum traxerit, & quàm duriter exercuerit Chriſti Eccleſiam, infauſtum illud, & nullis lacrymis ſatis deploratum certamen de ſacra Cœna Chriſti Domini, ſtatim ab initio repurgationis doctrinæ & Eccleſiarum exortum. Suſpirarunt iamdudum anxiè omnes pij & cordati, vt placida & legitima aliqua doctorum & bonorum virorum collatione, cognitione & diiudicatione, cauſſa hæc explicaretur, & lis dirimeretur, ac tandem animo & ore vno Chriſtum prædicare & inuocare poſſent Eccleſiæ à tyrannide Pontificum liberatæ. Quoniam verò, partim Dei caſtigantis & exercentis ſuam Eccleſiam permiſſu & iuſto iudicio, partim aſtu Satanæ, cupientis omnibus modis impeditam Euangelij propagationem & Eccleſiæ incrementum, huic voto hactenus non reſpondit euentus: hoc ſaltem ſperatum eſt, fore, vt hoc incendium, quod explicatione ſententiarum obſcuriore, & vel affectu vel errore deprauata, & ſiniſtrè accepta (id quod in controuerſiis magnis, & diuturna caligine inuolutis, etiam doctis & piis non rarò, præſertim ſub illarum initia ſolet accidere) & ingeniorum atque concertationis vehementia exarſerat: rurſus tam longa, exquiſita, & acri diſceptatione, omniumq́; ex verbo Dei, & ex tota antiquitate Eccleſiæ, ad cauſſam hanc vllo modo pertinentium, conquiſitione, deniq; tam diligenti, accurata, copioſa, perſpicua, toties à tam multis & præſtantibus doctrina ac pietate viris, repetita & inculcata rei declaratione, tum etiam tolerantia & lenitate, meditatione & collatione ſententiarum Chriſtiana & fraterna, tandem ſua ſponte deflagraret; aut ſi non prorſus extingueretur, tamen vires ad Eccleſias ſchiſmate diſiungendas paulatim amitteret.*

Neq; ſanè defuiſſent ad hanc ſpem augendam coniecturæ, niſi

quidam Theologi, ad hominum magis, quàm ad Dei verba attenti, & nimis indignum exiſtimatione ſua arbitrantes, videri aliquid minùs rectè intellexiſſe, ſenſiſſe aut dixiſſe, & ſucceſſu temporis aliquid in rerum diuinarum cognitione profeciſſe, à ſe & ſuis magiſtris ſemel prolata mordicùs tueri, quàm veritati cedere, & Eccleſiarum atq; conſcientiarum paci conſulere maluiſſent.

Horum ergo aliqui, primùm redintegrato certamine rem experti ſunt; alij verò cùm diſputando cauſſam ſe tenere non poſſe viderent, aliam viam ingreſſi ſunt. Studuerunt iſti perſuadere omnibus, & perſuaſerunt quibuſdam in Germania Ordinibus, Confeſſionis Auguſtanæ ſociis, vt librum à quinque aut ſex Theologis conſcriptum, ſua auctoritate munitum, titulo Concordiæ illorum Ordinum publicarent. In eo libro repetiuerunt opinionum quarundam falſarum & obſoletarum refutationes & condemnationes, quarum pleraq; partim ſolidis aliorum refutationibus, partim ſua abſurditate conciderunt, & ferè hac ætate, qua ſunt exortæ, etiam mortuæ cum ſuis auctoribus ſunt, atque ſepultæ: ſed conſilium & ſcopum eorum hunc fuiſſe, res ipſa loquitur, & ipſi non diſſitentur, vt in illarum opinionum cumulum coniectam veram de Chriſti Domini noſtri perſona & myſtica Cœna doctrinam, quam aliæ Eccleſiæ profitentur, ſimul cum illis condemnarent, & ex Eccleſia eiicerent. Et quia omni idoneorum argumentorum robore deſtituti, atque iis etiam, quibus cauſſam ſuam populo venditabant, coloribus exuti, ad confictam nuper corporis Chriſti VBIQVITATEM *ſeu omnipræſentiam confugerunt, vt quia vbique ſit, etiam in pane Euchariſtico illud eſſe obtinerent; veterem errorem nouo atq; antehac in Eccleſia Chriſtiana, tam ante quàm poſt natum Papatum, inaudito cumularunt: eumq; in hoc libro, oppreſſa irrefutabili veritate per magiſtratuum auctoritatem & poteſtatem Politicam, & ſuffragatorum multitudinẽ, Eccleſiæ obtrudere ſunt conati. Quod vt perficiant, hunc librum volunt haberi ab omnibus pro Regula &*

Liber Concordiæ.

norma

norma diſcernendi veram doctrinam Religionis à falſa, Orthodoxos ab hæreticis, & pro vltima Auguſtanæ confeſſionis declaratione, cui nihil deinceps addi poſſit aut debeat à quoquam, & à qua nemini liceat diſcedere: ſi quis autem diſſentiat, vel confeſſionem Auguſtanam aliter intelligat, is tanquam hæreticus iam declaratus & ad carceres vel exilia condemnatus, ex Eccleſia & pace religionis excludatur atque proſcribatur.

Magnus ſanè & audax horum Theologorum conatus, partem Eccleſiarum Chriſti in Europa longè maximam, & homines pios per vniuerſam Germaniam plurimos, de ſuo iudicio anathemate ferientium. Cùm ergo de honore & veritate Chriſti, de pace & ſalute tot Eccleſiarum, deq; tot fidelium capitibus & fortunis agatur: Confidimus omnes prudentes & Deum timentes Principes & viros, ſiue qui approbarunt, ſiue qui repudiarũt librum illum Concordiæ, ne nunc quidem præcipitaturos iudicia, nec temerè molitionis huius Theologorum exequutores & miniſtros ſe præbituros, vbi tantæ multitudinis membrorũ Chriſti, partim ſanguine partim lacrymis madentium gemitus, aures eorum circunſonuerint: Et conſideraturos prius ſperamus eorum rationes, propter quas librum iſtum Theologorum verã doctrinam à falſa, Chriſtianos Orthodoxos ab hæreticis diſcernendi normam & regulam, non ſine maxima Eccleſiarum omnium iniuria & detrimento, conſtitui poſſe aſſeuerant.

Sunt quidem ad cauſſam hanc pertinentia, dicta, ſcripta, repetita ſæpe multumq; à multis; veruntamen, cùm res oſtendat, non omnes animaduertere, quantum illa obſtent Anathematiſmis libri Theologorum, quàm poſſumus pauciſſimis, hoc declaratu neceſſarium eſſe exiſtimamus.

Ac principio quidem apud omnes caret controuerſia, librũ eum, in quo hæreticæ impiæq; doctrinæ accuſantur & condemnantur illi, qui de omnibus Chriſtianæ religionis capitibus, nihil extra ſcripturam. Propheticam & Apoſtolicam, nihil Noſtra cõfeſſio.

extra ſymbola Chriſtianorum Catholica, nihil denique extra conſenſum apertiſſimum totius purioris Antiquitatis Eccleſiæ neque ſentiunt, neq; profitentur, neq; ſcribunt, neq; loquuntur: normam docendi & iudicandi in Chriſti Eccleſia, conſtitui nequaquam oportere. Tales verò cùm ſint anathematiſmi iſtius libri, hanc ſolam cauſſam ad auctoritatem tanti iudicij illi abrogandam ſufficere arbitramur. Condemnantur autem in illis hæreſeos, quos illi vocant Sacramentarios, hoc eſt, qui de Cœna & perſona Chriſti ab ipſis diſſentiunt. Quódnam verò ob crimen? ob quem errorem? ob quam blaſphemiam? Quia carneam & oſſeam verè humani corporis Domini noſtri Ieſu Chriſti ſubſtantiam, in omnibus locis & creaturis exiſtere, in pane autem Cœnæ Dominicæ carnem, & in vino ſanguinem eius, piorum & impiorum ore comedi & bibi non credunt. Hoc eſt illud grande nefas & morte piandum, quod ſi non cõmitteremus, iam exemti eſſemus anathemati. Nam in aliis doctrinæ noſtræ partibus, quod cum colore aliquo reprehendant, ne ipſi quidem anathematiſtæ habent. Extant; & in luce ac manibus omnium non ſine fructu (Dei ſit gloria) verſantur multæ complectentes vniuerſam doctrinam Eccleſiæ confeſſiones & declarationes, breuiter & prolixè à noſtris perſcriptæ, neq; hactenus vllius hæreſeos aut falſi dogmatis conuictæ; ex quibus notum eſt publicè, quid credamus & profiteamur, De vno æterno & vero Deo, & tribus in ipſo hypoſtaſibus; De mundi creatione, & eius per diuinam prouidentiam ſuſtentatione & gubernatione; De peccato per ſolam Diaboli & hominis liberam voluntatem iuſta Dei permiſſione, ingreſſo; De libero arbitrio ad ſpontaneam ſui perditionem ſufficiente, ad liberationem verò ex peccato & morte inutili; De Filio Dei mediatore, vero Deo veroq; homine, & illius officio, regno & beneficiis; De diuina Lege & Euangelio, & de vtriuſque vera ac genuina ſentẽtia; De fide in Chriſtum; De conuerſione ad Deum; De gratia Dei & iuſtificatione peccatoris coram Deo gratuita,

per

*per imputatam credentibus ſatisfactionem Chriſti; De vita ho-
minis Chriſtiani; De vera Dei inuocatione & cultu; De gratuita
electorum ſalute, & iuſta reproborum damnatione; De Eccleſia,
eiusq; notis, auctoritate & ordine; De dignitate & vſu miniſte-
rij verbi Diuini & Sacramentorum; De traditionibus humanis
& libertate Chriſtiana; De Magiſtratu & ordine Politico; De
afflictionibus & cruce; De reſurrectione carnis, iudicio extremo
& vita æterna; & ſi quis alius eſt Chriſtianæ doctrinæ articulus.
De his capitibus omnibus, notior eſt, & planiùs explicata Confeſ-
ſio noſtra, quàm vt hîc repetitione eius non neceſſaria, lectores
ſint onerandi: neq; de his, Dei beneficio, inter Eccleſias Euangeli-
cas interceſſit aliqua lis aut diſſenſio. Quin etiam de pleriſq; ar-
ticulis Libri Concordiæ ſatis inter nos conuenit, & eoſdem erro-
res, quos illi condemnant, etiam nos toto pectore auerſamur. A-
gnoſcimus peccatum Originis eſſe non tantùm reatum, ſed etiam* Peccatum
deprauationem naturæ humanæ hæreditariam, repugnantem le- Originis.
*gi diuinæ, & merentem pœnas æternas, etiamſi nulla acceſſerint
peccata actualia, & ab hac prauitate naturam à Deo conditam,
etiam poſt deprauationem diſcernimus. Eam verò corruptionem
naturæ in omnibus hominibus tantam eſſe confitemur, vt niſi ex
gratuita & ſingulari miſericordia ad agnitionẽ Dei veram per-
ducantur, & Spiritu ſancto in filios Dei regenerentur, in æter-
num hoſtes Dei maneant: Credimus totam noſtram iuſtitiam,* Iuſtifica-
qua peccatores in iudicio Dei cõſiſtimus, & Deo placemus, & hæ- tio.
*redes æternæ ſalutis efficimur, eſſe nec fidei nec aliarum virtutũ
in nobis, dignitatem aut meritum, ſed ſolam obedientiam Chriſti
vſque ad mortem crucis: eamq; imputari à Deo omnibus & ſolis
fide vera ipſam accipiẽtibus; vtq; hæc obedientia Mediatoris poſ-* Mediator.
*ſet eſſe λύτρον ſufficiens pro peccatis totius mundi, oportuiſſe æter-
num Dei Filium, vnita ſibi natura verè humana, ſimul eſſe ve-
rum Deum & verum hominem: Bona verò opera, quæ renati ſe-* Bona ope-
cundùm Legem faciunt, ex vera quidem fide, tanquam debitam ra.

Deo gratitudinē, & neceſſariū ac proprium fidei effectum, cōſequi aſſeueramus: Veruntamen ea neq; iuſtitiā, neq; partem vllam eſſe iuſtitiæ, neq; meriti rationē vllam habere coram Deo, ſed fructus potiùs eſſe iuſtitiæ, & partē gratuitæ erga nos Dei beneficentiæ, hāc ipſam cum Chriſto in vera ſanctitate nunc incoatam, deinceps verò perficiendam cum Chriſto capite noſtro conformationem:

Lex.

Fatemur etiam Legem Dei eſſe concionem diuini iudicij, quæ docet & requirit perfectam erga Deum obedientiam, & hanc præſtantibus vitam æternam promittit: vlla verò ex parte eam violantibus minatur æternas pœnas; ideoq; propter peccata noſtra ſine Euangelio nihil eſſe niſi miniſterium literæ mortiferum;

Euangelium.

Euāgelium autem eſſe miniſterium Spiritus viuificantis, & concionem gratiæ, prolatam ex ſinu æterni patris per Filium Dei, quæ monſtrat peccatoribus modum recōciliationis cum Deo, iubet eos in Chriſtum credere & agere pœnitētiam, & hoc facientibus, etiamſi legem nondum impleant ſua ipſorum obedientia, promittit remiſſionem peccatorum & vitam æternam gratis dandam propter meritum Chriſti ~~erga~~ ~~nos~~ & nos prædicationem Legis diuinæ, non tantùm apud prophanos & nondum conuerſos, vt a-

Vſus legis.

gnitione iræ Dei aduerſus ſe perterrefacti, præparentur ad cōcionem gratiæ; ſed etiam apud iam cōuerſos, vt in illis etiam creſcat agnitio peccatorum, & deſiderium ac ſtudium veræ erga Deum

Beneficia Chriſti.

pietatis & obedientiæ: Confitemur quoque Chriſtum & merito ſuo, ac dolorum terrorumq; infernalium pro nobis perpeſſione, & ſua diuina potentia atq; efficacia, mortem, infernum & diabolum nobis viciſſe, non contendentes de animæ Chriſti ad locum ſupplicij impiorum deſcenſu vel ſimilibus rebus, de quibus in verbo Dei nihil eſt expreſſum:

Libertas Chriſtiana.

Docemus etiam liberos eſſe Chriſtianos in vſu rerum à Deo nec præceptarum nec vetitarum, citra tamen ſpeciem abnegatæ veritatis, citra neceſſariæ confeſſionis omiſſionem, & citra ſcandalum infirmorum:

Prædeſtinatio.

Præſertim verò æternæ Dei Prædeſtinationis vſus, ad illuſtrandam Dei gloriam & ſtabiliendam fidelium conſolationem, à noſtris diligenter &

perſpicuè monſtratus eſt; præciſæ de occultis Dei iudiciis omnes curioſæ & prophanæ quæſtiones, & omnes anſæ deſperationis aut ſecuritatis carnalis, quas homines ad prætextum impietatis ſuæ ſolent ex illa arripere. Ex ſacra enim Scriptura didicimus, Deũ æterno, immutabili, ſapientiſſimo & iuſtiſſimo conſilio, nequaquam effeciſſe aut approbaſſe, ſed permiſiſſe, vt totum genus humanum, Diaboli fraude, ac ſua ipſius libera voluntate & culpa, in peccatum & mortem ſe præcipitaret, & ex eo tamen ſibi elegiſſe æternam Eccleſiam, ſine vlla quidem in hominibus præuiſa huius electionis cauſſa, ſed ea tamen lege, vt omnes ſeruandos non niſi per Chriſtum ſeruaret, ac proinde in hac vita vocaret per Euangelij cognitionem ad Chriſtum, eosq́ per veram fidem ipſi inſereret & conformaret; aliis in ſua cæcitate & pertinaci prauitate, in qua nati ſunt, relictis, & illius merito, in ſpontaneum & iuſtiſſimum exitium ruentibus; vt in ſeruatis miſericordiam; in pereuntibus verò iuſtitiam & iram ſuam aduerſus peccatum, æternis exemplis demonſtraret; ac proinde fideles de ſua quidem ſalute & ad vitam æternam electione, dubitare non oportere, ſed eius cognitionem & certitudinem in ipſis omnem non à priori, hoc eſt, non ex arcani conſilij Dei ſcrutatione (hic enim impiæ deſperationis abyſſus eſt) ſed ex verbo Dei reuelato, & à poſteriori, hoc eſt, non niſi ex effectu eius proprio, videlicet, ex fide & conuerſione ad Chriſtum, pendere, ac pro huius incremento aut decremento, firmari aut laugueſieri: Deumq́ omnibus hominibus ſalutem offerendo nihil ſimulare, neq́ cuiquam ſalutem inuidere, ſed omnium conuerſione & ſalute, nullius autem cæcitate & perditione delectari; etſi id quod probat, & quo lætatur, & quod ſeriò & ſeueriſſimè ab omnibus requirit, non in omnibus ipſi libet efficere, ſed in iis tantùm, quos ipſe ad vitam præördinauit, & ex communi exitio, quod omnes merebantur, & in quod omnes ſibi relicti erant ruituri, dignatus eſt eripere, vt omnis gloria ſalutis noſtræ, in ſolidum diuinæ miſericordiæ tribuatur.

Hanc de iſtis articulis doctrinam, cum ſcriptura ſacra, & cum veteris Orthodoxæ Eccleſiæ teſtimonio per omnia conſentire, Liber Concordiæ fatetur. Neque nos quicquam intus fouere aut docere, quod his, quæ diximus, repugnet, teſtis eſt Deus, teſtes omnes noſtræ Eccleſiæ, teſtes noſtra ſcripta, & omnes qui ea legerunt attentè & candidè. Videamus ergo quid reſtet, propter quod liber nos damnat hæreſeos.

Duo capita potiſſimùm controuerſa.

Reſtant duo articuli, in quibus ſuos illi anathematiſmos potiſſimùm contra nos ſtringunt; videlicet de perſona Chriſti, & de Cœna ipſius myſtica. Sed de his etiam nihil verbo Dei, ſymbolis & veteri Eccleſiæ non conſentaneum, nos credere & profiteri, toties & tam clarè à noſtris eſt oſtenſum, vt omnibus vtranq; partem audire, & rationes cum rationibus conferre, & veritatem remotis affectibus & præiudiciis inquirere volentibus, res non poſſit eſſe obſcura.

De perſona Chriſti.

Didicimus enim è ſacris literis, ita poſtulaſſe conſilium Dei æternum de ſalute humani generis, vt Filius Dei coæternus, fieret Mediator & victima, nos Patri reconcilians, & Spiritu ſancto in filios Dei regenerans. Is igitur in vtero Mariæ virginis, de matris ſubſtantia, naturam verè humanam, anima rationali & corpore humano conſtantem, virtute ſui Spiritus formatam & ſanctificatam, in vnitatem ſuæ perſonæ aſſumſit, eam ſibi non tātùm inſeparabiliter, ſed etiam arcano & inſcrutabili, arctiſsimo & ineffabili modo ac vinculo adiungens & copulans, vt æternus Dei λόγος ſeu Filius, & hæc maſſa naturæ aſſumtæ, ſimul ſint ſubſtantia vnius perſonæ Chriſti, qui vnus & idem ſit verus Dei & verus hominis Filius, verus Deus & verus homo, ab æterno ex Patre, & in tempore ex virgine genitus. Non enim ſic tantùm eſt in Chriſto Diuinitas, ſicut omnibus creaturis adeſt ad earum conſeruationem & gubernationem; neq; tantùm ſicut in ſanctis habitat, per gratiam & Spiritum ſuum eos ſibi conformes faciens; ſed ſic inhabitat & geſtat, mouet ac viuificat λόγος hanc carnem

carnem ſibi propriam, vt cum ea in vnitatem perſonæ ſemel ſibi aſſumta, ſemper vnius eiuſdemq́ perſonæ Chriſti maneat ſubſtantia: ſicuti anima & corpus, arcano & inexplicabili nexu ſic vnita ſunt, vt ſint partes ſubſtantiales vnius hominis, & corpus diſpereat, niſi ſic geſtetur ab anima: & quidem arctiùs cum ſua carne cohæreat, quàm anima cum corpore, vt qui ſua etiam anima à corpore per mortem ſeparata, nec ab anima nec à corpore ſuo ſeparatus eſt. Neq; tamen mutatæ aut permixtæ, aut confuſæ ſunt duæ naturæ in perſona Chriſti; neutra in ſubſtãtiam, aut partem, aut naturam alterius mutata eſt, vel proprietatibus eſſentialibus aſſimilata, aut æquata alteri; ſed vnitas pariter & diſtinctas eſſentias, & eſſentiales proprietates & operationes in æternum retinent. Eſt ergo in vnica Chriſti perſona, ſicut gemina eſſentia ſeu ſubſtantia, ſeu natura, altera diuina, increata, creans, ſuſtentans & viuificans alteram, ſpiritualis, incircũſcripta & ſemper vbiq; tota eademq́ exiſtens: Altera humana, creata, ſuſtentata & viuificata ab altera, finita, corporea, & circũſcripta quãtitate & figura certa, partem habens extra partem, & vno tempore non niſi vno in loco exiſtens: Sic gemina mens ſeu intellectus, alter diuinus & increatus, vniuerſa quæ fuerunt, quæ ſunt, quæ erunt, & eſſe vel non eſſe poſſunt, ab æterno in æternum, à ſe ipſo, vno & immutabili actu ſeu intuitu intelligens, & fons omnis, quæ in omnibus creaturis eſt, intelligentiæ; Alter humanus & creatus, omnia quæcunq; vult & quandocunq; vult, ex vnita ſibi mente diuina cognoſcens & contemplans, & ſenſualia omnia valens ſenſu percipere, diuerſis & diſtinctis intelligendi & ſentiendi actibus: Gemina voluntas & operatio, altera diuina & increata, volens & nolens, quæcunq; vult aut non vult, ab æterno immutabiliter, & ſuo tempore, quæ vult efficiens, alteram c...ns & moderans pro ſuo arbitrio, tanquam pars partem vnius integri & perfecti Chriſti, & omnium eius actionum cauſſa prima exiſtens; Altera humana & creata, perpetuò cum diuina con-

In vna Chriſti perſona, ſicut duæ ſunt naturæ, ſic gemina eſt mens, voluntas, operatio, ſapientia, robur, virtus, &c.

gruens, ab ea pendens, & illius ductu volens & efficiens, quæcunque ipſius ſunt propria: Gemina ſapientia, robur & virtus, altera diuina & increata, quæ eſt ipſa vnica, tota, & ſimpliciſſima, infinita & immutabilis Deitatis eſſentia; Altera humana & creata à Diuina, quæ nec Deitatis nec Humanitatis eſt eſſentia, neq; res per ſe ſubſiſtens, ſed qualitas & proprietas, in natura humana à λόγῳ per Spiritum ſuum effecta, & in ea vt in ſubiecto ſuo inhærens, quæ in Chriſto humiliato cum ætate creuit, & in glorificatione ad ſummum perfectionis ſuæ gradum perducta eſt; & quanquam omnium angelorum & hominum dona & captum atq; intelligentiam, & multitudine & magnitudine donorum longè ſuperat: tamen intellectui diuino eius menſura cognita eſt: & eſſentiali ſapientiæ potentiæ & virtuti in Deo, tanquam finitum infinito, creatura creatori, nunquam adæquatur.

Propter hunc autem vtriuſq; naturæ in vna perſona complexum, quicquid de Chriſto prædicatur, de tota & indiuiſa eius perſona verè & realiter dicitur, alia tamen vtriuſq;, alia duntaxat alterius naturæ ratione & reſpectu. Officium enim Mediatoris, quia vtriuſq; naturæ proprietates & actiones poſtulat, ſecundùm vtranq; naturam Chriſto competit & tribuitur, ſeruato tamen naturarum & proprietatum & operationum diſcrimine. Totus Chriſtus ſecundùm Deitatem & Humanitatem ſuam eſt Mediator, redemtor, interceſſor, & ſeruator, Rex, ſacerdos & propheta noſter, paſtor & caput & vitis, cuius nos ſumus membra & palmites, Dominus & iudex mundi, ſciens & volens opera ſua ſecundùm vtranque naturam, & vtraq; natura operante cum altera, quod vniuscuiuſq; eſt proprium: humana natura patitur & moritur; diuina vult hanc obedientiam, et humanam ſuſtentat ac reſuſcitat: humana prædicat Euangelium; diuina dictat quod illa loquatur: humana adhibet preces, geſtus et verba; diuina efficit miracula: humana aſcendit in cœlum, et terram deſerit; diuina iam antea eſt in cœlo, et in terra manet nobiſcum, et humanã illûc

Officium Mediatoris, vt duas naturas, ſic vtriuſque naturæ diſtinctas proprietates & actiones poſtulat.

Diſtinctæ naturarũ in vno Chriſto actiones.

illūc extollit: humana ſe oſtendit & loquitur cœlitus; diuina eſt efficax in corde Pauli & Stephani: humana deſcendet de cœlo in nubes, conſpicietur in gloria teſtante in ea habitātem Deitatem, & feret ſua voce ſententiam extremi iudicij; diuina inſpiciet & manifeſtabit omnium corda & conſciētias, dictabit & exſequetur ſua potentia latam ſententiam, glorificando electos & in pœnas abiiciendo reprobos.

Proprietates verò & paſsiones vel operationes alterius naturæ propriæ, de tota perſona prædicantur, ſecundùm eam naturā, cuius propriæ ſunt, & non ſecundùm alteram. Iccircò de perſona quidem ab altera natura denominata, ſed non de altera natura verè prædicantur. Deus enim eſt natus de virgine, eſt paſſus, eſt mortuus, reſurrexit, aſcendit in cœlum, ſed humanitate, nō deitate ſua; humanitas eſt mortua non Deitas. Homo Chriſtus Ieſus eſt ab æterno genitus à Patre, ſuſcitauit ſuum corpus, eſt omnipotens, omniſcius, vbiq; præſens, dat Spiritum ſanctum, habitat in ſanctis, ſuſcitat mortuos, non humanitate, ſed Deitate ſua. Et tamen verè & realiter de perſona dicuntur, non tantùm quæ ſecūdùm totum, hoc eſt, vtranq; naturam, ſed etiam quæ ſecundùm partem, hoc eſt, naturam alteram, ei competunt: Sicut verè & realiter de homine dicitur, etiam quod ei tantùm partis alicuius ratione conuenit. Non tantùm homo, ſed etiam Deus eſt paſſus, quia humanitas non ſeparata, ſed perſonaliter vnita manens Deitati, paſſa eſt. Homo eſt omnipotens & vbique præſens, quia Deitas non ſeparata, ſed perſonaliter vnita manens humanitati, eſt omnipotens & vbique præſens. Hinc eſt, quòd Baptiſta patiente, non Deus pati dicitur, nec Deo habitante in Baptiſta, & extra ipſum, Baptiſta dicitur eſſe vbique: Chriſto autem patiente & reſurgente, vtrunq; verè dicitur, Deus pati, & homo ſe reſuſcitare; quia humanitas patiens eſt Dei propria humanitas, & Deitas reſuſcitans, eſt hominis propria Deitas, hoc eſt, pars ſubſtantiæ ſeu perſonæ ipſius exiſtit, non autem quia Deitas ſimul

Regula immota.

turæ diſtincta, in vnam hypoſtaſin, ſicut diſtincta proprietatibus, & tamen vnita ſubſtantiis, tanquam vnius ſubſtantiæ partibus diſſimilibus, corpus & anima ſunt in vno homine.

Idem docuerunt de Chriſto omnes veteres & orthodoxi Eccleſiæ ſcriptores, maximo & apertiſſimo conſenſu, qui inde ab Apoſtolis vſq; ad ſtabilitam in Eccleſia tyrannidem Antichriſtianam vixerunt. Doctrina Orthodoxæ vetuſtatis de Chriſto.

Ignatius, auditor Apoſtolorum, ſic ſcribit Smyrnæis, teſte Theodoreto: Certa & vera fide amplectimur Dominum noſtrum, qui eſt ex genere Dauidis ſecundùm carnem, Filius Dei ſecundùm Deitatem & potentiam, verè natum ex virgine, verè crucifixum pro nobis carne. *His verbis Deum fatetur ex genere Dauidis, ex virgine natum eſſe, crucifixum eſſe, non ſecundùm vtranq; naturam, nec reali cõmunicatione Idiomatum, ſed ſecundùm carnem: Et hominem Dei Filium eſſe ſecundùm Deitatem: & omnipotentiam ei tribuit, non ſecundùm carnem, ſed ſecundùm Deitatem.*

Sic ibidem dicit, eos abnegare Chriſtum, qui non fatentur, ab eo geſtari carnem. Si geſtat & ſeruat λόγος ſuam carnem: certè caro non eſt omnipotens. Nihil enim eſt ab omnipotentia magis alienum, quàm geſtari & ſeruari, & ſuſtentari ab alio.

Ibidem: Egò etiam poſt reſurrectionem in carne ipſum exiſtere ſcio & credo: Et cùm diſcipulis dixit: Contrectate me & ſpectate, quoniam non ſum dæmonium incorporeum, ſtatim vt ipſum contrectarunt, crediderunt.

Et ibidem: Si non vero corpore venturus eſt Dominus, quomodo videbunt eum, qui crucifixerunt ipſum? Rerum enim incorporearum neque ſpecies, neque effigies, neque figura eſt animantis certam formam habentis, propter naturæ incorporeæ ſimplicitatem. *Quid apertius eſt, quàm Ignatium in Chriſto non agnoſcere verum corpus, quod non ſit ſenſile & circunſcriptum?*

In colloquio cum Tryphone Iudæo. *Iuſtinus Martyr:* In accipientibus remiſſionem peccatorum ſemper adeſt ſua virtute; aderit verò etiã viſibiliter in ſecundo ſuo aduentu. *Præſentiam ergo inuiſibilem Chriſti agnoſcit eam tantùm, quæ eſt ſecundùm virtutem & potentiam diuinam, hoc eſt, Deitatem & Spiritum Chriſti: ſecundùm carnem autem nullam niſi viſibilem.*

In expoſitione fidei. *Et alibi:* Vnus igitur eſt Filius, & qui ſolutus eſt, & qui, quod ſolutum erat, reſuſcitauit. Quatenus enim homo, ſolutus fuit: quatenus autem Deus, reſuſcitauit.

Et ibidem: Sicut homo vnus eſt, habet autem duas in ſeipſo naturas differentes, & ſecundùm aliud quidem cogitat, videlicet, animo, ſecundùm aliud, vtpote manibus, quod cogitauit, exſequitur: ſic Filius vnus exiſtens, & duas naturas habens, ſecundùm aliam quidem ſigna diuina operatur, ſecundùm aliam verò humilia ſuſcipit. Quatenus enim ex Patre eſt & Deus, efficit miracula: quatenus autem ex virgine & homo, crucem & paſſionẽ & his ſimilia ſuſtinuit naturaliter.

Ibidem: Crede λόγον vbique adeſſe ſecundùm eſſentiam, & eximio modo exiſtere in templo proprio.

lib. 2. cap. 48. *Irenæus:* Quandoquidem & Dominus ipſe Filius Dei, ipſum iudicij diem & horam cõceſſit ſcire ſolum Patrem, manifeſtè dicens: De die autem illa & hora nemo ſcit, neque Filius, niſi Pater ſolus. Si igitur ſcientiam diei illius, Filius non erubuit referre ad Patrem, ſed dixit, quod verum eſt; neque nos erubeſcimus, quæ ſunt in quæſtionibus maiora nobis, reſeruare Deo.

lib. 5. ca. 1. *Idem:* Non aliter nos diſcere poteramus, quæ ſunt Dei, niſi Magiſter noſter verbum exiſtẽs, homo factus eſſet. Neque enim alius nobis enarrare poterat ea, quæ ſunt Patris, niſi proprium eius verbum: neque rurſus nos aliter diſcere poteramus, niſi magiſtrum videntes, & per auditum no-

ſtrum

ſtrum vocem eius percipientes. *Docet ergo, Chriſtum facere ſuum officium, diſtinctis & concurrentibus naturarum operationibus.*

Idem: Secundum id, quod verbum Dei homo erat, requieſcebat Spiritus Dei ſuper eum, & vngebatur ad Euangelizandum humilibus. Secundum autem quod Deus erat, non ſecundùm aſpectum iudicabat, neque ſecundùm loquelam arguebat. Non enim opus erat illi, vt quis ei teſtimonium diceret de homine, cùm ipſe ſciret, quid eſſet in homine. li. 3. ca. 10.

Et: Paſſus eſt requieſcente verbo, vt crucifigi & mori poſſet. *Non igitur paſſio eſt realiter communicata verbo.* li. 3. ca. 21.

Clemens Alexandrinus: Nunquam abſiſtit à ſpecula ſua FiliusDei: non diuiſus, non diſſectus, non tranſiens de loco in locum: vbique exiſtens ſemper, & nuſquam comprehẽſus, totus lux paterna, totus oculus, omnia videns, omnia audiens, ſciens omnia, potentia potentias perueſtigans. Strom. li. 7.

Et poſt pauca: Qui eſt virtus incomprehenſibilis ſenſu: Non enim, quod erat, hoc apparebat, Capere non valentibus propter infirmitatem carnis: ſenſilem autem aſſumens carnem, quod poterat, hominibus ſecundùm obedientiam præceptorum, oſtenſurus venit. *Diſcernit ergo Deitatem incircunſcriptam & inſenſilem à carne circunſcripta & ſenſili. Quod enim viſibile eſt, non eſt incircunſcriptum.*

Tertullianus de Trinitate: Si homo tantummodò Chriſtus, quomodo adeſt vbique inuocatus, cùm hæc hominis natura non ſit, ſed Dei, vt adeſſe omni loco poſſit?

Ibidem: Quòd ſi de cœlo miſſus eſt à Patre, non vtique homo tantùm eſt. Homo enim de cœlo venire non potuit. Non igitur antè homo fuit, ſed illuc aſcendit, vbi non fuit; Deſcendit autem Dei verbum, quod ibi fuit.

Idem de carne Chriſti: Nihil Deo par eſt; natura eius ab

omnium conditione diſtat.

Ibidem: Virtutes Spiritum Dei, paſſiones carnem hominis probauerunt.

Ibidem: Maluit Chriſtus naſci, quàm ex aliqua ſe parte mentiri, & quidem in ſemet ipſum, vt carnem geſtaret ſine oſſibus duram, ſine muſculis ſolidam, ſine ſanguine cruentam &c.

In ſymbolo. *Cyprianus vel Ruffinus*: Aſcendit ad cœlos, non vbi verbum Deus antè non fuerat, quippe qui erat ſemper in cœlis, & manebat in Patre, ſed vbi verbum caro factum antè non ſederat.

Oratione de Fide apud Theodoret. *Athanaſius:* Sede à dextris meis. Hæc de corpore Dominico dicta ſunt. Si enim cœlum & terram ego impleo, dicit Dominus: omnia autem continet Deus, à nullo autem continetur, in quánam ſede ſedet? Corpus ergo eſt, cui dicit: Sede à dextris meis.

Apolog. Dionyſii. *Idem:* Sicut palmites eiuſdem eſſentiæ cum vite, & ex ea: ſic & nos eiuſdem generis corpora habentes cum corpore Domini, ex plenitudine eius accipimus.

De incarnatione verbi. *Idem:* Λόγος non eſt colligatus corpori: ſed ipſe corpus continet, vt & in eo ſit, & extra omnia, & in ſinu Patris, neque cùm ſit in omnibus, ſit pars aliorum, ſed omnia vitam ſuſtentationemq; ab ipſo accipiunt.

Apud Theodor. dial. 3. *Euſtathius Antiochænus*: Corpus quidem ſublime cruci affigebatur; diuinus autem ſapientiæ Spiritus, & intra corpus degebat, & cœleſtia tranſcendebat, & totam circũdabat terram, & abyſſos occupabat, & ſingulorum animos penetrans diiudicabat, & omnia ſimiliter ſicut Deus, faciebat. Non enim intra corporales moles, ſuprema ſapientia coërcita continetur, ſicut liquida & ſicca in vaſis includuntur, & iis potiùs continentur, quàm ea continent; ſed diuina quædam & ineffabilis exiſtens potentia, intima

&

& extima ſui templi complectens continet, & hinc illuc pertingens, omnes ſimul magnitudines ambitu ſuo continet.

Gregorius Nyſſenus: Non viuificat Lazarum humana natura, neque deflet mortuum potentia impaſſibilis: ſed propriæ hominis erant lacrymæ: vitæ autem ea, quæ ſunt veræ vitæ. Non paſcit Chiliadas humana inopia, neque currit ad ficum omnipotens eſſentia. Quis eſt qui fatigatur ex itinere, & quis ſine labore totum mundum ſuſtentans verbo? Quid eſt gloriæ ſplendor, & quid clauis confixum? Quæ forma in paſſione percutitur: & quæ ab æterno glorificatur? Manifeſta quippe ſunt hæc, etiamſi nemo ſermone explicet. Cōtra Eunomiū apud Theod. dial. 3.

Baſilius: Ego vobiſcū, dicit Dominus, & Spiritus meus ſtat in medio veſtrum. Qui verò vbique eſt, & Deo adeſt, cum qualis naturæ putare cōuenit? Eiúſne, quæ omnia complectitur, aut eius, quæ particularibus locis includitur, qualem eſſe angelorum naturā, Scriptura ipſa oſtēdit? De Spiritu ſancto. ca. 22.

Didymus Alexandrinus: Ipſe Spiritus ſanctus ſi vna de creaturis eſſet, ſaltem circunſcriptam haberet ſubſtantiā, ſicut vniuerſa, quæ facta ſunt. Nam ſi non circunſcribantur loco & finibus inuiſibiles creaturæ; tamen proprietate ſubſtantiæ finiuntur. Spiritus autem ſanctus, cùm in pluribus locis ſit, non habet circunſcriptam ſubſtantiam. *Si ex vbiquitate probatur Deitas Spiritus ſancti: non ergo cōpetit naturæ humanæ in Chriſto. Alioqui argumentum hoc Patrum iſtorum eſſet nullum.* De S. ſancto.

Ambroſius: Ieſus proficiebat ſapientia & gratia. Quomodo proficiebat Sapientia Dei? Doceat te ordo verborum. Profectus ætatis, & profectus ſapientiæ, ſed humanæ eſt. Ideò ætatem antè præmiſit, vt ſecundùm hominem crederes dictum. Aetas enim non diuinitatis, ſed corporis eſt. De incarnationis ſacramento. cap. 7.

Ergo ſi proficiebat ætate hominis, proficiebat ſapientiâ hominis. Sapientia autem ſenſu proficit, quia à ſenſu ſapientia. Ieſus autem proficiebat ætate & ſapientia. Quis ſenſus proficiebat? Si humanus, ergo ipſe ſuſceptus eſt; Si diuinus, ergo mutabilis per profectum. Quod enim proficit, vtique mutatur in melius. Sed quod diuinum eſt, non mutatur. Quod ergo mutatur, non vtique diuinum. Senſus igitur proficiebat humanus; ſenſum ergo ſuſcepit humanum. Et vt ſciamus, quia ſecundùm hominem loquebatur, præmiſit dicens: Puer autē confortabatur, & creſcebat, & implebatur ſapientia. Et puer noſtræ nomen ætatis eſt: nec confortari virtus poterat Dei: nec creſcere Deus: nec altitudo ſapientiæ Dei: nec plenitudo Diuinitatis impleri. Quæ igitur implebatur, erat non Dei, ſed noſtra ſapientia.

Et mox: Sapientiam enim Dei futura & occulta non fallunt; Expers autem agnitionis infantia, per humanam vtique imprudentiam, quod adhuc non didicit ignorat. Nec verendum eſt, ne ſi duos principales ſenſus Chriſto tribuimus, Chriſtum diuidamus.

De fide ad Gratia. Imper. lib. 3. cap. 4. *Idem:* Dominus Maieſtatis dicitur crucifixus, quia cōſors vtriuſque naturæ, id eſt, humanæ atque diuinæ. In natura hominis ſubiit paſſionem, vt indiſcretè Dominus Maieſtatis dicatur eſſe, qui paſſus eſt: Et Filius hominis (ſicut ſcriptum eſt) qui deſcendit de cœlo. Per naturam igitur hominis & dubitauit, & tæduit, & reſurrexit. Quod enim cecidit, hoc reſurrexit. Per naturam hominis dicit etiã illud, de quo calumniari ſolent, quia dictum eſt: Vado ad Patrem, quia Pater maior me eſt. Quomodo vadit, niſi per mortem? & venit niſi per reſurrectionem?

Et ibidem: Neque enim Deus de loco in locum tranſit, qui vbiq; ſemper eſt, vt homo eſt, qui vadit, ipſe eſt qui venit.

nit. Deniq; & alibi dicit; Surgite eamus. In eo ergo vadit & venit, quod eſt cõmune nobiſcũ. Nam quomodo poteſt minor eſſe Deus, cùm Deus perfectus & plenus ſit? ſed minor in natura hominis. *Hæc ille; in quibus nihil eſt de diſpenſatione, qua contradictoria ſimul vera ſint de natura humana, quam dicit non omniſciam, non omnipotentem, non omnipræſentem fuiſſe & eſſe, abſq; vlla perſonæ Chriſti diuulſione.*

Auguſtinus: Nam ſpatia locorum tolle corporibus, & nuſquam erunt, & quia nuſquam erunt, nec erunt. Ad Dardanum.

Et ibidem: Sic venturus eſt, illa angelica voce teſtante, quemadmodum ire viſus eſt in cœlum, id eſt, in eadem carnis forma atque ſubſtantia, cui profectò immortalitatem dedit, naturam non abſtulit. Secundùm hanc formam nõ eſt putandus vbique diffuſus. Cauendum eſt enim, ne ita Diuinitatem aſſtruamus hominis, vt veritatem corporis auferamus. Non eſt autem conſequens, vt quod in Deo eſt, ita ſit vbique vt Deus.

Et: A quibus homo abſcedebat, Deus non recedebat: In Ioh. Tract. 78. & idem ipſe Chriſtus homo & Deus. Ergo & ibat per id, quod homo erat, manebat per id, quod Deus erat. Ibat per id, quod vno loco erat, manebat per id, quod vbique erat.

Atq; in eandem ſententiam apud Auguſtinum ſunt plurima.

Chryſoſtomus: Iubet nos, vt cum caritate & concordia In 1. Cor. hom. 24. maxima ad ſe accedamus, & aquilæ in hac vita facti, ad ipſum cœlum ſubuolemus, vel potiùs ſuper cœlum. Vbi enim cadauer, ibi & aquilæ.

Cyrillus: Sic quæ de Chriſto dicuntur, intelligenda ſunt, lib. 5. de Trin. vt nec quæ Deitati conueniunt, humanitati ipſius tribuantur, nec quæ humanitatis propria ſunt, ad Deitatem ipſius detorqueantur.

Theodoretus: Igitur corpus Dominicum ſurrexit qui- Dial. 2. dem à corruptione & interitu alienum, & impatibile &

immortale,& diuina gloria glorificatum, & à cœleſtibus adoratur poteſtatibus: Corpus tamen eſt, & habet, quam priùs habuit, circunſcriptionem.

Ibidem: Sic ergo etiam de Chriſto loqui conuenit: & cùm de naturis diſputamus, tribuere vtrique conuenientia, & ſcire, alia diuinitatis, alia humanitatis eſſe propria. Quando autem verba de perſona facimus, communia oportet facere naturarum propria, & hæc & illa, & Seruatori Chriſto adaptare, & eundem nominare & Deum & hominem.

Epiſtola ad Flauia. cap.4.

Leo: Agit enim vtraque forma cum alterius communione, quod proprium eſt, verbo ſcilicet operante, quod verbi eſt, & carne exequente, quod carnis eſt. Vnum horum coruſcat miraculis, aliud ſuccumbit iniuriis. Et ſicut verbum ab æqualitate paternæ gloriæ non receſſit: ita caro naturam noſtri generis non reliquit.

Ad Thraſimund. lib.2.

Fulgentius: Vnus idemq; homo localis ex homine, qui eſt Deus immenſus à Patre. Vnus idemque ſecundùm humanam ſubſtantiam abſens cœlo, cùm eſſet in terra, & derelinquens terram, cùm aſcendiſſet in cœlum. Secundùm diuinam verò immenſamque ſubſtantiam, nec cœlum dimittens, cùm de cœlo deſcendit, nec terram deſerens, cùm in cœlum aſcendit.

lib. 1. contra Eutychen.

Vigilius: Cum Patre ſemper vbique eſt totus, pari diuinitate, quem nullus continet locus. Plena ſunt quippe omnia Filio, nec eſt aliquis locus præſentia diuinitatis eius vacuus. Vnde ergo, & quò ſe iturum dicit, aut quomodo ſe ad Patrem perrecturum aſſerit, à quo ſine dubio nunquam receſſit? Sed hoc erat ire ad Patrem, & recedere à nobis, auferre de hoc mundo naturam, quam acceperat ex nobis. Vides ergo, eidem naturæ proprium fuiſſe, vt auferretur & abiret à nobis, quæ in fine temporum reddenda eſt nobis?

ſecun-

glorificatione ſui omnes depoſuit, vt iam ſit morti, paßioni, fatigationi, dolori, ignominiæ, ignorantiæ non amplius obnoxius: Aliæ ſunt gloriæ & Maieſtatis, vt robur, agilitas, incorruptibilitas, fulgor, ſapientia, lætitia & virtus, & quicquid ad gloriam, perfectionem & beatitudinem ſummam pertinet. Has etiam in humilitate ſua Chriſtus habuit, quatenus ad puritatem & ſanctitatem perfectam, & adminiſtrationem officij ſui in terris, requirebantur: In exaltatione verò, tale earum incrementum accepit, quod numero & gradibus donorum, non tantùm omnem angelorum & hominum excellentiam & gloriam cœleſtem, ſed etiam dona humana Chriſti naturæ in humilitate conſtitutæ longißimè excedit. Peracto enim ſacrificio & miniſterio ſuo in terris, profectus in cœlum, ibi conſedit ad dexteram Patris, exaltatus in regno & ſacerdotio ſuo, quod iam adminiſtrat in humana natura, cœleſti & diuina gloria refulgente, palàm in ea diuinitatis ſuæ virtutem exerens, in angelorum & hominum ſanctorum conſpectu, diuinam auctoritatem & imperium in omnes creaturas ſibi vſurpans, atq; ita reipſa oſtendens, ſe, qui in terris ſe geſſerat tãquam omnium ſeruum, verè eſſe Dominum gloriæ, Filium Dei, cum patre ſuo verum & vnum Deum, qui patris nomine & voluntate ſeruat & gubernat omnia, præſertim verò Eccleſiam, & per quem Pater vniuerſa ſua opera perficit, ac propterea facultatibus etiam, & donis, & gloria viſibili naturæ humanæ, omnibus creaturis, tanquam caput membris, & Rex ſuis ſubditis, ineffabiliter antecellit, & ab omnibus angelis & hominibus, pari honore cum Patre & Spiritu ſancto colitur, & adoratur.

Propria gloriæ & Maieſtatis.

Seſſio ad dexteram.

Quantum ergo ad proprietates diuinas attinet, eas habuit Chriſtus in humilitate ſua, non minus quàm nunc habet in gloria. Hæ enim ſunt ipſa æterna & immutabilis diuinitas. Aequè tunc erat omniſcius, omnipotens, & vbiq; præſens, atq; nunc eſt, etiamſi tunc non æquè hoc manifeſtabat. Occultauit enim diuinitatem ſuam in humilitate, & modicè patefecit, quãtum videlicet

ſatis erat ad illius temporis officium: Poſt exaltationem verò, quæ eſt conſummata gloriæ Chriſti patefactio & vſurpatio, palàm ea quæ priùs in ipſo latebant, habere ſe oſtendit dictis factiſq; & omnibus ſignis manifeſtis ac certis, perſonaliter in ipſo habitantis Deitatis.

Quantum verò ad proprietates humanas, ex iis quoq; Eſſentiales habet & retinet in vtroq; ſtatu eaſdem in perpetuum. Accidentarias autem humiles quidem omnino depoſuit; at glorioſas & perfectiuas ſibi auxit vſq; ad ſummam, quæ in creatam naturam cadere poteſt, perfectionem. Et quia ipſius caro Dei caro eſt, non illæ tantùm virtutes in ea lucent, quæ extra hanc vnionem cum Deitate poſſent in creaturam cadere, ſed plures etiam & maiores, quàm omnes aliæ creaturæ poſſint capere, quæ tamen licèt ſupra naturam ſint, non tamẽ contra naturam ſunt, & proprias atque eſſentiales naturæ humanæ & creatæ non tollunt nec deſtruunt, vt caro noſtra & ſemen Dauidis, ad dexteram Dei ſedeat & regnet in æternum.

In hac doctrina de Chriſto nihil eſt, quod Scriptura ſacra non
a Ioh. 1. 14. *doceat.* a *Sermo Dei æternus & vnigenitus à Patre dicitur fa-*
b 1. Ioh. 4. 2. *ctus caro: Carnis autem nomen veritatem naturæ humanæ &*
humiliationem exprimit. b *Dicitur Chriſtus in carne veniſſe:*
c 1. Tim. 3. 16. c *Deus in carne apparuiſſe:* d *Omnis plenitudo Deitatis in Chri-*
d Col. 2. 9. *ſto habitare corporaliter:* e *Filius Dei carnis & ſanguinis factus*
e Heb. 2. 14. 16. *eſſe particeps; & ſemen Abrahami aſſumſiſſe:* f *Et Chriſtus eſſe*
f Rom. 9. 5. & 1. 3. *ex ſemine Dauidis & ex Iudæis ſecundùm carnem, exiſtens Deus*
ſuper omnes laudandus in ſecula.
g 1. Tim. 3. 16. *Eſt ergo Chriſtus vna perſona conſtans ex duabus naturis di-*
h Ioh. 3. 13. *ſtinctis: Vnionis autem naturarum imperueſtigabilis dicitur eſſe*
i Ioh. 6. 62. g *myſterium magnum. Ipſe Dominus ait,* h *ſe deſcendiſſe de cœ-*
lo, & verſantem in terra, eſſe in cœlo, i *& rurſus aſcenſurum in*
k Ioh. 16. 28. *cœlum, vbi erat prius:* k *ſe abire et mundum relinquere:* l *redi-*
l Ioh. 14. 3. *turum è cœlo ad aſſumendos fideles ad ſe, vt vbi eſt ipſe, ſint etiam*
illi

illi cum ipſo: idq́; [a] *viſibiliter, teſtibus angelis, quemadmodum* a Act. 1. 11. b Matth.
conſpectus eſt aſcendere: [b] *Et tamen ſe manere nobiſcum vſque* 28.20.
ad finem ſeculi; [c] *eſſe in medio ſuorum,* [d] *& venire ad ipſos,* [e] *&* c Matth.
habitare in ipſis cum Patre & Spiritu ſancto. Eſt igitur in ipſo 18.20. d Ioh. 14.
natura, quæ prius fuit in cœlo, quàm aſſumeret carnẽ in terra, & 3.
quàm carnem in cœlum eueheret, & quæ in terra manet, poſtquã e Ioh. 14.
caro aſcendit in cœlum: eſt in ipſo aliud, quod in terra naſcitur 23.
& degit, aſcendit & deſcendet viſibiliter & localiter; & aliud,
quod in Patre & in ſanctis ſemper manet inuiſibiliter in cœlo &
in terra. Et tamen horum vtrunq; vnus idemq́; Chriſtus eſt, Dei
& hominis Filius. Et ſicut verè dicitur Filius hominis fuiſſe in
cœlo ante carnem in terra aſſumtam, etſi non fuerit ibi ſecundùm
carnem, ſed ſecundùm Deitatem ſuam: ſic verè dicitur idem Fi-
lius hominis eſſe in cœlo antequam aſcendit, etſi non ſecundùm
carnem, ſed ſecundùm Deitatem ſuam.

[f] *Creſcebat Ieſus ſapientia & gratia apud Deum & homines:* f Luc. 2. 52.
[g] *ignorabat ficus non eſſe in arbore, donec ſenſu cognoſceret:* [h] *igno-* g Marc. 11.
rabat diem & horam iudicij: [i] *& tamen ſciebat omnia,* [lz] *& ſi-* 13. h Mar. 13.
ne alienò indicio norat, quid lateret in hominibus: [l] *& pater o-* 32.
ſtendebat ei omnia opera ſua: [m] *vnctus eſt Spiritu ſancto præ con-* i Ioh. 21. 17.
ſortibus ſuis: [n] *& tamen ipſe eſt, qui baptizat Spiritu ſancto.* lz Ioh. 2.

Eſt ergo duplex in eo intellectus, cognitio & ſapientia; æqualis 25. & 6. 64.
ſapientiæ Patris, & minor quàm Patris, ac maior quàm angelo- l Ioh. 5. 20. m Heb. 1.
rum & hominum ſapientia. 9.

[o] *Fatigabatur ex itinere:* [p] *& tamen geſtabat omnia verbo* n Ioh. 1. 33. o Ioh. 4.
ſuo potenti: Ergo duplex in eo erat robur, humanum & fatiga- 6.
bile, diuinum & omnipotens. [q] *Ipſe templum corporis ſui de-* p Heb. 1. 3.
ſtructum à Iudæis reſuſcitat; [r] *animam ſuam depoſitam reſu-* q Ioh. 2. 19. r Ioh. 10.
mit. Erat igitur aliud in eo moriens, aliud reſuſcitans: Et ta- 18.
men [ſ] *Dominus gloriæ crucifixus eſt;* & [t] *Deus ſuo ſanguine re-* ſ 1. Cor. 2. 8.
demit Eccleſiam. Vnus ergo & idem eſt crucifixus & mortuus, t Act. 20.
quà homo eſt: & nõ crucifixus nec mortuus, quà Deus eſt, ſemper 28.

a 1. Pet. 3. 18. *viuens & ipſa vita, omnes viuificans,* [a] *mortuus carne, viuificatus autem Spiritu.*

b Luc. 24. 39. *Quinetiam poſt glorificationem* [b] *iubet ſe à diſcipulis aſpici, contrectari, quia Spiritus carnem & oſſa non habeat, ſicut ipſum videbant habere.* [c] *Aſcendit & aſſumtus eſt ſurſum à diſcipulis, ipſis aſpicientibus, & ſic eſt illinc rediturus, quò aſcendit, localiter & viſibiliter. Ergo proprietates naturæ humanæ eſſentiales non depoſuit.*
c Marc. 16. 19.
Act. 1. 9. & 11.

d Matth. 28. 18. & Ioh. 17. 2. [d] *Dedit ei Pater omnem poteſtatem in cœlo & in terra:* [e] *nomen ſuper omne nomen:* [f] *fecit eum caput Eccleſiæ ſuper omnia: & collocauit eum ad dexteram ſuam in cœlis. Ergo etiam quatenus homo eſt, Dominus eſt omnium creaturarum, ius habet de omnibus ſtatuendi & faciẽdi, quod ipſi viſum eſt; atq; etiam quæ vult humana ſua voluntate, Deitatis ſuæ potentia valet efficere:* [g] *viuificat quos vult,* [h] *dat vitam æternam* [i] *& Spiritũ ſanctũ.*
e Phil. 2. 9.
f Eph. 1. 22. & 20.
g Ioh. 5. 21.
h Io. 10. 28.
i Io. 20. 22.

Hæc ſunt propria Dei omnipotẽtis & vbiq; præſentis opera. Eſt igitur hic homo Deus omnipotens & vbique præſens; non tamen ſecundùm humanitatem ſuam: quia dicitur collocatus ad dexteram Dei [lz] *in cœlis, & conſediſſe ad dexteram Dei* [l] *profectus in cœlum. Ibi enim verſatur natura ſua humana: & tamen eius ſcitu & voluntate efficit opera ſua diuina, per vbiq; præſentem, & omnipotentem Deitatem ſuam.*
lz Eph. 1. 20.
l Act. 1. 10.

m Luc. 21. 27. [m] *Videbitur veniens in nubibus* [n] *cum angelis ipſi miniſtrãtibus, in gloria Patris,* [o] *ſedẽs à dextris virtutis:* [p] *Vidit Stephanus Ieſum ſtantem à dextris Dei in cœlis: Humana itaque natura etiam habens eam gloriam & maieſtatem, quæ Deitatem ipſi vnitam euidenter teſtetur, tamen erit viſibilis & circunſcripta, de loco in locum mobilis, & vno tempore vno tantùm loco exiſtens,* [q] *& quidem nunc in cœlo, donec redeat ad reſtitutionẽ omnium.* [r] *Subiecta ſunt ei omnia in æternum:* [ſ] *Et tamen ipſe quoque Filius, tradens regnum Deo & Patri, ſubiectus erit ei, vt Deus ſit omnia in omnibus. Sic ergo natura Filij humana eſt exaltata*
Matth. 24. 30.
n Matth. 25. 31.
o Luc. 22. 69
p Act. 7. 55.
q Act. 3. 21.
r 1. Cor. 15. 27.
ſ Ibid. 28.

tata ſuper omnes alias creaturas, vt tamen eminentia Deitatis ſuper eam quoq; maſſam naturæ humanæ aſſumtam à Filio, in æternum conſpiciatur.

Eadem hæc doctrina continetur etiam in ſymbolis Chriſtianorum Catholicis, è Scriptura deſumtis. In Symbolo Apoſtolico Symbolū Apoſtolicum. *profitetur Eccleſia ſe credere in Deum, qui eſt Pater & Filius eius vnigenitus, & Spiritus ſanctus: Et hunc Filium Dei Deum, in quem credendum eſt, eſſe Ieſum Chriſtum, conceptum de Spiritu ſancto, natū ex Maria virgine. Sunt ergo in vna perſona diſtinctæ duæ naturæ. Atq; hic Dei & hominis Filius eſt non apparenter ſed verè natus ex virgine: Non ergo ante partum fuit extra vterum maternum, nec in eo manſit ſuo corpore poſt partum. Verè paſſus eſt, crucifixus & mortuus & ſepultus: non ergo ſimul fuit vbiq; viuus & glorioſus, quando mortuus pependit in cruce & iacuit in ſepulcro: Neq; manſit eius anima in corpore, cùm expirauit in cruce; ſed verè diuulſa & loco ſeparata eſt à corpore: neutrū ergo fuit vbiq;. Et tamen vnigenitus Dei Filius dicitur mortuus: Ergo nec in morte λόγος à ſua anima & ſuo corpore ſeparatus fuit. Verè reſurrexit: Ergo ante reſurrectionem non erat extra, nec poſt reſurrectionem intra ſepulcrum manſit ſuo corpore, ſicut angeli dicunt: Surrexit, non eſt hîc. Verè aſcendit in cœlum,* Matth. 28. 6. *& ibi conſedit ad dexteram Patris, & inde rediturus eſt ad iudicandum viuos & mortuos. Non igitur habuit gloriam & Maieſtatem ſuam natura humana in Chriſto antè quàm aſcēdit in cœlum: ſed quàm verè non priùs reſurrexit ex morte, quàm eſt mortuus, tam verè non priùs eſt ingreſſus in gloriam ſuam, non priùs aſcendit in cœlum & conſedit ad dextram Dei, quàm ex morte reſurrexit: nec ante aſcenſionem caro ipſius erat in cœlo, nec poſt aſcenſionem eſt in terra, donec redeat: neq; diſparuit & inuiſibilis & inſenſilis facta eſt, neque in omnia loca diſceſſit, ſed ſurſum eleuata eſt ſuper omnes cœlos, & ibi nunc in diuina gloria & Maieſtate imperiū exercet in omnes creaturas, intercedit pro fidelibus,*

& ſalutem eorum curat, & vnà cum Deitate ſibi vnita facit partes regij & ſacerdotalis officij, ſuas tamen proprietates eſſentiales retinens; collocata eſt enim ad dexteram Maieſtatis in cœlis, in excelſis: ſic igitur ſecundùm eam quoque naturam facit Chriſtus ſuum officium, vt ea non ſit vbiq; cum Deitate, ſed in cœlis.

Nicenum. *Addit Symbolũ Nicenũ, Filiũ Dei verum Deum, ſic eſſe factum hominem, vt incarnatus ſit. Neq; igitur ipſe in carnis naturã eſt mutatus, receptis in ſe realiter carnis ꝓprietatibus, neq; carnẽ in ſuam naturã mutauit, cõmunicatis ei realiter proprietatibus diuinis: ſed verus Deus exiſtens & manẽs, veram carnẽ exiſtentem & manentem, in vnitatem ſuæ perſonæ ſibi copulauit.*

Athanaſianum. *Idem in Athanaſiano Symbolo exprimitur, vbi dicitur* perfectus Deus, perfectus homo. *Perfectus autem homo non eſt, niſi qui proprietatibꝰ eſſentialibus humanæ naturæ verè eſt præditus: ſicut nec Deus perfectus eſt, niſi omnem Deitatis plenitudinem, hoc eſt, Eſſentiales Dei proprietates omnes in ſe habens. Aliã ergo Dei, aliam hominis perfectionem conſtituit, qua vtranq; naturam diſcerni vult, non autem exæquari. Propterea ſubiungit:* Ex anima rationali & humana carne ſubſiſtens: *quo ſignificatur, non in reali transfuſione proprietatum, ſed in ſubſiſtentia & conſtitutione ſubſtantiæ vnius perſonæ, vnionem perſonalem conſiſtere; naturarum autem diſcrimen & proprietatum perpetuò manere: Anima enim rationalis, nec eſſentia nec ſapientia æqualis eſt Deitati, & caro humana ſemper manet ſenſilis & circunſcripta certo loco, quantitate & figura, nec admittit proprietates naturæ ſpiritualis & incorporeæ, nedum eſſentiæ diuinæ. Vtq; omnes cauillationes & gloſſæ alienæ excludantur, diſertè additur:* Aequalis Patri ſecundùm Deitatem, minor Patre ſecundùm humanitatem: qui licèt Deus ſit & homo, non duo tamen ſed vnus eſt Chriſtus. vnus autem non conuerſione diuinitatis in carnem, ſed aſſumtione humanitatis in Deum: vnus omnino non confuſione ſubſtantiæ, ſed vnitate

nitate perſonæ. Nam ſicut anima rationalis & caro vnus eſt homo: ita Deus & homo vnus eſt Chriſtus. *His verbis apertè cōfitetur Eccleſia, Chriſtū ſalua vnitate perſonæ etiā ſublatū in cœlū, & collocatū ad dexterā Patris, ſecundùm humanitatē eſſe minorē Patre; cùm tamen etiā ſecundùm hanc ſit omnibus creaturis maior. Exprimitur etiam cauſſa, quare naturarū inæqualitas nō ſoluat vnitatē perſonæ: quia nimirū vnio hypoſtatica, non ſit naturarū ſecundùm eſſentiā aut ꝓprietates exæquatio, ſeu realis proprietatū vnius cum altera cōmunicatio, quæ reuera eſſet humanitatis in Deitatem cōuerſio, & naturarum confuſio; ſed arcana copulatio ad conſtituendam vnius Chriſti ſubſtantiā, ſicut anima & corpus vniuntur ad conſtitutionē vnius hominis.* Vnio hypoſtatica.

Amplius autem turbantibus Eccleſiam hæreticis, plenior etiam declaratio eſt oppoſita corruptelis Eutychianis in confeſſione Chalcedonenſi; Vnum & eūdem confitemur Filium, Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, perfectum in Diuinitate, & eundem perfectum in humanitate: verum Deum & verum hominem; eundem ex rationali anima & corpore: coëſſentialem Patri ſecundùm Diuinitatē, & coëſſentialē nobis ſecūdùm humanitatem, per omnia nobis ſimilem, demto peccato: ante ſecula genitum ex Patre ſecūdùm diuinitatē, poſtremis verò diebus propter nos & propter noſtram ſalutem, ex Maria virgine & Deipara, ſecundùm humanitatē; vnum & eundem Ieſum Chriſtum, Filium Dei, Dominum & vnigenitū, in duabus naturis, inconfuſè, inconuertibiliter, indiuulsè & inſeparabiliter manifeſtatū: haud quaquā differētia naturarū propter vnitatē ſublata, ſed magis vtriuſq; naturę in vnā perſonā & vnā hypoſtaſin cōcurrētis, ꝓprietate ſeruata: nō vt in duas perſonas bipartiatur aut diuidatur, ſed vt ſit vnus & idē Filius vnigenitus, Deus verbū & Dominus noſter Ieſus Chriſtus, ſicut de illo olim prophetæ vaticinati ſunt, & ipſe nos Chriſtus inſtruxit, & patrum noſtrorum ſymbolum tradidit. Symbolū Chalcedonenſe.

ſecundùm atteſtantium vocem angelorum: Hic Ieſus, qui receptus eſt à vobis, ſic veniet, quemadmodum vidiſtis eum euntem in cœlum. Nam vide miraculum, vide vtriuſque proprietatis myſterium. Dei Filius ſecundùm humanitatem ſuam receſſit à nobis: ſecundùm diuinitatē ſuam ait nobis: Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus, vſque ad conſummationem ſeculi. Si nobiſcum eſt, quomodo ait: Venient dies, quando deſideretis Filium hominis, & non videbitis? Sed & nobiſcum eſt, & non eſt nobiſcum: quia quos reliquit, & à quibus diſceſſit humanitate ſua, non reliquit neque deſeruit Diuinitate ſua. Per formam enim ſerui, quam abſtulit à nobis in cœlum, abſens eſt nobis, per formam Dei, quæ non recedit à nobis in terris, præſens eſt nobis. Tamen præſens & abſens vnus idemque eſt nobis.

Idem: Deinde ſi verbi & carnis vna natura eſt, quomodo cùm verbum vbique ſit, non vbique inueniatur & caro? Namque quando in terra fuit, non erat vtique in cœlo: Et nunc quia in cœlo eſt, non eſt vtique in terra: Et in tantum non eſt, vt ſecundùm ipſam Chriſtum expectemus venturum de cœlo, quem ſecundùm verbum nobiſcum credimus eſſe in terra. Igitur ſecundùm vos, aut verbum cum carne ſua loco continetur, aut caro cum verbo vbique eſt; quando vna natura contrarium quid & diuerſum non recipit in ſeipſa. Diuerſum autem eſt, & longè diſſimile, circunſcribi loco, & vbique eſſe. Et quia verbum vbique, caro autem eius vbique non eſt, apparet vnum eundemque Chriſtum vtriuſque eſſe naturæ, & eſſe quidem vbique, ſecundùm naturam diuinitatis ſuæ; & loco contineri, ſecundùm naturam humanitatis ſuæ &c. lib. 4.

Et ſubiungit: Hæc eſt fides & confeſſio Catholica, quam Apoſtoli tradiderunt, Martyres roborauerunt, &

fideles nunc vſque cuſtodiunt.

His congruentia horum & aliorum Patrum, atq; etiam Scholaſticorum teſtimonia paſsim obuia ſunt, vt facilè poſsint plurima colligi, & multa in noſtrorum ſcriptis bona fide recitata inuenient lectores, vt plura hoc loco congerere non videatur neceſſarium. Cæterùm, quæ his opponunt Theologi, ſuo loco videbuntur.

CAPVT II.

De ſacra Cœna veræ doctrinæ repetitio.

DE *Cœna Domini, cùm ſit facilior controuerſia, veritatem quærentibus, breuiùs noſtræ doctrinæ toties & tam copioſè à plurimis explicatæ, ſummam poſſumus repetere, vt etiam de hoc articulo nihil nos nouum, nihil hæreticum ſentire aut docere in conſpectu ſit.*

Cœnam Domini Sacramentum eſſe, vtrinque eſt in confeſſo. Sacramenta quid ſint, & cur diuinitus instituta. *Sunt autem Sacramēta ritus ſeu ceremoniæ, quarum vſum Deus inde ab initio præcepit ſuæ Eccleſiæ; vt fideles per eas commonefaciat de collatis in eos Chriſti beneficiis, his tanquam ſimilitudinibus & picturis ob oculos poſitis; & promiſſione gratiæ ad ſingulos vtentes applicata ſeu reſtricta, fidem illorum exerceat & corroboret, Spiritu ſancto, per verbum ſimul & ſignum promiſſionis, tanquam geminum teſtimonium voluntatis Dei erga ipſos, mouente corda ad credendum; ac beneficiorum verbo & ſigno promiſſorum, eos pro incremēto fidei, magis magiſq́ participes faciat;* I. *& hoc modo de gratia ſua admonitos & confirmatos ad priuatam & publicam ac ſolennem ſuorum beneficiorum confeſſionem ac celebrationem, & totum gratitudinis ſtudium excitet, & horum rituum obſeruatione, tanquam præſcripta confeſſionis & prædicationis publicæ forma, conuocet ac perducat:* II. *Tum etiam, vt Eccleſiam ſuam ab omnibus aliis mūdi ſectis diſcernat, & memoriam ſolennem atq́ aſſiduam beneficiorum ſuorum in ea foueat;* III. *Deniq́ ad congreſſus publicos, & vſum miniſterij, mutuamq́ dilectionem ſingula Eccleſiæ membra arctiùs deuinciat.* IIII.

Ideo vocata in Eccleſia ſunt Myſteria, quia ſignificāt res arcanas & ignotas illis, qui verbo Dei de ſignificatione & vſu eorum Appellationes Sacramēto-

rũ in Scripturis & Eccleſia receptæ.

non ſunt edocti ; Signa item gratiæ, & ſymbola ſpiritualium beneficiorum Dei. Vocãtur in Scriptura ſigilla iuſtitiæ fidei, ſigna fœderis inter Deum & fideles, quod fœdus eſt reconciliatio cum Deo per Chriſtum. Deus enim illa nobis per manum miniſtrorũ ſuorum porrigens, ſicut per os ipſorum nos alloquens, teſtatur, ſe Deum noſtrum eſſe, & verè nobis dare ſignificata & promiſſa beneficia: & nos accipientes ea, tanquam ex ipſius manu, profitemur & teſtamur in conſpectu totius Eccleſiæ, & omnium creaturarum, nos eſſe & perpetuò manere velle ipſius populum, eiq́ debere perpetuam gratitudinem pro beneficiis ab ipſo acceptis. Atq́ ita ſunt ſolennis & mutua teſtificatio & confirmatio initi à Deo nobiſcum æterni fœderis, in manu Mediatoris Chriſti, & obligatio mutua ad fidem, nobis à Deo, & Deo à nobis inuiolatè & ſanctè perpetuò ſeruandam, noſtriq́ ab omnibus hoſtibus Dei, publica ſeiunctio, & ad Chriſtum aggregatio.

Analogia verbi & Sacramentorum.

Cùm ergo ſint ſigna addita à Deo promiſſioni gratiæ, liquet, in iis aliud non ſignificari, repræſentari, promitti, obſignari, dari & accipi, niſi quod in promiſſione Euangelica beneficiorum Chriſti offertur. Liquet etiam, omnia Sacramenta monſtrare & promittere communionẽ Chriſti & beneficiorum eius vnã & eandem, videlicet, in Euangelio promiſſam & declaratam, & omnibus ad ſalutem æternam neceſſariam, ſiue perueniãt ſiue non perueniant ad Sacramentorum participationem.

Sacramentorum vtriuſque Teſtamẽti collatio.

Differunt tamen ſicut concio gratiæ, ſic etiam Sacramenta in veteri & nouo Teſtamẽto, quòd illa per exhibendum, hæc per exhibitum Chriſtum, ſalutem promittunt. Differunt etiam vtraq́, circũſtantiis rituum, partium beneficij Chriſti in ſpecie ſignificatarum, & finium particularium: Conueniunt autem in ſignificatione beneficij totius, & in finibus principalibus.

Signorum & rerum ſignatarũ analoga perceptio.

Liquet etiam ex his, quòd res ſignificatæ differunt à ſignis ſacramentalibus, & cum iis cohærent, ſicut differunt à voce prædicati Euangelij, & cum ea cohærent. Voces auribus, ſymbola oculis & aliis ſenſibus

ſenſibus corporis accipiũtur; res autem vtriſq; ſignificatæ, animo & corde per fidem à Spiritu ſancto accenſam & excitatam: Voces & ſymbola ex ore & manu miniſtrorum Chriſti; res iis ſignificatæ, non niſi Spiritus ſancti in cordibus operatione accipiuntur in vſu legitimo.

Liquet etiã, qui ſit verus & legitimus ac ſalutaris Sacramentorum vſus. Sicut enim tum rectè auditur verbum Dei, & cum fructu, cùm non hominum commẽta, ſed verba Dei rectè, hoc eſt, ſecundùm diuinam declarationem intellecta audiuntur, hoc animo, propoſito ac deſiderio, vt veritas ac voluntas Dei cognoſcatur, eiq; credatur & obtemperetur; ſecùs verò audientibus omnis doctrina & promiſſio diuina, nihil eſt niſi inanis ſonitus, & occaſio grauioris pœnæ: Sic & Sacramenta tum rectè & legitimè vſurpantur, tum ſunt organa Spiritus ſancti ad fidem, & per fidem ad Chriſti communionem in nobis firmandam & augendam, tum ſimul res cum ſignis accipiuntur; quando non ritus confictì ab hominibus, ſed inſtituti à Deo, ad vſum, cui Sacramenta deſtinata ſunt à Deo, ab iis, quibus à Deo inſtituta & conceſſa ſunt, nimirum, Chriſti membris, fide vera & cõuerſione ad Deum præditis vſurpantur: Extra hunc autem vſum nihil accipitur earum rerum, quas Deus per illa ſignificat, & omnibus tam piis quàm impiis offert, ſed ſolis fidelibus promittit & dat; ſed ira Dei & iudicium exaſperatur, non Dei offerentis & iubentis ab omnibus accipi ſua beneficia, ſed ea repudiantium, & contra diuinum inſtitutum, abuſu ſymbolorum fœdus Dei profanãtium culpa. Et propter hanc rerum & ſignorum ſimilitudinem ſiue ἀναλογίαν, & in legitimo vſu certiſſimè coniunctam perceptionem; atq; adeò propter rationem inſtrumenti, quam habent hæc ſigna, ad res ſignificatas per fidem nobis communicandas, frequens eſt de omnibus Sacramentis loquendi forma, qua res cœleſtes & ſpirituales ſignorum terrenorũ & corporalium, ac viciſſim ſigna rerum nominibus appellantur, hoc eſt, gratiæ Euange-

Legitimus Sacramẽtorum vſus.

Phraſium ſacramentalium ratio.

licæ promiſsio ſymbolis annectitur, ſubintellecta vſus legitimi conditione.

Liquent deniq; hæc duo: Non liberum eſſe fidelibus, vti vel non vti Sacramentis, ſed omnes, niſi fœderis Dei contemtores, & officij ſui in edenda confeſsione immemores eſſe velint, illis vti neceſſe habere, ſi ad legitimum eorum vſum peruenire poſsint. Si enim non poſsint, non priuatio, ſed contemtus Sacramenti, ſignum eſt infidelitatis, & pœnas æternas meretur: Tractanda item, adminiſtranda & accipienda eſſe Sacramenta, ſicut & verbũ Dei, omni cum reuerentia interna & externa, fidei, pœnitentiæ, dilectionis, meditationis & inuocationis veris exercitiis, ſine hypocriſi, & traditionum humanarum cumulatione & ſuperſtitione, quibus non ornantur, ſed deformantur & obſcurantur inſtituta diuina.

Ex hac certa & perpetua, de omnibus Sacramẽtis, totius Scripturæ & Orthodoxæ antiquitatis, doctrina, facile eſt cuiuis intelligere, noſtram de Cœna Domini ſententiam. Sacramentum videlicet eſt noui Teſtamenti, quo Chriſtus per diſtributionem & ſumtionem panis ac vini, cum ſui ſuorumq; beneficiorum commemoratione, in cœtu Eccleſiæ, in memoriam reuocat & teſtatur ſingulis fidelibus, corpus ſuum ab ipſo traditum in mortem, & ſanguinem ſuum effuſum eſſe pro ipſis, in remiſsionem peccatorum, & vnicam ipſis eſcam & potum eſſe, quibus ad vitam æternam ab ipſo paſcantur & nutriantur, vt huius beneficij fiducia in ipſis excitata & confirmata, magis magisq; in ipſius communione proficiant, & non tantùm priuatim, ſed etiam in hac publica Eccleſiæ ſolennitate, veros gratitudinis ac celebrationis ipſius fructus edant.

Cœna Domini quid ſit.

Profitetur ergo & teſtatur Chriſtus in hac actione ſolenniter, ſe nobiſcũ, & nos profitemur ac teſtamur, nos cũ ipſo omnibusq; fidelibus habere communionem, cæleſtem illam ac ſpiritualem, in Euangelio promiſſam omnibus credentibus, ſine qua nemo hominum

minum vitam æternam conſequitur. Ea verò communio eſt, quòd mortis Chriſti merito, tanquam vnico, & omnibus communi ſacrificio, omnibus illud vera fide ſibi applicantibus, iuſtitia & vita æterna parta eſt, & omnes Chriſto tanquam membra, vnico ſuo & omnibus communi capiti, per Spiritum ſuum in illis habitanti, & eos ſibi vnienti, inſeruntur, & inter ſe inuicem ad mutuam dilectionem & ædificationem deuinciuntur, vt ille in ipſis, & ipſi in illo maneant, & viuant in æternum. Hæc autem communio, cùm non niſi per fidem in Chriſtum cuiquam contingat, per prædicationem Euãgelij incoatur, vt per quam fides in cordibus accenditur; per vſum verò Sacramentorum conſeruatur & augetur, vt per quem, ſicut per meditationem promiſſionũ Chriſti, fides fouetur & corroboratur. Communio fideliũ cum Chriſto.

In eandem communionem ſemel à Chriſto receptos, ſuo ſanguine à peccatis mundatos, & Spiritu ſuo ad vitam æternam renatos, ſuoq; corpori inſitos eſſe fideles, Baptiſmus, tanquam ſolennis in Eccleſiam, & ciuium regni Chriſti numerum aſſcriptio, teſtatur; Cœna verò Dominica, in ea manſuros perpetuò, & alendos eos eſſe Chriſti carne & ſanguine ad vitam æternam, ne vnquam in ipſis deficiat, ſed ſpirituale nutrimentum ex Chriſto capite ſuo aſſiduè haurientes & augeſcentes Dei augmento pro menſura vniuſcuiuſque membri, euadant in virum perfectum, ad menſuram ſtaturæ adulti Chriſti, in templum ſanctum Domino, & habitaculum eius per Spiritum, & totius corporis Chriſti extructionem. Col. 2. 19. Eph. 4. 13.

His poſitis, conſectaneum eſſe omnes vident, panem & vinum ex manibus, verba promiſſionis gratiæ, huic ritui adiunctæ, ex ore miniſtrorum, accipi membris, actionibus & ſenſibus corporis, oculis, auribus, manibus ore & ſtomacho, viſu, auditu, tactu, guſtu & olfactu; res autem his ſignificatas, ipſum corpus & ipſum ſanguinem Chriſti, non niſi ex manu ipſius Chriſti, per fidem & Spiritus ſancti in cordibus efficaciam percipi. Manifeſtum eſt

Vſus Cœnæ legitimus.

etiam, nullum eſſe legitimum huius Cœnæ vſum, niſi panis & vini inter fideles diſtributio, & mortis ac beneficiorum Chriſti commemoratio fiat, ad mutuam voluntatis Chriſti erga nos, & noſtræ erga ipſum teſtificationem: Et in hoc vſu certiſſimè ac veriſſimè Chriſtum ſuis fidelibus vnà cum viſibilibus ſymbolis, inuiſibilem, cœleſtem & ſpiritualem æternæ vitæ alimoniam, corpus & ſanguinem ſuum edendum & bibendum præbere, ſuíque & omnium ſuorum beneficiorum facere participes; adeò, vt etiam his rebus viſibilibus vtatur Spiritus ſanctus tanquam organis, ad fidem & communionem corporis & ſanguinis Chriſti, in cordibus obſignandam & augendam, & propter hanc rerum cœleſtium per terrenas ſignificationem & communicationem, hic panis etiam, & vinum hoc, ipſum Chriſti corpus & ſanguis à Domino appellata ſint; vt ſciant fideles, ſe non tantùm pane & vino, ſed vero etiam Domini corpore & ſanguine ab ipſo Domino paſci: Extra hunc verò vſum à Chriſto inſtitutum, rerum quidem ſignificatarum nihil accipi, etiamſi omnibus eas in Sacramentis & verbo ſuo Chriſtus offerat, & accipi vera fide ab omnibus præcipiat; ſed horribili ingratitudine, & contumelia ſpreti & conculcati ſanguinis Chriſti, & ſignorum diuini fœderis abuſu & profanatione, iram Dei irritari, & pœnas temporales atque æternas attrahi & exaſperari.

His de cauſis diligenter docentur homines in noſtris Eccleſiis, tam non eſſe liberum homini Chriſtiano, vti vel abſtinere Cœna Domini, ſi legitimum eius vſum habere poſſit, quàm non eſt ei liberum, audire verbum Dei, ſi audire illud poſſit, vel baptizari, ſi baptiſmus à Chriſto inſtitutus ei poſſit contingere: Monentur etiã ſeriò, ne ingerant ſe ad illam vacui vera fide & pœnitentia, vtpote quibus à Chriſto non eſt inſtituta, & iudiciũ æternum hic abuſus arceſſit; imò vt verè etiam conuerſi & certi de ſalute ſua & peccatorum remiſſione, non ſine timore Dei & reuerentia debita cordium & geſtuum, meditatione tantæ rei, quæ inter Deum & ipſos

ipſos hic agitur, conciliatione cum offenſis fratribus, ſerio in omni pietate proficiẽdi propoſito, imploratione diuinæ gratiæ, vt Chriſtus in ipſis deinceps magis ac magis viuat, & pro omnibus beneficiis ipſius gratiarum actione, ad hanc menſam accedant, ne in pœnas temporales incurrant. Atq; à ſic docentibus adminiſtrantur Sacramenta Chriſti, cum omni reuerentia & ſimplicitate Chriſtiana, ordine & decoro, obſeruatis iis ritibus, quos Seruator noſter & ipſius Apoſtoli præceperunt & vſurparunt, adhibita peccatorum & fidei Catholicæ confeſſione, recitatione piarum precum, conſolationis & promiſſionis Euangelicæ, inſtitutionis Cœnæ Dominicæ, & cauſſarum illius atq; veri vſus, commemoratione & celebratione mortis & beneficiorum Chriſti, & hortatione ad veram pœnitentiam & fidem, & erga Deum & Chriſtum gratitudinem.

In hac doctrina de Sacramentis, & de Cœna Domini, nullum eſt idolum, nulla ſuperſtitio, nulla infidelitas, nulla eſt profanitas, nihil eſt hæreticum. Non enim aliunde, quàm ex puriſſimis Scripturæ ſacræ fontibus eam hauſimus. In ipſo ſtatim paradiſo a *lignum vitæ nominatur arbor illa, cuius fructus non erat vitæ perennis efficiens cauſſa, ſed ſymbolum viuificationis per Filium Dei, qui & ante & poſt peccatum eſt viuificator omnium electorum.* b *Sacrificia Patrum & Moſis nominantur peccatorum expiatio, non quia ſanguis taurorum & hircorũ poſſet expiare peccata, ſed quia erant Antitypa veri ſacrificij expiatorij per Chriſtum offerendi.* c *Sanguis victimarum dicitur ſanguis fœderis, non quia ille reconciliaret homines Deo, ſed quia ſymbolum erat ſanguinis Chriſti, qui ſolus eſt verè & propriè ſanguis fœderis ſeu reconciliationis cum Deo: & viciſſim, remiſſio peccati propter Chriſti ſanguinem nominatur ſanguinis Chriſti aſperſio.* d *Sabbathum dicitur datum Iſraëli à Deo, vt eſſet ſignum inter ipſum & populum, vnde ſcirent, quòd ipſe eſſet Iehoua, ſanctificans eos.* e *Circunciſionem nominat Deus fœdus ſuum cum Abrahamo &*

Exempla phraſium ſacramentalium ex Scripturis.

a Gen. 2. 9.
b Leuit. 4. 39.
c Exod. 24. 8.
d Exod. 31. 13.
e Gen. 17. 10.

poſteris eius, non quia circuncifio eſſet iuſtitia coram Deo, ſed quia
a Gen. 17. 11. *erat* [a] *ſignum fœderis, &* [b] *ſigillum iuſtitiæ fidei.* [c] *Operculum ar-*
b Rom. 4. 11. *cæ fœderis nominatur propitiatorium, non quia illud valeret ho-*
minibus Deum propitiũ facere, ſed quia erat Antitypon veri Pro-
c Exod. 25. 17. *pitiatorij, quod eſt Chriſtus.* [d] *Agnus Paſchalis appellatur Tranſi-*
tus, quo Deus in Aegypto parcebat Iſraëlitis, & parcit in toto ge-
d Exod. 12. 11. *nere humano redemtis Chriſti ſanguine:* [e] *appellatur Chriſtus,*
e 1 Cor. 5. 7. *& viciſſim Chriſtus Paſcha &* [f] *agnus Dei, non quia agnus ille*
eſſet Chriſtus, vel cauſſa ſeruationis corporalis aut ſpiritualis, ſed
f Ioh. 1. 36. *quia erat ſignum & teſſera vtriusq; liberationis, & illius in Ae-*
gypto factæ, poſt rem geſtam, perpetua memoria.

g Tit. 3. 5. *Sic & Baptiſmus nominatur* [g] *lauacrũ regenerationis,* [h] *ablu-*
h Act. 22. 16. *tio peccatorũ, & dicitur nos* [i] *ſaluos facere, quod perinde eſt, ac ſi*
i 1 Pet. 3. 21. *aqua iſta nominetur Spiritus vel ſanguis Chriſti, qui ſolus abluit*
peccata: non ſanè, quia hæc præſtare poſſit aqua, vel aqua ſit Spi-
ritus vel ſanguis Chriſti, vel in aqua, aut cum aqua, vel ſub aqua,
ſanguis Chriſti corporaliter & inuiſibiliter adſit, & corporibus
eorum affundatur, qui baptiZantur, ſed quia ſignum & teſtimo-
nium diuinum eſt ſpiritualis mundationis, remiſſionis peccato-
rum & regenerationis per ſanguinem & Spiritum Chriſti, ſecũ-
k Marc. 16. 16. *dùm promiſſionem:* [k] *Qui crediderit & baptiZatus fuerit, ſal-*
uus erit. Et: [l] *Quotquot in Chriſtum baptiZati eſtis, in mortem*
l Gal. 3. 27. *eius baptiZati eſtis, & Chriſtum induiſtis.* [m] *Et Iohannes prædi-*
m Marc. 1. 4. *cabat baptiſmum pœnitentiæ in remiſſionem peccatorum; & ta-*
n Luc. 3. 16. *men ait;* [n] *Ego baptizo vos aqua, alius eſt, qui baptiZat Spiritu ſan*
o Act. 8. 37. *cto & igne, videlicet, ipſe Chriſtus.* [o] *Philippus item reſpondet*
Aethiopi, licet baptiZari, ſi credis toto corde. Eſt ergo baptiſmus
minimè fallax, ſed verax & efficax teſtimonium ſeu ſignum di-
uinæ gratiæ & inſtrumentum Spiritus ſancti, ad fidem in Chri-
ſtum, ac proinde ſalutem noſtram perficiendam.

Sic etiam panis & vinum Cœnæ Domini diſtributa & ſumta
vocantur ipſum corpus Chriſti fractũ, & in mortẽ traditum pro
no-

nobis in cruce, & ipſe ſanguis Chriſti pro nobis effuſus ad remiſſionem peccatorum, non quia realiter & ſubſtantialiter, corporaliter & inuiſibiliter corpus & ſanguis Chriſti, vel panis iſte & vinum iſtud ſint, vel in, aut ſub, aut cum pane & vino exiſtant, manibus miniſtrorum geſtentur, & ore veſcentium recipiantur intra ipſorum corpora: ſed quia ſunt μνημόσυνα, *ſigna admonitoria, quibus teſtatur nobis Chriſtus, verè ſe remiſſionem peccatorum ſuo ſacrificio impetraſſe omnibus credentibus huic iteratæ & ſymbolicæ, & ad ſingulos applicatæ promiſſioni gratiæ, & ſe in illis deinceps etiam habitaturum, & eos tanquam membra ſua viuificaturum vita æterna. Sic enim ipſe Dominus verba ſua exponit, tanquam rationem addens, quare panis & vinum debeant nobis eſſe corpus & ſanguis ipſius, quia nimirum ſint ſumenda in* Luc. 22. 19. *recordationem ipſius: & Apoſtolus, quia ſumenda ad commemo-* 1. Cor. 11. 24. *rationem mortis Domini. Hæc autem recordatio & commemoratio eſt fides & gratiarum actio, ex fide proficiſcens. Ideo poculũ hoc etiam nominatur Nouum Teſtamentum ſeu fœdus in ſangui-* 1. Cor. 11 25. *ne Chriſti, id eſt, ipſa reconciliatio cum Deo, facta per Chriſti ſanguinem, non ſanè inuiſibiliter & tamen corporaliter effuſum ex poculo in ora hominum, ſed corporaliter & viſibiliter & verè effuſum in cruce, ex ipſius corpore in terram. Hæc enim ſola eſt effuſio illius ſanguinis, quæ nobis remiſſionem peccatorum peperit: & hæc per illam fuſionem cum Deo confœderatio eſt nouum Teſtamentum, non fuſio ex poculo. Teſtamentum igitur Nouum eſt poculum, quia Noui Teſtamẽti ſignum ſeu ſacramentum eſt. Eodem autem ſenſu eſt & dicitur hoc poculum ſanguis Chriſti, qui eſt ſanguis Noui Teſtamenti, id eſt, victima pro peccatis, quo eſt & dicitur Nouum Teſtamentum ſeu fœdus in ſanguine, hoc eſt, per ſanguinem effuſum Chriſti initum: neq; aliter panis eſt corpus, ac poculum eſt ſanguis Chriſti.*

Paulus etiam hunc panem & vinum, ſiue eorum ſumtionem, 1. Cor. 10. 16. *nominat communionẽ corporis & ſanguinis Chriſti. Hanc autem*

v.17. cõmunionẽ ſic deſcribit, quòd per eam omnes fideles ſint vnũ corpus in Chriſto, quia videlicet omnes vni capiti Chriſto inſerãtur,
v.21. & ſic omnes eorundem Chriſti beneficiorũ ſint participes; quòd
v 18. non poſſit conſiſtere cum communione dæmoniorum; quòd ſit ſimilis communioni altaris, & ſacrificiorum Iſraëlis veſcentis vi-
v.20. ctimarum carnibus; quòd non ſit momentanea, ſed ſemper in fidelibus durans, vt quæ ſemper ſic ſit cuſtodienda, ne dæmoniorum communione excutiatur.

1. Cor. 12. 13. Idem alibi expreſsè docet, eandem fieri communicationem corporis Chriſti per ipſius Spiritum in Baptiſmo & in Cœna, cùm dicit, nos omnes per vnum Spiritũ in vnũ corpus baptizatos eſſe, & omnes vna potione potatos eſſe in vnum Spiritum.

a 1. Cor. 10.16. b 1. Cor. 11.24. c Matt.26. 28. Panis item, [a] quem frangimus, dicitur [b] corpus Chriſti pro nobis fractum & traditum, & poculum [c] ſanguis pro nobis effuſus in cruce. Non minùs ergo verè fractio panis eſt & dicitur fractio & mactatio corporis Chriſti pro nobis, & fuſio vini eſt & dicitur fuſio ſanguinis Chriſti pro nobis facta in cruce, qiàm panis fractus & vinum fuſum ſunt corpus & ſanguis Chriſti pro nobis tradita. Neceſſario igitur, ſicut fractio panis eſt fractio corporis in cruce, & ſicut vini effuſio, & à pane ſeparata ſumtio, eſt effuſio ſanguinis ex corpore Chriſti in cruce: ſic panis eſt illud corpus, & vinum ille ſanguis eſt, & ſic manducatio huius panis eſt manducatio illius corporis, & potio huius vini eſt potio illius ſanguinis.

Quòd ſi quis hìc contendat, fracto pane, corporaliter frangi corpus Chriſti, effuſo vino corporaliter fundi ſanguinem Chriſti, vnde refutabitur? Haud dubiè ex natura Sacramentorum, ex articulis fidei, ex deſcriptione fractionis & fuſionis corporis & ſanguinis Chriſti, tradita in Euangelio, extra quã aliam realem traditionem & fuſionem non licet fingere. Cur ergo non etiam ex ratione Sacramenti, ex articulis fidei, ex deſcriptione corporis Chriſti & manducationis atque communionis eius in toto Euangelio tam prolixè & clarè expreſſa, iudicemus, quare & quomodo

quomodo dicatur panis corpus, & vinum ſanguis, qualis eius cõmunio promittatur nobis à Chriſto per hæc ſigna viſibilia, & quomodo ſigna dicantur eſſe hæc ipſa communio? Quare fas cuiquã erit, aliam Chriſti communionem fingere, neq; hîc neq; in vllo alio Scripturæ loco expreſſam?

Hæc teſtimonia & ſimilia ſatis oſtendunt, Deum in Sacramẽtorũ porrectione non ludere nos inanibus ſignis, ſed res repræſentatas & promiſſas verè cum illis & per illa exhibere & præſtare.

Sed rurſus ſunt multa Scripturæ loca, quæ docẽt, extra vſum legitimum & inſtitutum à Deo, hoc eſt, cùm ritus & geſtus externi obſeruantur ab hypocritis, aut vſum Sacramẽtorum in ſuperſtitionem vel iuſtitiam coram Deo transformantibus, nihil habere vim & rationem Sacramenti, quantum ad ipſos attinet; hoc eſt, ſola ſymbola ſine rebus ſignificatis ad condemnationem accipi. Superſtitioſè Iudæi ſeruabant ceremonias, & cumulabant ſacrificia: Et tamen dicitur illis: Deſinite offerre munus vanitatis, quia ſuffitus abominatio eſt mihi: nouilunio & Sabbatho conuocare cœtum; non poſſum ferre iniquitatem & congregationem: Nouilunia veſtra & ferias veſtras odit anima mea, ſunt mihi moleſtæ, defeſſus ſum ferendo. Qui iugulat bouẽ, eſt ſicut percutiens virum; qui mactat pecudem, ſicut decollans canem; qui offert munus, ſicut ſanguinem porci offerens; qui adolet thus, ſicut colens idolum. Et Apoſtolus: Circuncisio quidem prodeſt; ſi legem ſeruaris: quòd ſi tranſgreſſor legis fueris, circunciſio tua facta eſt præputiũ. Et: qui baptizatus crediderit, quod baptiſmus promittit, ſeruabitur; qui autem non crediderit, condemnabitur, tam non iuuante ipſum baptiſmo, quàm Simonem Magum.

Extra vſum à Deo inſtitutũ nihil habet rationem Sacramenti.

Ieſ. 1. 14.

Ieſa. 66. 3.

Rom. 2. 25.

Marc. 16. 16.

Act. 8.

Sic & de Cœna dictum eſt: Non poteſtis poculum Domini bibere, & poculum dæmoniorum: non poteſtis menſæ Domini participes eſſe, & menſæ dæmoniorum. Cùm conuenitis in vnum, non eſt Cœnã Domini edere. Qui edit & bibit indignè (non corpus Chriſti, ſed) iudicium ſibi ipſi edit & bibit (non edens, ſed) non diſcer-

1. Cor. 10. 21.

1. Cor. 11. 20. 29.

nens, hoc eſt, non debito honore accipiens, ſed ſpernens & contumelia afficiens corpus Domini: Quemadmodum alibi etiam dicitur: Quanto acerbiore ſupplicio dignus cenſebitur, qui Filium Dei cõculcarit, & ſanguinem fœderis, per quem fuerat ſanctificatus, profanum duxerit, & Spiritum gratiæ contumelia affecerit? Ergo corpus Domini non diſcernere, non eſt ore indigno illud manducare, ſed eius Sacramentum, videlicet panem, indignè manducando, illud conculcare, profanare, & contumelia afficere. Sed quia peccabant irreligioſa tractatione Cœnæ Domini apud Corinthios, ſiue affectibus ſiue ignorantia, etiam aliqui verè conuerſi; hos etiam terret comminatione pœnæ temporalis, & tamen rurſus erigit conſolatione: Propterea, inquiens, multi ſunt inter vos inualidi ac debiles, & dormiunt multi: Etenim ſi nos ipſos diiudicaremus, non puniremur: ſed cùm punimur, à Domino erudimur, ne cum mundo condemnemur.

Hebr. 10. 29.

Diſcernere corpus Domini.

1. Cor. 11. 30. 31. 32.

Non minùs huic doctrinæ ſuffragantur Symbola.

Primùm enim ſummam & fundamentum Chriſtianæ religionis breuiter & propriè recitant, nec admittũt allegoricas aut metaphoricas interpretationes articulorum fidei: & ſunt norma omnis doctrinæ & interpretationis in Eccleſia examinandæ & recipiendæ, ſi cum illis congruat, reiiciendæ, ſi ab illis diſſentiat. Hæc autem docent, Chriſtum ſecundùm carnem eſſe natum & editum ex virgine, paſſum, crucifixum, mortuum, ſepultum, reſurrexiſſe, in cœlum aſcendiſſe, illinc iam glorioſè regnare, & in fine mundi rediturum, non apparenter ſiue in ſpecie, ſed verè, viſibiliter & localiter, neque ſimul hæc viſibiliter eſſe in Chriſto facta & fieri, & tamen inuiſibiliter facta & fieri horum contraria. Interpretatio ergo verborum Domini, quæ cum articulis fidei conſentit, recipienda eſt: quæ cum illis pugnat, repudianda eſt.

Articuli fidei, tanquam norma veritatis, non ſunt trãſformandi in allegorias.

Secundò, Omnium Sacramentorum eſt, nullos nouos aut peculiares, nedum cum aliis pugnantes, eosq́ euertentes fidei articulos

Sacramenta nõ ſunt

culos cōſtituere aut docere; ſed illos repetere, inculcare, confirmare, & viſibilibus ſignis, quaſi oculis ſpectandos proponere, quos complectuntur ſymbola, & tradit concio Euangelica, ſparſa per totam Scripturam. Ergo & Cœna Domini nullum ab articulis ſymbolorum diuerſum, nedum illis contrarium articulum credēdum proponit, ſed in ſymbolis recitatos docet & confirmat, & ſingulis fidelibus applicat. Articulus autem de corporali manducatione corporis Christi, non tantùm non eſt in Symbolis aut Scriptura vſquā expreſſus, ſed illis etiam è diametro repugnat & cōtradicit. Ergo Chriſtus non voluit eum in Cœna ſua demum Eccleſiæ credendum tradere, aut verba ſua ad illum ſanciendum detorqueri; ſed formā loquendi, qua vſus eſt in Cœna, de omnibus Sacramentis in Scriptura & Eccleſia vſitatam & notam, eodem ſenſu, quo in aliis Sacramentis, congruente cum articulis fidei, intelligi & exponi, quēadmodum & ipſum feciſſe, ſuprà eſt oſtenſum. At in aliis Sacramentis, cùm nomina & proprietates rerum cœleſtium tribuuntur ſymbolis terrenis, nulla docetur aut elicitur corporalis, aut ſine fide rerum exiſtentia vel perceptio in vel ſub vel cum ſymbolis, ſed ſpiritualium ſpiritualis perceptio ſignificatur & confirmatur. Ergo nec in verbis Chriſti inſtituentis Cœnam ſuam, aliquid præter aut contra ſymbolorum veritatem & ſimplicitatem, eſt quærendum aut fingendum.

Noui articuli fidei, ſed Catholicorum illorum ſignacula. Non poſſunt autē ſigna pugnare cū ſuo diplomate.

Tertiò, confitemur in ſymbolo communionem ſanctorum. Hæc verò communio eſt Chriſti & omnium eius beneficiorum, quæ per fidem & Spiritum Chriſti contingit ſolis & omnibus electis & ſanctis, inde ab initio vſq; ad finem mūdi, tam iis, qui acceſſerint, quàm qui accedere non potuerint ad Cœnam Domini: Non eſt ergo corporalis ingreſſus aut manſio Chriſti, intra ſanctorum corpora. Neq; Chriſtus in iis, qui non vſi ſunt Cœna Domini, tantùm ſpiritualiter, in aliis verò etiam corporaliter habitat. Vna enim & eadem eſt ſanctorum omnium communio cum Chriſto. Sicut autem poſt ſumtionem Cœnæ, & deinceps in æternum, in

Cōmunio Chriſti & fideliū Spiritualis eſt.

nobis manet; ſic etiam ſe nobis in vſu Cœnæ communicat & man-
Rom. 8.11. *ducandum præbet. Ideò enim vult à nobis manducari, vt in no-*
1.Io.3.24.
1.Io. 4.13. *bis perpetuò maneat, & nos in ipſo. At manet in nobis per fidem*
Eph.1.13. *& Spiritum ſuum, nos ſibi tanquam membra capiti & palmites*
Io.15.5. *viti inſerens: non autem ita, vt corpus ipſius intra noſtri corpo-*
ris ſubſtantiam exiſtat. Ergo etiam non ſic mãducatur, vt per os
intra corpora veſcentium, ſed vt fide in corda recipiatur.

Cõmunio Chriſti & fidelium vna eſt. *Quartò, In ſymbolo Niceno & Conſtantinopolitano profite-*
tur Eccleſia ex verbis Apoſtoli, ſe credere vnum baptiſma in re-
miſsionem peccatorum. At quid eſt vnum baptiſmum credere,
Eph.4.5. *niſi credere, quòd eadem beneficia, eadem communio Chriſti den-*
tur & obſignentur omnibus fidelibus in Baptiſmo? Si autem ad
illam communionem Chriſti ſpiritualem, quæ in Baptiſmo nobis
contingit, accederet alia noua & corporalis in Cœna Domini, cùm
non omnes baptizati ad Cœnam perueniant, non daretur omni-
bus vna & eadem Chriſti communio. At Baptiſmus vnam ſpõ-
det omnibus. Aut igitur baptiſmus non eſt omnibus vnus & ra-
tus, aut corporalem illam communionem Chriſti non admittit.

Orthodoxæ vetuſtatis de Cœna Domini doctrina. *Patrum etiam teſtimonia, de hoc doctrinæ capite, non opus eſt*
hîc cumulare, cùm à multis noſtrorum tam multa ſint collecta, vt
volentibus ea cognoſcere, etiam qui Patrum libros non legerunt,
poſsint abundè ſatisfacere; illi autem, qui Patres ipſos inſpexerũt,
non poſsint non mirari, tam procul ab ipſorum doctrina diſceſ-
ſum eſſe; & tamen eorum teſtimonia, ad ſtabiliendas opiniones
nouas, cum illa palàm pugnantes, allegari.

li.4.ca.32. *Irenæus:* Chriſtus panem, qui eſt creatura, corpus ſuum,
& calicem ſanguinem ſuum confeſſus eſt.

li.4.ca.34. *Et:* Quemadmodum qui eſt à terra panis, percipiens vo
cationem Dei, iam non communis panis eſt, ſed Euchari-
ſtia, ex duabus rebus conſtans, terrena & cœleſti: Sic & cor-
pora noſtra percipientia Euchariſtiam, iam non ſunt cor-
ruptibilia, ſpem reſurrectionis habentia.

Hic

Hic dicit, ſicut alibi ſæpius, ipſam veri panis ſubſtantiam nominari corpus Chriſti; quod ſolum ad transſubſtantiationem & conſubſtantiationem panis funditus euertendam ſufficit. Sumit pro eodem, panem eſſe corpus Chriſti, &, panẽ eſſe Euchariſtiam pro corpore Chriſti, id eſt, Sacramentũ corporis Chriſti, quo nos admonens Chriſtus traditi pro nobis ſui corporis, ad gratias agendas excitat. Dicit panẽ differre ab alio pane, non quia ſub ipſo vel accidentibus eius lateat caro Chriſti inuiſibilis, ſed quia non ſit communis panis: & hanc diſcretionem ponit in vocatione, id eſt, ordinatione Chriſti, quo panem iſtum ordinat ad ſacrum vſum, videlicet, Euchariſtiam ſui corporis. Dicit Euchariſtiam, hoc eſt, Cœnam Domini conſtare duabus rebus, terrena & cœleſti, non tanquam continente & contento, ſed tanquam Euchariſtia, & eo, ad cuius Euchariſtiam ordinatus eſt panis: & panem terrenum, id eſt, è terra natum dicit, & naturaliter nutrientem corpora noſtra; corpus Chriſti cœleſte, id eſt, quod in cœlo eſt, & vitam cœleſtem in nobis alit, ac proinde non ore corporis, ſed modo cœleſti, id eſt, fide & ſpiritu editur. Dicit corpora noſtra, non ex eſu corporali carnis Chriſti, ſed perceptione Euchariſtiæ, ſpem reſurrectionis ad vitam æternam habere. Ergo vult Cœnam Domini eſſe pignus & teſtimonium alimoniæ cœleſtis, quam vita æterna neceſſariò conſequitur.

Iuſtinus Martyr dicit, Panem Euchariſtiæ nobis commendatum eſſe ad recordationem paſſionis Chriſti. *Et alibi*, panem, qui in carnis noſtræ nutrimentum mutatur, nominat Euchariſtiam, & corpus Chriſti, propter benedictionem, id eſt, ordinationem Chriſti ad vſum Euchariſticum. Colloq. cũ Tryph. Apolog. 2.

Tertullianus: Acceptum panem & diſtributum diſcipulis, corpus ſuum illum fecit, Hoc eſt corpus meum, dicendo, id eſt, figura corporis mei. lib. 4. cõt. Marcio.

Origenes: Panis iſte, quem Deus Verbum corpus ſuum In Matth. 26.

In li. Nu. eſſe fatetur, verbum eſt nutritorium animorum. *Et alibi:* Bibere dicimur ſanguinem Chriſti, non ſolùm in ritu Sacramentorum; ſed etiam cùm ſermones eius recipimus.

Serm. de Chrism. *Cyprianus:* Eo modo panem & vinum carnem & ſanguinem Chriſti dicit eſſe, quo ſignificantia & ſignificata iiſdem vocabulis cenſentur.

Serm. de fide. *Athanaſius ait*, Chriſtum dicendo, Hoc eſt corpus meum, tradidiſſe nobis myſterium.

Pſal. 3. Cont. Adim. ca. 12. Epi. 23. ad Bonif. Cōt. Max. li. 3. ca. 22. Tract. 63. in Ioh. lib. 2. de doct. Chriſtiana. De Tim. li. 3. cap. 4. Sēt. Proſp.

Auguſtinus: Dominum in cœna corporis ſui figuram diſcipulis commendaſſe: *Et*: Dominum non dubitaſſe dicere, Hoc eſt corpus meum, cùm ſignum daret corporis ſui. *Et:* Sacramentum rei, eiuſdem rei vocabulo nuncupari. *Et*: In Sacramentis non quid ſint, ſed quid oſtendant, ſemper attendi, quia ſigna ſunt rerum, aliud exiſtentia, & aliud ſignificantia. *Et*: Ita ſolere Scripturam loqui, vt res ſignificantes tanquam illas, quæ ſignificantur, appellet. *Et*: Dominum Sacramento corporis & ſanguinis ſui prægustato, ſignificaſſe quod voluit. *Et:* Apoſtolus potuit ſignificando prædicare Dominum Ieſum Chriſtum, aliter per linguam, aliter per epiſtolam, aliter per Sacramentum corporis & ſanguinis eius. *Et*: Cœleſtem panem, qui eſt Chriſti caro, ſuo modo nominari Chriſti corpus, cùm reuera ſit ſacramentum corporis Chriſti: vocarique ipſam immolationem carnis, quæ ſacerdotis manibus fit, Chriſti paſſionem, mortem, crucifixionem, non rei veritate, ſed ſignificante myſterio.

Tract. 80. in Ioh. *Idem:* Detrahe verbum, & quid eſt aqua niſi aqua? Accedit verbum ad elementum, & fit Sacramentum, etiam ipſum tanquam viſibile verbum. Vnde iſta tanta virtus aquæ, vt corpus tangat, & cor abluat, niſi faciente verbo? non quia dicitur, ſed quia creditur. Nam & in ipſo verbo, aliud eſt ſonus tranſiens, aliud virtus manens. Hoc eſt verbum

bum fidei, quod prædicamus, ait Apoſtolus: Si confeſſus fueris ore, quòd Dominus eſt Ieſus, & credideris in corde, quòd Deus ſuſcitauit eum, ſaluus eris &c.

Nazianzenus, Panem vocat Antitypon corporis Chriſti. *Et alibi:* typos noſtræ ſalutis. In Apol. in Epith. Cæſarii. Ad ciues Nazi.

Baſilius, vocat monimenta paſſionis Chriſti.

Theodoretus: Ipſe ſeruator noſter permutauit nomina, & corpori quidem Symboli nomen impoſuit, ſymbolo verò corporis nomen. Sic vitem ſeipſum nominās, ſanguinis nomen ſymbolo tribuit. Cauſſa permutationis nominum manifeſta eſt iis, qui ſacris initiati ſunt. Voluit enim Sacramentis vtentes non intentos eſſe in naturam eorum, quæ cernuntur, ſed per nominum permutationem, credere ei, quæ ex gratia facta eſt, mutationi. Qui etiam naturale corpus triticum & panem appellauit, & rurſus ſeipſum vitem nominauit, is viſibilia ſymbola corporis & ſanguinis appellatione honorauit, non naturam mutans, ſed gratiam naturæ adiiciens. In Canone. Dial. 2.

Et paſſim nominat panem & vinum, typos, Antitypa, myſteria corporis & ſanguinis Chriſti.

Ambroſius ait, Pane corpus Chriſti ſignificari. De iis qui initiātur. cap. 9.

Alibi, eſſe figuram corporis & ſanguinis Chriſti. De Sac. li. 4. ca. 8.

Et: In ſimilitudinem accipis Sacramentum: ſed veræ naturæ gratiam virtutemque conſequeris. lib. 6. c. 1.

Et: In typum ſanguinis calicem myſticum ſumimus ad tuitionem corporis & animæ. In 1. Cor. 11.

Chryſoſtomus ſcribit, Cœnam eſſe mortis Chriſti ſymbolum ac ſignum. S. Matth. hom. 83.

Et: Hoc ſacrificium eſſe exemplar illius, quod in cruce factum eſt. ad Heb. ho. 17.

Et: Panem & vinum ſimilitudinem eſſe corporis & ſanguinis. In Pſ. 22.

Cont. Eutych. *Gelaſius ait*, Imaginem & ſimilitudinem corporis & ſanguinis Chriſti in actione myſteriorum celebrari.

Supra Lu. *Beda:* Chriſtus pro carne & ſanguine agni, ſuæ carnis ſanguiniſque ſacramentum, in panis & vini figura ſubſtituit.

De Cœna. *Bertramus*: Corpus Chriſti, quod in Eccleſia per myſterium geritur, ſecundùm quendam modum corpus Chriſti eſſe cognoſcitur, & modus iſte in figura eſt, & imagine.

De manducatione corporis Chriſti, quæ in Cœna fit, & ſumtione panis ac vini ſignificatur & confirmatur, ſimilis & æquè ſonorus eſt Patrum conſenſus.

De Cœna. *Cyprianus:* Hæc quoties agimus, non dentes ad mordendum acuimus, ſed fide ſyncera panem ſanctum frangimus: Manſio noſtra in ipſo eſt manducatio, & potus quaſi quædam incorporatio.

In 1. Cor. hom. 24. *Chryſoſtomus:* Non dixit participationem, quia voluit amplius aliquid ſignificare, & arctam ſignificare copulationem. Non enim tantùm, quia participes ſumus & ſumimus Chriſtum, ſed etiam quia vnimur ei, communionem eius habemus. Quemadmodum enim corpus illud vnitũ eſt Chriſto, ita & nos ei PER PANEM hunc vnimur. *Et mox:* Quid voco communionem? Quòd ſumus ipſum illud corpus. Quid enim eſt panis? Corpus Chriſti. Quid autem fiunt veſcentes? Corpus Chriſti: non multa corpora, ſed vnum corpus &c.

Serm. 2. de verb. Apoſtoli. *Auguſtinus*: Illud manducare refici eſt; illud bibere quid eſt niſi viuere? Tunc autem corpus & ſanguis Chriſti erit vita cuique, ſi quod in Sacramento viſibiliter ſumitur, in ipſa veritate ſpiritualiter manducetur & bibatur.

In Io. tra. 26. *Et:* Hoc eſt mãducare illam eſcam, & illum bibere potum, in Chriſto manere, & illum in ſe manentem habere.

Ibidem, & de ciuitate Dei lib. 21. cap. 25. Sentent. Proſpe. 338. 339. negat illos manducare corpus Chriſti, qui non ſunt membra Chriſti,

Chriſti, etſi viſibile Sacramentum ſumant ad damnationem.

Tantùm ergo duplicem manducationem agnoſcunt Patres in Cœna, vnam Sacramẽtalem, viſibilem, quæ fit ore, & eſt ſigni, videlicet, panis: alteram inuiſibilem ſpiritualem, quæ fit per fidem in corde, videlicet, ipſius corporis Chriſti. Fidelibus vtranq; tribuunt, ſigni & rei, panis & corporis Chriſti; infidelibus duntaxat Sacramentalem & viſibilem, hoc eſt, ſigni ſeu panis, non autem inuiſibilem, hoc eſt, rei ſignificatæ, videlicet, corporis Chriſti, quæ non niſi per fidem poteſt fieri, ſicut apertiſſimè dicit Auguſtinus, Cùm reliqui diſcipuli manducárent panem Dominum, Iudam manducaſſe panem Domini, contra Dominum, illos vitam, hunc pœnam.

Patres duplicem tãtùm manducationẽ in Cœna agnoſcunt.

In Iohan. tract. 59.

Arbitramur, ex dictis manifeſtũ eſſe, nos de vnica perſona Chriſti ex duabus naturis conſtante, & de ſacra ipſius Cœna, nihil ſentire aut docere extra Scripturam ſacram, extra ſymbola, extra veteris orthodoxæ Eccleſiæ conſenſum. In cæteris doctrinæ capitibus, non habent aduerſarij, quòd nos accuſent. Sic autem ſentientes & docentes, cùm Theologi iſti condemnent hæreſeos, nec nos maioris facere debemus eorum anathemata, quàm bruta fulmina bullarum Papalium, nec pios & cordatos viros atrocia illorum præiudicia, de nobis, de tot bene conſtitutis Eccleſiis, de tot ſuis per totam Germaniam honeſtis & ſanctis ciuibus & fratribus, ſtatuendi & pronuntiandi, & in omnibus Eccleſiis docendi regulam eſſe oportere, iudicaturos confidimus.

CAPVT III.

Dilutio accuſationis falſæ noſtrarum Eccleſiarum de quibuſdam falſis dogmatibus.

In repet. cap. 7. de ſtat. controu.

HIc *verò audimus, quid contra nos excipiant, & inculcent iſti Theologi auribus Procerum & populi: Aiunt nos verba noſtra ſic ad ipſorum doctrinam accommodare, vt videamur rectè & cum ipſis ſentire; obiiciunt nobis verſutiam hæreticorum, qui ſimilia ſermoni Eccleſiæ loquuntur, ſed diſsimilia ſentiunt, quaſi multa alamus monſtra, multa diſsimulemus falſa dogmata, & condemnatione digna.*

Sed nos nihil ſentire ab his, quæ iam profeſsi ſumus, alienum, teſtes ſunt locupletes noſtrorum libri, teſtis Deus, & conſcientia noſtra. Sin autem exiſtimant, nos inflectere velle noſtrum ſermonem ad ipſorum dogmata, quæ non probamus, næ illi vehemẽter errant, & ex ſuis moribus iudicium facientes de aliis, ſeipſos decipiunt. Nihil minus ſtudemus, quàm videri cum illis ſentire, cum quibus non ſentimus. Si haberemus hoc ſtudium, fortaſſe minore inuidia flagraremus. Sed non pudet nos doctrinæ noſtræ, quam ſcimus eſſe veritatem Chriſti. Illis igitur hanc curam relinquimus, quorum doctrina eſt eiuſmodi, vt nihil ægriùs ferant, & nunquam maiori de calumniis & iniuriis, cœlum terramq́; clamore compleant, quàm ſi detractis fucis & phaleris, propriis & nudis verbis ipſorum dogmata recitentur.

Multa quidem illi in hoc & aliis ſuis libris, falſa, abſurda, impia atq; blaſphema dogmata nobis affingunt, vt nobis odium conflent, nos deforment, & falſis teſtimoniis opprimant. Sed quæ ipſi ad nos condemnandos congerunt, ea nos anathematiſmis ipſorum,

pſorum tanquam validiſſimum argumentum opponimus. Hunc enim ipſi nobis ſecundam rationem ſuppeditant, quare Libro Cõcordiæ, auctoritas norma docẽdi & iudicandi, tribui nequaquam debeat.

Qui falſis criminibus grauant & condemnant homines innocentes, & ſeipſos accuſatores, teſtes & iudices contra ipſos conſtituunt, illorum iudicia & ſententiæ à veritatis & iuſtitiæ amantibus audiri non debent, tantum abeſt, vt pro regula ſuorum iudiciorum debeant recipi. Talis ergo cùm ſit illius Libri aduerſus nos actio, & indicatio; norma profectò iudicij haberi non poteſt ab iis, qui atrocium iniuriarum, quibus ille Chriſti Eccleſias & membra afficit, approbatores & ſocios ſe præbere nolunt.

Multæ quidem poſſent ex libris horum Theologorum colligi falſiſſimæ criminationes & calumniæ, quibus, licèt factis dictiſque à nobis ſolidiſſimè & ſæpiſſimè refutatis, tamen à multis iam annis, quaſi cæci & ſurdi, nos conſpuere non erubuère. Sed ne magis quàm oportet, nos illas curare videamur, eas ſaltem iam mõſtraſſe ſufficiet, quas in hoc Libro repetunt, partim temerè & ſine colore aſſeuerantes, partim iis, quæ confitemur, callidè & fraudulenter admiſcentes, partim verò aut imperitè aut ſophiſticè, ex doctrina noſtra conſequi fingentes.

Atq; vt primùm quæ de Perſona Chriſti dogmata nobis tribuũt, recenſeamus: aiunt nos docere, quòd Deus nihil cum humanitate Chriſti realiter commune habeat. 1. In ſtatu contron. de perſona Chriſti.

Duplex iniuria eſt, & crimen falſi, verborúmque noſtrorum deprauatio. Non dicimus, DEVM, *ſed Deitatem, non dicimus,* NIHIL, *ſed nullam eſſentialem proprietatem, cum humanitate realiter communem habere. Deus enim hîc ſignificat perſonam Chriſti, quæ Deus eſt & homo, vtrunq; realiter & ſubſtãtialiter. Deo igitur (loquendo de Chriſto) competunt verè & realiter*

omnia humana, quæ noſtra cauſſa ſuſcepit, ſed non ſecundùm Deitatem ſuam, vel quod idem eſt, non Deitati ipſius, verùm humanitati; & tamen Deo, quia hæc humanitas Filio Dei propria & ſubſtantialis eſt: ſicut & contrà, homini, id eſt, Chriſto competũt verè & realiter omnia diuina, ſed non ſecundùm humanitatem ſuam, vel, non humanitati iſtius hominis, verùm Deitati; & tamen homini, quia Deitas huius hominis eſt ſubſtantia.

Nota. Quæ enim naturis ſingulis ſunt ꝓpria, ea perſonæ Chriſti ſunt communia: & propterea de naturis non niſi diſtinctè, de perſona verò indiſtinctè prædicãtur & vera ſunt, ſiue à Deitate ſua Deus, ſiue ab humanitate ſua homo nominetur Chriſtus. Deitas ab æterno, humanitas in tempore eſt genita: & Deus autem & homo ab æterno & in tempore genitus rectè dicitur, propter humanitatem Dei, & Deitatem hominis Chriſti.

Eſtq́; animaduertendum in iſtis Theologis, quod toties admoniti, non deſinant confundere perſonæ & naturarum nomina, vt perſuadeant hominibus, nos negare de Deo quæ negamus de Deitate, & negare de homine, quæ negamus de humanitate Chriſti: & viciſſim ipſis liceat ad Deitatem, quæ de Deo, & ad humanitatem trahere, quæ de homine Chriſto verè prædicantur. Quid autem eſt, fraudem veritati facere, & homines ludere præſtigiis, ſi hoc non eſt? Diſcant ergo priùs diſcernere naturam à perſona, partem à toto, quàm ſcribant normas docendi & iudicandi.

Altera Stropha eſt, quòd dicũt, nos NIHIL relinquere realiter commune Deitati & humanitati, ſeu Deo quà Deus, & ho-
„ mini, quà homo eſt. Diſertè enim profitemur, eas proprietates di-
„ uinas, quæ ſimilitudinem ſui creatam admittunt, vtriq; naturæ
„ quidem competere, ſed maxima homonymia, & ſenſus diuerſitate. Etſi enim nomina ſint eadem, propter rerum ſimilitudinem: tamen diſcrimen infinitum eſt inter res ipſas, increatam ſcilicet Dei eſſentiam, ſiue naturam, & qualitatem creatam in natura rationali. Sapiens realiter eſt Deitas, ſcilicet, æterna & eſſentiali

ſua

ſua ſapientia, quæ non aliud niſi ipſe Deus eſt: Sapiens etiam Chriſti humanitas realiter, ſcilicet, Sapientia creata, & qualitate, ipſi tanquam ſubiecto inhærente, quæ neq; Deitas, neque humanitas Chriſti eſt, ſed Deitatis ſimilitudo & imago in humanitate à Deitate effecta. Similis aliorum eſt ratio, id quod ipſi quoq; Anathematiſtæ coguntur concedere. Sed omnipotentia, immenſitas, omniſcientia diuina, non admittunt creatas res ſibi æquales. Hæ igitur naturæ humanæ realiter non competunt. Sapientia enim, & virtus diuina poteſt per ſapientiam & virtutem creatam ſimilitudine ſui repræſentari, quatenus eſt ſapientia & virtus, ſed non quatenus Deitatis propria & eſſentialis, hoc eſt, quatenus infinita eſt.

Dicunt, nos vnionem hypoſtaticam naturarum in Chriſto talem facere, qua neutra natura alteri aliquid conferat & communicet: & inculcant ſuam ineptam ſimilitudinem, dignam ſcilicet ſuis fabris, ſic nos copulare naturas in Chriſto, ſicut conglutinantur duo aſſeres. II. In affirm. aſſert. 5. & in Repet. pag. 306.

Contrarium clamant omnia noſtrorum ſcripta. Realiter communicauit Diuinitas humanitati hanc ſummam dignitatem, quòd eſt caro Filij Dei coæterni. Contulit ei vniuerſa dona cœleſtia, quæ in creatam naturam poſſunt cadere in excelſiſſimo gradu: Communicauit ei ſocietatem officij Mediatoris, inter Deũ & homines, capitis Eccleſiæ, gubernatoris & Iudicis totius mundi: Communicauit ei ſocietatem honoris & adorationis vnius cum λόγῳ. *An hæc omnia iſti Theologi ducunt pro nihilo, & putant ſe ſumma contumelia Filium Dei non afficere? An duarum naturarum vnio, longè arctior, admirabilior & ineffabilior, quàm eſt vnio animæ humanæ cum corpore? an communicatio donorum in immẽſum locupletior quàm eſt in omnibus angelis & hominibus, eſt illis duarum tabularum conglutinatio? An verò illis* λόγος *nõ poteſt aſſumtam à ſe carnem in ſummam gloriam extollere, niſi etiam eius naturam euertat & aboleat, ac* Vnionẽ hypoſtaticam non eſſe duarũ tabularũ conglutinationem.

deſinat eſſe frater noſter & caro noſtra? Hic eſt ille Spiritus mendacis & homicidæ dirus & feralis vlulatus, quo tot iam annos Eccleſias Chriſti deformat, Germaniam conturbat, & Martyrum ſuppliciis inſultat, quòd Chriſtum hominem ſpoliemus ſua Maieſtate. Sed pij & cordati viri, quibus Chriſti gloria verè cordi eſt, auſcultabunt potiùs orthodoxæ Antiquitati, quàm iſtorum hominum furioſis clamoribus. Sic enim de iſtis gloriæ Chriſti glorioſis deſeſoribus loquitur Ioh. Caſſianus: Non minoris erroris eſt, Domino noſtro Ieſu Chriſto impropria addere, quàm propria derogare. Quod enim nō ita dicitur, vt eſt, etiamſi honor videatur, iniuria eſt. *Et Leo Epiſcopus*: In magno ſacrilegio ſe verſari, hæreticorum manifeſtat impietas, cùm ſub ſpecie honorandæ in Chriſto Deitatis, humanæ carnis in ipſo denegant veritatem.

De incar. lib. 1.

Ad Leonē Aug.

III. *Dicunt nos docere, quòd vnio perſonalis tantùm faciat communia nomina proprietatum & naturarum Deo & homini: Tātùm verbotenùs dici de perſona, hoc eſt, de Chriſto Deo, proprietates & actiones humanas, & de Chriſto homine, proprietates & actiones diuinas: Tantùm eſſe verbalem communicationem Idiomatum, nihil niſi phraſin & modum loquendi, nihil eſſe niſi verba, titulos inanes, & nomina, cùm dicitur: Homo eſt Deus, Deus eſt homo.*

In negat. anathe. 5. 6. 7.

Valde ſibi placent de hoc inuento: ideoq́; ſæpiùs illud tanquam Gorgonem oſtentant, qua ſperant ſe nos verſuros in lapides, & omnibus Chriſtianis exſecrabiles reddituros. Quàm autem grauis, tam eſt aperta & impudens iſta calumnia.

De verbali communicatione Idiomatū.

Naturis ſingulis in perſona Chriſti, realiter communicari proprietates eſſētiales alterius naturæ, negamus & pernegamus, cum Scriptura & Orthodoxa Eccleſia. Perſonæ autem Chriſti vtriuſq; naturæ nomina, proprietates & operationes omnes communicari realiſſimè, cum iiſdem aſſerimus, contendimus & clamamus, contra noſtros aduerſarios, qui aliqua Deo humana, &

Homini aliqua diuina tribuentes, naturas confundunt, & aliqua adimentes, perſonam Chriſti diſſoluunt. Etenim perſonæ, quia realiter vtranq; naturam in ſubſtantia ſua complectitur, realiter & veriſsimè competit, quicquid ſiue vtriuſq;, ſiue alterutrius eſt naturæ, propter naturarum vnionem. At naturæ vni nequaquam eſt commune, quod alterius eſt proprium, propter naturarum eſſentiale atque æternum diſcrimen.

Hoc eſt illud, quod dicitur, non noſtro inuento, ſed perpetuo Eccleſiæ conſenſu, permutari prædicata ſeu attributa Chriſti de ſubiectis concretis tantùm, non autem de abſtractis, hoc eſt, de Deo, ſeu de perſona à Deitate ſua denominata, verè & realiter prædicari humana: vt, Deus eſt homo, eſt natus ex virgine, paſſus, mortuus, ſublatus in cœlum, inde rediturus &c. Et de Homine, hoc eſt, de eadem perſona ab humanitate ſua denominata, prædicari verè & realiter diuina: vt, Homo iſte eſt Deus, eſt ab æterno, eſt creator mundi, omnipotens, immenſus &c: Non autem humana de Deitate, nec diuina de humanitate, vt, non verè dicitur: Deitas eſt homo, eſt nata, paſſa, mortua, ſuſcitata &c. vel: Humanitas eſt Deus, eſt ab æterno, eſt creatrix mundi, omnipotens, immenſa &c.

Homo Chriſtus ſubſtantialiter & realiter eſt Deus, omnipotens, infinitus, reſpectu Deitatis ſuæ: ſed reſpectu humanitatis ſuæ, neq; ſubſtantialiter, neq; accidentaliter, ac proinde non realiter Deus eſt: ſed quia humanitatem habet realiter & perſonaliter vnitam Deo vel Deitati: Nam λόγος & natura & perſona eſt; cùm caro non perſona, ſed tantùm natura ſit: iccirco nomina diuina ſecundùm hanc etiam naturam cum Deitate communia habet, ſic tamen, vt hæc prædicentur de iis tantùm nominibus, ſeu ſubiectis humanis, quæ totam perſonam ſignificant, à natura humana denominatam, ſed interea diuinam quoq; naturam complectuntur, non autem de illis, quæ ſolam humanam naturam ſignificant; Deitatem autem non ſimul includunt. Atq; hæc de

cauſſa, etſi homo iſte partim reipſa, partim nominetenus ſit Deus, tamen humanitas ipſa neq; re neq; nomine Deus eſt.

Eademq; ratione Deus λόγος realiter eſt homo, creatus, ſuſtentatus à Deo, finitus, reſpectu humanitatis ſuæ, ſed nominetenus, reſpectu Deitatis ſuæ: Deitas verò neq; re neq; nomine dicitur eſſe homo.

Non eſt igitur quæſtio, an DEO, *ſed an* DEITATI *realiter humana competant, neq; an* HOMINI, *ſed an* HVMANITATI *realiter diuina competant. Illud enim confitemur: hoc negamus. vtraq; enim prædicata, diuina & humana communiter & verè tribuuntur Deo & Homini, ſed diuina, quà Deus; humana, quà Homo eſt: Non autem poſſunt communiter tribui vtriq; naturæ, ſed tantùm ſua cuique propria, Deitati diuina, humanitati humana.*

Similis prædicationum ratio eſt de homine, & eſſet ſimilis de omnibus, ſi in rerum natura extarent alia exempla vnionis hypoſtaticæ duarum naturarum. Corpus hominis mortale, & elementare, & ſenſile eſt: ideò verè & realiter dicitur homo eſſe mortalis, elementaris, & ſenſilis, nempe ſecundùm corpus. Anima eſt immortalis, cœleſtis & inſenſilis: ideò verè & realiter homo dicitur immortalis, cœleſtis, & inſenſilis, nempe ſecundùm animam. Hîc ſi quis obturbet: Homo ſignificat corpus & animam, ergo realiter ſecundùm corpus, & ſecundùm animam, mortalis & immortalis eſt, quis ſanus non dixerit eum inſanire?

Sic etiam verè dicetur, loquẽdo de homine, immortalis eſt ſenſilis, ſcilicet, ſecundùm corpus; & mortalis eſt inſenſilis, ſcilicet, ſecundùm animam: & contra.

Cur igitur non etiam, loquendo de Chriſto, vnus & idem diceretur infinitus & finitus, omnipotẽs & non omnipotens, omniſcius & non omniſcius; etſi non ſecundùm idem, ſed ſecundùm aliud & aliud, vt Cyrillus loquitur, & veteres omnes, hoc eſt, eadem perſona, ſecundùm aliam atque aliam naturam? Maius

profectò

profectò in infinitum eſt diſcrimen Deitatis & humanitatis in Chriſto, quàm animæ & corporis humani: Et tamen proprietates animæ & corporis neq; in aliis hominibus, neq; in Chriſto realiter fiunt communes: multò igitur minùs proprietates duarum naturarum in Chriſto.

Hæc millies à noſtris repetita & explicata ſunt: ſed ab iſtis Theologis tam ſtrenuè diſſimulantur perpetuò, ac ſi nunquam dicta vel ſcripta eſſent; & interea complentur aures hominum magnis clamoribus, nos tantùm verbaliter, non autem realiter hominem Chriſtum profiteri Deum eſſe.

Præter hanc autem confuſionem perſonæ & naturæ, concreti & abſtracti ſubiecti, totius & partis, ex qua perperàm tribuunt vtriq; naturæ, quod perſonæ competit propter alteram naturam; & perſonæ dicunt nos detrahere, quod de altera tantùm natura negamus: habent etiam alterũ κρησφύγετον, *videlicet, homonymiã* ὁμωνυμία
vocabuli communionis, vel communicationis. Aiunt enim; in vocabulo cõmunionis.
Atqui realiter Deitas eſt communicata humanitati Chriſti: Ergo etiam omnipotentia & reliqua Deitatis propria (quandoquidem vtrinq; fatemur, omnipotentiam eſſe idem, quod Deitatem) aut ſi non omnipotentia, etiam Deitas non eſt realiter humanitati communicata.

Reſponſum illis eſt ſatis: quòd communio Patribus ſignificat aliquando vnionem ipſam duarum naturarum. Hæc maximè realis eſt; quia veriſſimè ex duarum naturarum ſubſtantiis, vnius Cõmunio pro ipſa vnione.
perſonæ Chriſti ſubſtantia, ſicut totum ex partibus, efficitur. Hoc ſenſu realiſſimè & arctiſſimè communicata eſt Deitati humanitas, & humanitati Deitas, id eſt, vnita: Aliâs verò, & quidem Cõmunio pro communi alterius naturæ eiuſque proprietatum de tota perſona prædicatione.
propriè & plerunque ſignificat hæc vox communem alterius naturæ & proprietatum eius, prædicationem de vtraq; natura: quæ non eſt (vt ipſi fingunt) vnio hypoſtatica, ſed huius vnionis effectus & conſequens. Hæc ſermonis forma ſignificat, prædicatũ realiter competere alteri naturæ, & propterea perſonæ; alteram

verò naturam huic eſſe perſonaliter vnitam: nequaquam autem ſignificat, ei naturæ, de cuius concreto prædicatur, attributum realiter ineſſe. Propter hunc ſenſum COMMVNICATIONEM IDIOMATVM, *reſpectu naturarum, non inexiſtentium, ſed prædicationem, hoc eſt, non realem, ſed verbalem (vt cum ipſis loquamur) communicationem eſſe, cum tota Orthodoxa Eccleſia profitemur.*

Vnde & hoc manifeſtum fit, prædicationem humanorum de Deo, & diuinorum de homine, etſi, quantum ad naturas, tantùm eſt verbalis; tamen nequaquam eſſe falſam: quod enim falsò diceretur de Deitate vel humanitate in abſtracto, id verè & realiter dicitur de ea in concreto, id eſt, de homine, qui complectitur ſimul alteram, nempe diuinam naturam, de qua verè & realiter ſecundùm ſe dicuntur diuina, non tantùm in concreto, ſicut de humana, ſed etiam in abſtracto. Non enim tales loquutiones ſignificant æqualitatem aut ſimilitudinem aut conformitatem naturarum, ſed vnionem inter ſe mutuam. Hæc igitur vnio ad earum veritatem ſufficit: Si verò intelligeretur per eam conformitas naturarum, oppoſitæ loquutionis veritas deſtrueretur.

Hæc propoſitio: Homo eſt Deus, omnipotens, æternus; vt ſit vera, ſatis eſt, humanitatem huius hominis eſſe Deitati omnipotenti & æternæ vnitam, & Deitatem eſſe huius Hominis propriam, ſecundùm quam Deus ſit. Si autem intelligeretur, quòd Homo ſecundùm Deitatem ſimul & ſecundùm humanitatem ſit Deus, & omnipotens, & æternus: falſa fieret oppoſita propoſitio: Homo ſecundùm humanitatem ſuam eſt homo, eſt mortuus, eſt creatus, natus in tempore &c. Nihil enim ſecundùm idem ſimul eſt homo & non homo; Deus & non Deus; omnipotens & non omnipotens, creator & creatura. Hæc eſt doctrina ſacræ Scripturæ, quæ teſtatur, Chriſtum eſſe λόγον, & Filium Dei vnigenitum, & coæternū ſecundùm ſpiritum viuificantem, & ſanctificantem; & natum ex Patribus, paſſum & mortuum, viſibilem factum & aſſumtum

eſſe

eſſe ſecundùm carnem. Hæc etiam eſt doctrina Orthodoxæ Antiquitatis Eccleſiæ.

Theodoretus: Sicut congruunt homini animæ & corporis propria: ſic etiam de Chriſto loquendum eſt. Cùm de naturis loquimur, cuique conuenientia tribuenda ſunt, & ſciendum eſt, quæ ſint Deitatis, quæ humanitatis propria. Cùm autem de Perſona loquimur, communicanda ſunt naturarum propria, & vtraque Seruatori Chriſto tribuenda, & vnus atque idem Deus & homo appellandus, Filius Dei & Filius hominis: Filius Dauidis & Dominus Dauidis, ſemen Abrahami & conditor Abrahami, & reliqua omnia ſimiliter. Dial. 2.

Et de perſona dicit: Scire oportet, quòd vnio communia facit NOMINA. *Item:* Propria naturarum facta ſunt communia perſonæ, propter vnionem, qua idem eſt Filius Dei & Filius hominis, æternus & recens &c. Dial. 3.

De naturis autem ait: COMMVNIO NOMINVM non facit confuſionem naturarum: *Et ibidem*: Hæc etiam nos conſueuimus facere; cōmunibus enim nominibus etiam partem appellamus, vt, Iohannes vel Stephanus iacet in vrna. Sed nemo hæc communia nomina audiens, quæ & animam & corpus ſignificant, incluſas eſſe vrnis etiam animas ſuſpicatur, ſed ſcit ſola corpora, aut exiguas eorum reliquias in vaſis contineri.

Eandem ſententiã prolixè & ex profeſſo explicans Damaſcenus dicit, non prædicari de Deitate humana, ſed de Deo ſecundùm humanitatem; neque de humanitate diuina, ſed de homine ſecundùm Deitatem: *Et vocat hoc Tropum* ἀντιδόσεως *ſeu alternationis.* li. 3. cap. 4.

Sed etiamſi patres hæc tam luculenter nobis non expoſuiſſent: vel Scholaſtici poterãt hos Theologos erroris admonere. Sic enim Bonaventura reſpondet de hac quæſtione; vtrum anima Chriſti Senten. li. 3. dist. 14.

communicauerit Deus omnipotentiam: Dicendum, quòd nec animæ Chriſti, nec vlli creaturæ poteſt omnipotentia cõmunicari, niſi eatenus, quatenus communicatur ei nomẽ & excellentia Diuinitatis, hoc eſt, per communicationem Idiomatum, quæ ortum habet ex perſonali vnione. Sicut enim poſſumus dicere, quòd homo eſt Deus; ita poſſumus dicere, quòd homo eſt omnipotens. Et ſicut excellentia Diuinitatis nulli creaturæ communicari poteſt, vt forma & proprietas eidem inhærens, vel ſubſtantialiter vel accidentaliter: ſic etiam nec omnipotentia.

lib. 1. ſent. diſtin. 37. art. 2. q. 1. *Idem de vbiquitate & omniſcientia dicit:* Quemadmodũ impoſſibile eſt, vt anima Chriſti, quamuis vnita ſit verbo, ſit vbicunque eſt verbum; alioqui eſſet immenſa, & exiſtentia ipſius æquaretur exiſtentiæ verbi: Ita quoque impoſſibile eſt, vt intellectus animæ Chriſti, ſimul omnia cognoſcat actu, quæ verbũ, quãuis ei perſonaliter vniatur.

Item: Quòd vbique ſit Chriſtus, hæc eſt diuinæ naturæ proprietas, quæ vni atque ſoli Deo competit, vt nulli prorſus creaturæ, ac ne ipſi quidem naturæ humanæ Chriſti in vnitate perſonæ realiter communicari poſſit. *Hæc ille: & alia multa in eandem ſententiam.*

Iam verò poſtquam conſtat, nos, dum negamus, humanitatẽ Chriſti realiter eſſe Deum, non propterea negare, hominem Chriſtum realiter eſſe Deum: eadem ratione manifeſtum eſt, nos hominem Chriſtum omnipotentem, omniſcium, infinitum realiter agnoſcere; etſi humanitati eius realiter iſta cõuenire negamus. Neceſſariò enim ſicut huic ſiue homini ſiue humanitati data vel cõmunicata eſt Deitas, ſic etiã omnia Deitatis propria: Et ſicut Deo ſiue Deitati communicata humanitas: ſic etiam omnia humanitatis propria. Et ſicut iſte homo Deus eſt, ſic eſt omnipotens & infinitus. Eſt autem Deus non ſecundùm humanitatem: Ergo nec ſecundùm eam omnipotens, immenſus &c.

Huc pertinet altera non minus atrox calumnia, quam ſæpe inculcatam, etiam in ſuo libro Concordiæ non veriti ſunt repetere: doctrinam noſtrã Arianiſmo & Samoſateniſmo fauere, & viam aperire. IV. Anathem. 20. & in Repet. pag. 306.

Satis à noſtris ſolidè crimen hoc refutatum, & in ipſos regeſtum eſt. Sed quantum videmus, deſierũt ſibi turpe ducere, quiduis de innocentibus fingere, ſilentio præteritis & ſepultis ipſorum refutationibus & defenſionibus. Quid poſſumus habere affine cum vllis hæreticis, veram Chriſti Deitatem allatrantibus, qui confitemur hominem Chriſtum habere in ſe, tanquam partem ſubſtantialem ſuæ perſonæ, æternam Dei verbi ſubſtantiam, ideóque in hunc Hominem veriſſimè & pleniſſimè competere, quæcunq; Dei ſunt propria? Quàm autem ſit abſurda & maligna iſta conſequutio: Chriſtum dicimus Deum eſſe non ſecundùm humanitatem, ſed ſecundùm Deitatem tantùm: Ergo negamus hunc Hominem eſſe realiter & ſubſtantialiter Deum; quis non intelligit? niſi quis fortè tam ſit ſtupidus, vt ex hac propoſitione: Homo non intelligit pedibus; putet illam conſequi: Ergo homo non eſt realiter intelligens: & contendat hominem duntaxat verbotenus intelligentem dici, niſi dicatur etiam pedibus intelligere. De Arianiſmo & Samoſateniſmo. Ingenua Theologorum iſtorũ Dialectica.

Contrà verò, ipſi non ſemel ſunt admoniti, ſi dicta Scripturæ, in quibus diuinæ proprietates & operationes tribuuntur Chriſto, per ſuam realem communicationem Idiomatum, detorqueãt ad naturam humanam; non tantùm feneſtram, ſed portam ampliſſimam aperiri Arianis & Samoſatenicis blaſphemiis, & arma ex manibus Eccleſiæ excuti, quibus contra illas eſt pugnandũ. Quoties enim illis opponetur, Chriſtum in ſacris literis nobis deſcribi Deum, deſcribi omnipotentem, omniſcium, infinitum, vbiq; præſentem, datorem Spiritus ſancti, adorandũ &c. in promtu erit illis excipere, non requiri ad iſta aliam in eo naturam præter humanam, cui ſint iſta realiter à Deo communicata. Ac ne æternitas quidem ipſa ſufficiet, & mundi creatio, ad refutandos illos, Realis cõmunicatio Idiomatũ aperit cuniculum hæreticis ad ſubuertẽdã Chriſti Deitatem.

qui fingunt etiam his temporibus, Chriſtum eſſe Deum aliquem coæternum quidem, ſed tamen Patre minorem, & eſſentia ab ipſo diſtinctum, cui Pater omnes diuinas ſuas proprietates realiter communicauerit. Excipere enim illis licebit, hæc non in ſolam Patris Deitatem cõpetere, ſed in aliam quoq; naturam, ſiue creatam, vt Arius voluit, ſiue coæternã, ſicut olim & nunc Tritheitæ.

Hic niſi inſiſtatur huic ſolidiſſimo fundamento, hæc elogia diuina Chriſti in nullam naturam cadere, niſi in æternam & vnicam Deitatem æterni Patris; quæ nobis reſponſio relinquetur ad ora ipſorum obturanda?

Iudicet iam tota Chriſti Eccleſia, nóſne an ipſi fores aperiant Arianiſmo. Et tamen talia committentes, putant ſibi fas eſſe, nos Arianiſmi & Mahumetiſmi inſimulare. Videat Deus & iudicet.

V. *Aequè falſa & iniuſta eſt accuſatio, cùm nobis obiiciunt Neſtorianiſmum, quaſi perſonam Chriſti diſſoluamus, pro duabus naturis duas perſonas & duos Chriſtos ſubſtituentes, alterum Deũ, alterum hominem: nudamq́; humanitatem pro nobis paſſam eſſe, & nos redemiſſe dicamus. Nuda humanitas eſt illis idem, quod nudus homo, quem Græci dicunt* ψιλὸν ἄνθρωπον, *hoc eſt, humana natura ſeparata à diuina. Volunt ergo hominibus perſuadere, nos docere, quòd homo pro nobis paſſus ſit, & nos redemerit, non autem quòd Deus ſuo ſanguine nos redemerit, Dominus gloriæ pro nobis crucifixus ſit, Filius Dei vnigenitus pro nobis mortuus ſit.*

Anath. 1. & 12.

De Neſtorianiſmo.

Nos verò contrà dicimus, vnum & eundem Chriſtum eſſe Deum & hominem verum, Deum pro nobis mortuum eſſe, non quidem ſecundùm Deitatem ſuam, quæ pati & mori non poteſt, ſed ſecundùm humanitatem ſuam; ſuam dicimus, hoc eſt, Deitati vnitam perſonaliter, etiam in ipſa morte. Nam ne in ipſa quidem morte, cùm ſeparata fuit anima Chriſti à corpore, pendente in cruce, & iacente in ſepulcro, ſeparata eſt Deitas vel ab anima vel à corpore. Non igitur nuda, id eſt, ſeparata, ſed vnita Deitati humanitas, pro nobis eſt mortua.

Multò

Multò minus eſt verum, quod fingunt nos dicere, per nudam humanitatem nos redemtos eſſe. Primum enim, vt iam diximus, non nuda ſed Deitati vnita humanitas nos redemit. Secundò, redemtio non ſicut paſſio, eſt proprietas ſolius naturæ humanæ, ſed eſt nomen ἀποτελέσματος ſeu officij Redemtoris, quod Chriſto non ſecundùm alteram duntaxat, ſed ſecundùm vtranque naturam competit, vtraque natura in eo, quod ſuum eſt, operante. Humana natura patitur, & moritur innocens, & fit victima pro peccatis, volens hanc obedientiam: Diuina item vult obedientiam hanc, & occultat ſuam gloriam, non repellens à natura humana mortem & ignominiam, ſuſtentat in cruciatu naturam humanam, vult vt Pater æternus nos recipiat in gratiam, propter hanc victimam, & addit hanc dignitatem ſuæ victimæ, quam offert Patri pro nobis, vt ſit λύτρον & precium ſufficiens, pro totius mundi peccatis, æquipollens pœnis æternis, quas merebantur omnia omnium hominum peccata; propter quam etiam cauſſam oportuit ipſum Filium Dei naſci ex muliere, & fieri obnoxium Legi. Hóccine eſt iſtis Theologis nuda humanitate genus humanum redimi? An hoc non eſt calumniari homines innocentes, contra omnẽ ipſorum confeſſionem, contra apertam veritatem, contra omniũ ſanorum teſtimonium & conſcientiam?

Minùs etiam hîc eſſent accuſandi, niſi in lutum, quo nos aſpergere nituntur, ipſi ſe totos prouoluerent. Sexcenties illis demonſtratum eſt, transformationem vnionis hypoſtaticæ in realem communicationem Idiomatum, ſiue hanc nominent donorum in natura cum eſſentialibus Dei proprietatibus æqualitatem, vt olim, ſiue, vt nunc, omnium diuinorum operum per humanitatem effectionem, ipſiſſimum Neſtorianiſmi barathrum eſſe. Sine hac enim ſua communione Idiomatum reali, dicunt, non magis Deitatem vniri humanitati Chriſti, quàm aliis ſanctis, immò quàm omnibus creaturis. At neque ea, quæ proprietatibus æqualia ſunt, neque ea, quorum alterum operatur per alterum, vnita eſſe

Realis Idiomatũ communicatio eſt palliatus Neſtorianiſmus.

oportet, ſiue perſonaliter, ſiue alio vnionis genere. Quomodo igitur non ſoluunt vnitatem perſonæ, qui vnionem naturarum in ea ſola re conſtituunt, & per eam definiunt, quæ nihil minus eſt quàm vnio?

Vbiquitarii in iiſdẽ caſtris cũ Eutyche & Schvuẽckfeldio aduerſus Chriſti perſonam militant.

Satis hoc eſſet monſtri: ſed illi ſic monſtra ex monſtris componunt, vt ab vna parte in Neſtorij, ab altera in Eutychis & Schvuenckfeldij caſtra manifeſtè tranſierint. Negatis enim & cõfuſis proprietatibus, etiã Luthero teſte, negãtur & confundũtur naturæ. Adimunt autem iſti ſuas naturæ humanæ proprietates, & pro his diuinas aſſcribunt. Quod certè dum faciunt, in naturam diuinam eam transformant, cum Schvuenckfeldiò deificant, cum Eutyche abolent. Quod enim ſimul vtraſq; illi volunt tribuere, fabulæ ſunt, vel pueris exſibilandæ. Nulla enim natura ſecundùm ſeipſam recipit contradictoria.

VI. Anathem. 12. De paſſione Filii Dei.

Eiuſdem farinæ eſt, quod aiunt, nos docere, paſſionem Chriſti ad Filium Dei nihil attinuiſſe.

1. Pet. 3. 18. Pſal. 22 17. Ioh. 6. 51

Nemo noſtrum hoc dixit, vel quicquã, ex quo illud ſequatur: Filius Dei paſſus & mortuus eſt, ſed carne, inquit Apoſtolus: Carne autem ſua, id eſt, ſibi perſonaliter vnita, & cum ipſo ſubſtantiam vnius perſonæ conſtituente. Foderunt, inquit in Pſalmo, manus meas, & pedes meos. Et in Euangelio: Panis quem ego dabo, caro mea eſt, quam dabo pro mundi vita. Cùm igitur parte ſui, quæ pati & mori poterat, videlicet, natura ſua humana ſit paſſus, quomodo ſic docentibus obiicitur, quòd paſſionem dicãt nihil attinuiſſe ad Filium Dei? Si anima ſua & corpus ſuum ad ipſum attinuit, quomodo potuit horum cruciatus & laceratio & diuulſio nihil ad ipſum attinere, etiamſi Deitas cruciari, & lacerari & mori non potuerit? Quis ita inſanit, vt ſi pes ipſius, vel manus ipſius aliquid patiatur, hanc paſſionem ad ſe dicat nihil pertinere, propterea quòd in capite aut aliis partibus non laceratur aut cruciatur? Etiam ſanctis & membris ſuis in terra perſequutionem patientibus, ipſe Dominus clamat in cœleſti gloria degens:

Saul,

Saul, Saul, quid me perſequeris? cùm tamen ingens diſcrimen ſit inter paßiones fidelium & Chriſti. Sanctis enim patientibus, alia eſt perſona; quæ dolorem & paßionem ipſam ſuſtinet, nempe fideles; alia, nempe Chriſtus, quæ afficitur contumelia ab hoſtibus, iniuria afficientibus ipſius legatos & ſeruos, propter illius confeßionem, & ſeriò improbat, & curat afflictionem eorum, quos ſibi tanquam [a] *membra adiungit, &* [b] *fratres ſuos atq;* [c] *amicos vocat, &* [d] *gloriæ ſuæ cohæredes,* [e] *& templum ſuum in quo habitat. Et tamen dicitur: Qui templum Dei deſtruit, illum deſtruet Deus. Chriſto autem patiente, eadem perſona eſt, & ea quidem ipſe Deus, quæ eſt ſubiectum ſupplicij ac doloris animæ & corporis, & obiectum immediatum iniuriæ & contumeliæ, qua ab hoſtibus afficitur. Quantò igitur magis & propius ad Filium Dei attinet ſua ipſius caro, quàm ſancti; tantò etiam magis ad ipſum attinet paßio ipſius, quàm aliorum.*

Act. 9. 4. a 1. Cor. 6. 15. b Ioh. 20. 17. c Ioh. 15. 15. d Rom. 8. 17. e 1. Cor. 6. 19.

VII. Anath. 13.

Non plus coloris habet altera abſurditas, quam nobis hic affingunt: Præſentiam Deitatis Chriſti in terra, ad humanitatem ipſius in cœlo degentem, nihil attinere; Et humanitatem nihil nobiſcum habere negotij.

De præſentia Chriſti in terra.

Atqui nos docemus, Chriſtum & mente & voluntate ſua diuina & humana curare, ſeruare, & tueri ſuam Eccleſiam; Eſt enim hoc ipſius officium, in quo peragendo vtriuſq; naturæ operationes concurrunt, ſaluo tamen earum diſcrimine. Diuina ſua ſapientia & potentia, intuetur perpetuò omnes neceßitates, exaudit omnes gemitus ſuorum, ſua virtute ſeruat miniſterium & Eccleſiam aduerſus diabolos & omnes hoſtes, dat Spiritum ſanctum electis, iuſtitiam & vitam æternam. Hæc autē omnia facit λόγος, conſcia natura ſuâ humana, & ſimul ardentißimè volente hæc beneficia, & intercesſione ſua impetrante à Patre æterno. Non enim habemus Pontificem, qui non poßit affici ſenſu infirmitatum noſtrarum, ſed tentatum in omnibus ſimiliter, abſq; peccato. Heb. 4. 15.

Mediator, ſacerdos, rex, caput ſuæ Eccleſiæ eſt Chriſtus; ſoli-

citus de nobis, non relinquens nos orphanos, ſecundùm vtranque naturam. Qua fronte igitur nobis obiicitur, quòd ſecundùm noſtram doctrinam, natura humana nihil habeat nobiſcum negotij? Ad hanc autem adminiſtrationem officij Chriſti, nihil opus eſt VBIQVITATE *naturæ humanæ. Caput enim in cœlis regnans & reſidens, virtute Deitatis ſuæ effundit Spiritum ſuum viuificum in omnia membra ſua, vbicunq; locorum exiſtentia, & per eum in ipſo & nobis habitantem, nos ſibi adunit & conformat. An propterea pedes nihil attinent ad caput, quia caput non eſt in pedibus, aut in eodem loco, quo ſunt pedes? An Sol propterea non illuſtrat ſuis radiis omnes mundi partes, aut hæc illuſtratio nihil ad eum attinet, quia corpus ipſius in cœlo contentum manet? An gubernatio & ſalus ſubditorum per vniuerſam ditionem, nihil attinet ad Principē, & nihil cum illis habet Princeps negotij, quia corpore ſuo non adeſt ſingulis ſubditis?*

Quid igitur dicemus de Chriſto, cuius diuinitas nemini ſalutē confert, niſi pro quo diuina & humana ſua volūtate intercedit apud Patrem, imò qui ipſius corpori tanquam palmes viti inſitus, & ex carne eius, & oſſibus eius fuerit? Quid me perſequeris? clamabat caput de cœlo, cùm pedes calcarentur in terra. Præſentiſſimum ergo eſt caput ſuis membris, dum illis vnitum eſt, etiamſi non eodē ſit cum illis loco, qui ad hanc præſentiam nihil facit. Pudere autē debebat homines Theologos, tam inconſideratè dictorū.

VIII. Anath. 14. *Tribuunt nobis porrò, quòd doceamus, Chriſtum non facere opera ſua diuina omnia & vbique, in & cum natura ſua humana.*

De operationibus Chriſti diuinis in & cum natura ſua humana.

Animaduertenda eſt hic Theologorum dialectica, quæ in ſcholis nominatur fallacia ſecundùm plures interrogationes, vt vnā; dum perpetuò coniungunt iſtas loquutiones, Chriſtum facere omnia IN *&* CVM *natura humana, &* PER *naturam humanā: quaſi hæc omnia vel à nobis negarentur, vel vna eademq; eſſent oratio & quæſtio. Nos verò negamus quidem, Chriſtum omnia opera diuina vbiq; per humanam naturam, tanquam per inſtrumentum*

mentum efficere. Non enim exaudit omnes, ſeruat omnes, dat Spiritum ſanctum ſua humanitate, multò minus manibus vel pedibus: ſolius hæc Deitatis propria ſunt, ideoq; homini Chriſto cõueniunt, non quà homo, ſed quatenus Deus eſt. Neq; humanitas ſe ipſam excitauit à morte, ſed excitata eſt à Deitate. Interea operatur multa per humanitatem, quæ pertinent ad officium Mediatoris, quod nequaquam requirit omnipotẽtiam vel omnipræſentiam naturæ humanæ.

Quaſcunq; autem λόγος operationes exercet poſt incarnationem, IN & CVM *natura ſua humana exercet, hoc eſt, naturæ humanæ vnitus, & in ea habitans perſonaliter, & ea ſimul cooperãte, quod ſuum eſt. Idem enim & totus λόγος, qui vbiq; eſt extra ſuam humanitatem, eſt & manet ſimul inſeparabiliter in natura ſua humana: ideoq; ſicut nuſquã eſt, ſic nuſquam operatur quicquam, non ſimul in ſua humanitate exiſtens, ita vt iam non tantùm λόγος, vt ante incarnationem, ſed λόγος incarnatus, λόγος homo, faciat omnia Patris opera, & manifeſtetur in cælo per ipſius viſibilem gloriam, Deum per hunc* HOMINEM *omnia ſua opera & iudicia perficere: id quod eſt ipſius ad dexteram Patris collocatio & exaltatio.*

Præterea, non ignorat Chriſtus mente ſua humana, quid vbique in cælo & in terra operetur ſua diuinitas; Scit quod ſit officiũ perſonæ totius, cuius ipſa pars eſt, & vult hoc perfici, ſecundùm vtriuſq; naturæ proprietatem & conuenientiam, voluntate quidem diſtincta, ſed tamen perpetuò congruente cum diuina: Et auctoritas operandi diuina pertinet ad totam perſonam, quia non tantùm diuina, ſed etiam humana natura Chriſti, eſt omniũ creaturarum domina. Non tantùm igitur IN *natura humana, ſed etiam vnà* CVM *ea, hoc eſt, ea cooperante, quod ſuarum partium eſt, omnia opera ſua λόγος operatur.*

Sic loquitur de ſe ipſe Chriſtus, effectionem miraculorum tribuens ſuæ Diuinitati, voluntatem verò Diuinitati & humani- Marc.5.30. Luc.6.19. & 8.46.

tati, cùm ait: Senſi ex me egreſſam virtutem: quam virtutem? certè diuinam: at quomodo egreſſam? certè non de loco in locum, vel de ſubiecto in ſubiectum, vel ſeparatione à natura humana; ſed ſui exſertione, declaratione per opus diuinũ ſanationis, quod extra naturam humanam Chriſti fiebat, à virtute, quæ ſimul intra & extra illam exiſtebat & manebat. Voluntatem verò etiam humanitatis ſuæ declarat, cùm voce ſua beneficium à ſe volente datum & ratum haberi pronuntiat.

IX. Anath. 15. *Dicunt nos negare homini Chriſto datam eſſe omnipotẽtiam, & ſecundùm nos, huic homini nullam eſſe cum omnipotentia communionem.*

De omnipotentia Christi.

Atqui dicimus, huic HOMINI *datam eſſe ipſam Deitatem, & quidem ita datam, vt ſit de ſubſtantia perſonæ ipſius, per vnionẽ hypoſtaticam cum humanitate. Eſt autem omnipotentia nulla alia, niſi vnica, atq; æterna Deitatis eſſentia. Sicut ergo hic homo Deus eſt, ſic etiam eſt omnipotens: & ſicut data ipſi Deitas, non facit humanitatem* DEVM, *ſic etiam data ipſi omnipotentia, non facit humanitatem ipſius omnipotentem. Sicut enim idem ſunt Deitas & omnipotentia, ſic idem ſunt eſſe Deum, & eſſe omnipotentem.*

Rectè itaq; dicimus, hominem eſſe omnipotentem, non quia humanitas ipſius facta ſit omnipotens, ſed quia ipſi omnipotentia perſonaliter vnita eſt. Nihil enim eſt omnipotens, niſi ipſa omnipotentia, quæ eſt ipſe Deus, neq; per hanc vlla natura poteſt eſſe omnipotens, niſi ipſe Deus. „Quicquid enim eſt omnipotens, profectò per omnipotentiam, vt ſit omnipotens, neceſſe eſt: idq; vel tanquam per eſſentiam ſuam, vel tanquam per accidens ſeu qualitatem inhærentem. At Deitas nec accidens cuiuſquam eſt, nec eſſentia vllius rei, præter ipſum æternum Deum.

Viderint igitur, quomodo Eutychianiſmum effugiant, qui naturæ humanæ ſic volunt omnipotentiam eſſe communicatam, vt ipſa humanitas facta ſit omnipotens, ſiue per creatam, vt olim, ſiue

ſiue per increatam, vt nunc loquuntur, omnipotentiam.

Dicunt, nos tribuere Chriſto certam menſuram Scientiæ, vt tantum ſciat, quantum ſcire debeat. X. Anath. 17.

At quomodo certam menſuram tribuimus ei, qui duo hæc profitemur: primum, ipſius ſapientiam eſſe omnium angelorum & hominum ſapientia non tantùm ſuperiorem, ſed etiam incomprehenſibilem? Incomprehenſibilem dicimus, quam nulla alia creatura poteſt capere, & cuius perfectionem & excellentiam nulla alia creatura poſſit intelligere aut cogitare. Nullam igitur certam menſuram ſcientiæ aſſignamus Chriſto, cùm neq; angeli neq; homines illius menſuram ſcire poſſint, ſed ſolus Deus. Quomodo enim nobis certum ac determinatum ſit, quod nobis ne quidem notum eſt, neq; eſſe notum poteſt? Alterum, quòd illam ſapientiam creatam, id eſt, notitias in mente humana Chriſti, dicimus ipſi à natura diuina imprimi, & in ea formari ſucceſſiuè, diuerſis cogitādi actibus, nec eſſe certo numero aſtrictas, ſed, vt ita loquamur, potentia indeterminatas, vt quocunque momento quicquid vult, etiam humano ſuo intellectu, Chriſtus ſciat: ſicut omnis quidem numerus ſinitus eſt actu ſeu reipſa, & tamen potentia infinitus eſt, hoc eſt, nullus poteſt dari tantus numerus, quin ei poſſit aliquid addi. Alia eſt ratio actus infiniti, cui impoſſibile eſt aliquid addi, qui nullus eſt, niſi vnicus immutabilis Deus. De omniſcientia Chriſti.

Simile eſt, quod dicunt, nos Chriſto non relinquere plus cognitionis, quàm requiritur ad officium Iudicis. X I. Anath. 7.

Bonum & vtile eſt didiciſſe Sophiſticos Elenchos Ariſtotelis, ad eos animaduertendos, cauendos & diſcutiendos. Sed hi Theologi videntur eos diligenter didiciſſe ad illos vſurpandos, & fallendos homines. Etiam pueri poſſunt hîc videre fallaciam conſequentis. Omnem ſapientiam Iudicialem dicimus eſſe in Chriſto: Ergo omnem ſapientiam Chriſti dicimus eſſe Iudicialem, id eſt, Chriſtum habere tantùm illam ſapientiam, quæ ad officium Iudicis requiritur. Nunquam hoc diximus. Habet enim ſapientiam

diuinam & humanam, increatam & creatam, non tantùm ad Iudicis mundi, ſed etiam ad Seruatoris, Mediatoris, Regis & capitis Eccleſiæ officium, & totius mundi dominium & gubernationem, neceſſariam.

XII. Anath. 18. *Dicunt, nos homini Chriſto non tribuere perfectam agnitionem Dei.*

Atqui cùm Deus non poſſit ſe non perfectiſſimè nouiſſe; quomodo poſſunt perfectam Dei cognitionem huic homini detrahere, qui Deum ſubſtantia ſua ipſum eſſe defendunt? Menti autem humanæ Chriſti, quomodo poteſt perfecta Dei agnitio adimi, cùm Scriptura hanc etiam angelis & hominibus ſanctis in cœleſti gloria tribuat. Angeli enim perpetuò vident faciem Patris in cœlo: Et nos videbimus eum ſicuti eſt. Ex parte cognoſcimus in hac vita, & ex parte prophetamus: poſtquam autem aduenerit, quod perfectum eſt, tum quod ex parte eſt abolebitur. Cernimus enim nunc per ſpeculum & per ænigma, tunc autem coràm cernemus: nunc cognoſcimus ex parte, tunc verò cognoſcemus, prout edocti fuerimus.

Matth. 18. 10. 1. Ioh. 3. 2. 1. Cor. 13. v. 12.

Certum eſt, noſtram ſapientiam non fore Deo æqualem, & tamen Apoſtolus nobis perfectionem eius promittit. At Chriſti ſapientia, ſicut omnia dona creata, in natura ipſius humana, ineffabiliter & incomprehenſibiliter ſuperant omnium angelorum & hominum perfectionem & gloriam. Quantò igitur veriùs & iuſtiùs tribuitur ei ſumma horum perfectio, & nobis inſcrutabilis, etiamſi ſapientia creata increatæ non æquetur?

Sed hoc eſt Sophiſtici Spiritus artificium, qui transformat ſe in angelum lucis, tum prætexens illuſtrationē gloriæ Dei & Chriſti, cùm vtriuſq; gloriam quàm maximè obſcurat. Solius Deitatis, & omnium attributorum eius, vtpote, quæ ſunt ipſiſſima Deitas, perfectio eſt immenſitas: & propriiſſima Dei gloria, quam paſſim ſibi in Scriptura vendicat, eſt eius ſuper omnes res creatas eminentia. Et propria Filij Dei gloria eſt, quòd ex immenſa miſericor-

Deitatis perfectio.

ricordia & amore erga genus humanum, voluit in vnitatem ſuæ perſonæ aſſumere, & in æternum in ea geſtare maſſam noſtræ naturæ, quanquam ſumma gloria ornatam, tamen Deitati ſuæ non æqualem, atq; ita fieri ſe ipſo minor, vt nos omnibus creaturis maiores faceret. Creaturæ autem perfectio & gloria, eſt ea conditio & excellentia, in qua Deo placet, & illius finis aſſequutio, ad quem à Deo condita & ordinata eſt: Immenſitas autem, vel exæquatio creaturæ cum Deo, non eſt eius perfectio, ſed deſtructio; non eius gloria, ſed ignominia. Deſinet enim creatura eſſe creatura: deſinet caro eſſe caro; & iam non caro, ſed alia natura, habebit iſtam gloriam, vt ſedeat ad dexteram Dei: non illuſtrabit ſua cum Deo inæqualitate, ſolius Deitatis ſuper omnia etiam ſumma, eminentiã; ſed hanc obſcurabit & abolebit ſua cum creatore æqualitate: Erubeſcet iam Chriſtus, nos nominare fratres ſuos & membra ſua: neq; nos eum fratris & capitis noſtri nomine audebimus compellare, vt qui carnis & ſanguinis noſtri non amplius ſit particeps.

Creaturæ perfectio.

Vide S. Ioh. Caſſiani & Leonis dicta.

Aduerſus hæc omnia docet ſacra Scriptura, ſapientiam creatam in mente humana Chriſti, creuiſſe cum ætate, & quamuis eius natura humana ſit ad dexteram Dei collocata; tamen carnem, & ſubiectam Deo manere in æternum: illuminari, glorificari, viuificari, geſtari, & ſeruari à λόγῳ, adeò vt ne quidem perſona ſit per ſe, ſed duntaxat natura, quæ ne exiſteret quidem, niſi ſic geſtaretur à perſona λόγου.

Quare igitur iſti Theologi confundunt perfectionem creatoris & creaturæ, Deitatis & humanitatis in Chriſto? Quare nobis obiiciunt, quòd perfectionem cognitionis Dei, ſapientiæ, & omniũ donorum, adimamus Chriſto, quia perfectionem creatæ & increatæ ſapientiæ in Chriſto diſtinguimus? Prædicat Apoſtolus, ſe audiuiſſe ineffabilia verba, quæ non liceat homini eloqui. Et tamen dicit, ſe iam cognoſcere tantùm ex parte; deinceps verò cogniturum perfectè. Quàm igitur erit ineffabilis illa demum cognitio Dei, quæ reſeruatur nobis in vitam æternam? Et ſi talis ac

2. Cor. 12. 4.

1. Cor. 13. 9.

tanta erit membrorum, qualem & quantam neceſſe eſt eſſe capitis, quod eſt Chriſtus, etiam ſecundùm humanitatem? Nobis ad menſuram datur, illi ſine menſura data eſt Dei cognitio: Ergo etiã notitiis, in intellectu ſuo humano creatis & accenſis à λόγῳ per ſuum Spiritum intelligit & ſcit Chriſtus omnia Deitatis myſteria, quæcunq; & quouſq; per notitiam, ideam ſeu imaginem & ſimilitudinem ſui creatam repræſentari poſſunt. Talis autem notitia ſeu imago in intellectu creato formata, etſi non eſt æqualis immenſæ Deitati: tamen in humana mente Chriſti, tanta & tam illuſtris & ſublimis eſt, vt nulla nec angelorũ nec hominum mens, eam poſſit capere, ſed illa ſola mens, quæ λόγῳ eſt vnita perſonaliter.

Cogitatione verò Deum æquante, ſola Diuinitas ſe cogitare po-
Matth. 11. *teſt, cogitatione ſui ipſius eſſentiali, de qua dicitur: Nemo nouit Fi-*
27. *lium, niſi Pater, neq; Patrem quiſquam nouit, niſi Filius, & cui-*
Ioh. 1. 18. *cunq; voluerit Filius retegere. Et: Deum nemo vidit vnquam; vnigenitus ille Filius, qui eſt in ſinu Patris, ille nobis expoſuit. Et:*
Ioh. 6. 46. *Non quòd Patrem viderit quiſquam, niſi qui eſt à Deo, hic vidit Patrem. Solus ergo Filius perpetuò & perfectiſsimè nouit Patrem; nos autem non niſi quando & quantum ille vnicuiq; reuelat.*

XIII. *Non magis verecundi ſunt Theologi, affingentes nobis hanc*
Anath. 19. *ſententiam, quòd Chriſto ſecundùm naturam humanam ſit impoſsibile, ſcire omnia, quæ ſunt, quæ fuerunt, & quæ erunt.*

Contrarium ex diametro ſuprà ſumus profeſſi, & profitentur noſtrorum ſcripta. Nihil tam eſt arduum, nihil tam minutum in operibus Dei, hoc eſt, ſuis, præteritis, præſentibus, futuris, quod Chriſto non in promtu ſit, quocunq; momento vult, & quotieſcũq; vult ſcire & cogitare intellectu ſuo humano, ac ſi obiectum eſſet oculis & ſenſibus ipſius corporalibus. Non eſt illi occultum in cœleſti gloria, quot arenæ maris, quot folia omnium arborum, quot gramina in ſuperficie terræ, quot homines nati, quot naſcituri ſint, quot viui, quot mortui, quot electi, quot reprobi ſint: quod

ſit momentum futuri Iudicij extremi: ſed hæc omnia & quæcunque dici poſſint, diſtinctis & ſucceſsiuis cogitandi actibus, ſiue ideis, ſiue ſpeciebus intelligibilibus cogitat, ſecundùm creatæ mentis proprietatem eſſentialem. Sic rectè dicitur Chriſtus omnia ſcire. Sed hæc omniſcientia plurimum differt, ab increata Dei ſapiētia, qua Deus ſe ipſum, & omnia opera ſua & aliena, vno æterno & immutabili actu ex ſe ipſo intuetur.

His nouum crimen adiiciunt. Impingūt nobis hæreſin Agnoëtarum: quia, ſicut illi, dicamus, Chriſtum ſecundùm naturam humanam multa ignorare. XIIII. In reper. cap. 8. pag. 313.

Videntur Theologi hæc ideò confidentiùs dicere, quia partim ſcribant illis, qui apud Damaſcenum & Iſidorum de hæreticis, & apud Nicephorum lib. 12. cap. 30. & lib. 18. cap. 49. & 50. & Gregorium lib. 8. epiſtola 42. non legerunt, qui fuerint Agnoëtæ, partim iis, qui auctoritati ipſorum tantum deferunt, vt quicquid illi vel dormientes proloquuti fuerint, id ſine exceptione & inquiſitione vlla recipiendum putent. Alioqui enim vix videntur nobis obiecturi fuiſſe Agnoëtas, ſuos fraterculos, reales communicatores Idiomatum. Nam hi, quos diximus, auctores ſcribūt, eos fuiſſe Eutychianos, qui Chriſtum ex Deo hominem, mutatione Deitatis ſuæ in humanitatem, & rurſus ex homine Deum factum eſſe fingebant, reuerſione humanitatis in Deitatem. Atq; hanc humanitatem, id eſt, Deitatem Verbi, mutatam in carnem, volebant ignoraſſe diem Iudicij, tempore carnis ſeu humilitatis, & alia multa, ac non tantùm ignorantiæ, ſed omnibus etiam infirmitatibus, & paſsionibus humanis obnoxiam fuiſſe, ſicut ex iſtis quoque Libri Concordiæ auctoribus quidam publicè contenderunt, Chriſtum etiam ſecundùm Deitatem eſſe paſſum.

Agnoëtæ fuerūt Eutychiani, Vbiquitariorū fraterculi.

Contrà verò nos dicimus, Chriſtum hominem omnia ſciuiſſe & ſcire ſemper ſine vlla mutatione, ſecundùm Deitatem ſuam: tempore autem humilitatis ſuæ, ſecundùm humanitatem ſuam, multa ignoraſſe propter nos, quorum in gloria ſua nihil ipſi eſt

ignotum. Si propter hanc doctrinam ſumus Agnoëtæ, etiam Lutherus erit Agnoëta, qui in Sermone Natalicio ſuper Hebr. 1. ſic ſcribit: Vt ad Chriſtum redeamus, credendum eſt firmiter, Chriſtum eſſe verum Deum & verum hominem. Et aliquādo loquitur Scriptura, & ipſe Chriſtus, ſecundùm diuinam ipſius naturam, aliquādo ſecundùm humanam: vt cùm dicit Ioh. 8. Antequam Abraham erat, ego ſum, hoc eſt de Deitate dictum. Sed cùm dicit, Matth. 20. Iacobo & Iohanni, ſedere ad dextram meam & ſiniſtram, non meum eſt dare, hoc de humanitate dictum eſt, ſicut hæc in cruce non poterat ipſa ſe ſeruare. Quanquam aliqui hîc magnū acumen volunt oſtendere, ſuis obſcuris expoſitionibus, vt occurrāt hæreticis. Sic etiam ille eſt homo Chriſtus, cùm dicit Marci 13. De die & hora illa nemo ſcit, neque angeli in cœlo, neque Filius, ſed ſolus Pater. Non neceſſaria eſt hæc gloſſa: Filius hoc ignorat, hoc eſt, NON VVLT eloqui. Quorſum iſta gloſſa? Humanitas Chriſti æquè ac alius ſanctus & naturalis homo, non ſemper omnia cogitauit, dixit, voluit, animaduertit; ſicut QVIDAM omnipotentē hominem ex ipſo faciunt, imprudenter confundentes duas naturas, & earum operationes. Sicut non ſemper omnia vidit, audiuit & ſenſit, ſic etiam non ſemper omnia animo intuitus eſt, ſed ſicut eum Deus duxit, & ei obiecit. Plenus gratia & ſapientia fuit, vt de omnibus ſibi oblatis potuerit iudicare & docere, propterea quòd Deitas, quæ SOLA videt & ſcit omnia, in ipſo perſonaliter erat præſens. *Hæc & plura in hanc ſententiam ibi ſunt Lutheri verba. Hunc illi, ſi vt Agnoëtam accuſant, ab ipſo viciſſim accuſantur, tanquam oſtentatores otioſi acuminis, inuentores gloſſarum inutilium, confuſores naturarū in Chriſto, & in ſermone Dominica poſt Natalē Domini, ſomniatores nouorū articulorū fidei, & fatuitatis humanæ: Loquitur autem ibi de eadem natura humana omniſcientia.*

Pergunt

Pergunt ſibi fingere laruas, quas oppugnent, diſẽtes, nos Chriſto, quà homo eſt, nihil tribuere ſupra naturam. XV. In repeti. cap. 8. pag. 305.

Nunquam hoc nobis in mentem venit. Supra naturam humanam quæ ſint, hoc eſt, quorum neq; angelus neq; homo vllus alius capax eſt, aut eſſe poteſt, plurima, & nobis inſcrutabilia, & ineffabilia, ipſius humanitati tribuimus: ſed non quæ contra naturam ſint, hoc eſt, quæ naturam humanam deſtruant, tollant & aboleant. Perſonaliter vnitum eſſe Deitati, an non ſupra naturã eſt? Omnes in Chriſto virtutes, omnia dona, omnis excellentia officij & dignitatiſ, & omnis illa viſibilis gloria, quæ diuinitatis Chriſti teſtis eſt, an non naturam omnem creatam, quæ Deo non eſt ſic vnita, ſicut hæc maſſa naturæ humanæ Chriſti, longiſſimè ſuperat, adeò, vt nulla eorum ſit capax? At contra naturam finitam & circunſcriptam & creatam ſunt, eſſe vbique, eſſe omnipotentem, & omniſcium ſimpliciter. Hæc demum ſic ſunt Deitatis propria, vt humanitati realiter non communicentur, niſi verbum Communicari pro vniri vſurpetur.

Aiunt nos docere, Chriſto reſtitutam eſſe omnem poteſtatem poſt reſurrectionem, quaſi ante reſurrectionẽ eam non habuerit. XVI. Anath. 20.

Merum figmentum eſt. Si omnem poteſtatem, vti ſolent, intelligunt omnipotentiam diuinam, ea nunquam eſt reddita Chriſto, neq; quà Deus, neque quà homo eſt, quia nunquã depoſuit eam. Deitas enim ſemper fuit omnipotens, & ipſa omnipotentia. Hæc vnita ſemper manſit naturæ humanæ ſemel aſſumtæ, etiam mortuæ. Si intelligunt ius dominij in omnes creaturas, etiam hoc ſemper habuit Chriſtus, ſecundùm vtranq; naturam. Si autem intelligunt huius iuris & dominij manifeſtam vſurpationem, & latentis in Chriſto Deitatis per viſibilem naturæ humanæ gloriam, plenam patefactionem, ne hæc quidem eſt homini Chriſto reddita, ſed tum demum data, quando eſt exaltatus in ſuo regno ad dexteram Dei in cœlis. Non enim, vt illi comminiſcuntur, etiam tempore humilitatis habuit hanc gloriam inuiſibiliter, quæ poſtea

non demum acceſſerit ei realiter, ſed tantùm facta ſit viſibilis ex
Lu.24.26. *inuiſibili. Oportuit enim Chriſtum pati, & ſic ingredi in gloriam*
Phil.2.7. *ſuam. Exinanitio autem Chriſti, de qua Apoſtolus, non fuit Deitatis mutatio vel diminutio, ſed occultatio in natura humana, infirmitatibus noſtris verè & realiter obnoxia. Sic etiam Exaltatio non fuit aliquod Deitatis incrementum vel acceſſio, ſed eius*
Ioh.17.5. *manifeſtatio, quam petit à Patre Chriſtus apud Iohannem. Sicut enim humiliatus eſt Filius Dei, occultatione gloriæ ſuæ in aſſumta carne ingloria: ſic etiam exaltatus eſt patefactione æternæ gloriæ ſuæ, in carne glorificata: quo ſenſu rectè dicitur Filius Dei depoſuiſſe & recepiſſe ſuam gloriam. Huius autem manifeſtationis pars, non eſt carnis vbiquitas: Per hanc enim nunquam Chriſtus manifeſtauit, neq; in æternum manifeſtabit ſuam Diuinitatem.*

XVII. In repetit. cap. 7. anath. 8.

Repetunt etiam raucum præ vetuſtate coccyſmum, nos Chriſtum in cælum concludere; certo cæli loco alligare; & quæ ſunt ſimilia.

Chriſtum à nobis nõ concludi in cœlo.

Tam iſta vera ſunt de concluſione, de certo loco, de alligatione, quàm illa de menſura certa donorum naturæ humanæ, & eius menſuræ determinatione &c. Sicut ibi dicimus, nullam notitiam creatam eſſe parem eſſentiali ſapientiæ Dei: quàm multa autem & magna norit mens humana Chriſti, non noſtrum eſt, nec iſtorum Theologorum, aut vllius hominis, nec omnium angelorum, ſcrutari, explicare, capere aut aſſequi: Ita hîc nobis ſatis eſt, quòd ſcimus, Dominum ſua humanitate poſt aſcenſionem ſuam viſibilem & localem, vſq; ad deſcenſum ſuum viſibilem & localem ad iudicium mundi, viſibiliter & localiter verſari in cælo, id eſt, in domicilio illo beato Dei, & ſanctorum angelorum & hominũ, in quod nos ſecum adducet ſurſum, ſupra & extra omnes cælos, & mundum hunc aſpectabilem, vt ibi ſemper cum ipſo ſimus, vbi eſt & erit ipſe.

Hoc conſtat ex articulis fidei, & multis Scripturæ teſtimoniis tam diſertis & expreſſis, vt ne ab aduerſariis quidẽ negari poſſit,

vtcunq;

vtcunq; ſuam inuiſibilem carnis Chriſti in terra præſentiam ſimul obtrudant, fingentes eam ſimul eſſe circunſcriptam & viſibilem in cœlo, & incircunſcriptam ac inuiſibilem vbique; quas gloſſas non admittunt voces diuinæ, angelicæ & Apoſtolicæ.

Non autem eſt ibi concluſus, non alicui certo loco alligatus: Liberrimè enim & volens ibi verſatur, & glorioſè regnat nomine paterno, exaltatus ſuper omnes creaturas: nec eſt tātùm in certo loco vel certis locis, & quaſi cancellis incluſus: ſed quolibet momēto eſt vbicunq; & quomodocunq; illi pro ſua Maieſtate collibitum eſt. Qualis autem ſit cœleſtis illa conuerſatio, in hac vita nec ſcire nos eſt neceſſum, nec ſcrutari nobis conceſſum, ſed illius vitæ cognitioni & experientiæ reſeruatum. Erimúſne nos concluſi, erimúſne alligati ad certum locum, aut cœlum erit nobis pro carcere, quando verſabimur cum Domino in cœlis? Si de hominibus ſanctis in cœleſti domicilio verſantibus, talia proferre turpe & intolerabile eſſet Chriſtianis auribus; quare non pudet homines Theologos his ſcommatibus conſpurcare gloriam Chriſti, Pontificis noſtri, ingreſſi in Sancta ſanctorum non manufacta? Heb.9.24.

Deniq; nobis falsò exprobrant deprauationem loci illius Actorum 3.21. Quem oportet cœlo capi, vſq; ad tempora reſtitutionis omnium. XVIII. Ibidem.

Hoc illis quidem facile eſt, ſicut alia maledicta ſua, ad nauſeam vſq; repetere; ſed non tam facile, quæ à doctis viris, ipſis reſponſa ſunt, refutare. Interpretatio Scripturæ, quæ congruit cum proprietate & natura, & ſententia vſitata ſermonis, cum ſubiecta materia, de qua vſurpatur, cum præcedentibus & ſequentibus in eodem contextu, cum analogia fidei, cum aliis Scripturæ locis, deniq; cum erudita & puriori antiquitate Eccleſiæ; non eſt traducenda nomine corruptelæ. Talis autem eſt hæc noſtrorum huius loci interpretatio.

Verbum δέχεσθαι apud probatos ſcriptores Græcos propriè vſurpatur ſignificatione accipiendi, capiendi, recipiendi, ſuſcipiendi,

admittendi, excipiendi: vt δέχεσθαι ξένους, δέχεσθαι ἱκέτην, apud Xenophont. δέχομαι σε χώρᾳ apud Euripid. δέχονται αὐτὸν τῇ πόλει, apud Thucyd. δέχεσθαι τῷ τείχει τοὺς στρατιώτας apud Demoſt. δέχεσθαι δόμοις apud Apollon. Et aliæ phraſes, in quibus eſt vſus huius verbi, ad hanc ſignificationem propriam & principalem redeunt. Contrà verò pro eo, quod eſt occupare, vt cùm dicitur aliquis regnum aut domum aut poſſeſsionem occupare, non facilè inuenitur: neq; ipſi habent, quo ſignificationem hanc confirment. Rectè igitur & hîc vertitur, quòd neceſſe fuerit, vt cœlum ſuſciperet Chriſtum, ſicuti non habitator domum, ſed domus habitatorem excipit vel recipit vel admittit: non vt captiuum teneat, ſicut illi cauillantur, ſed vt habitationis miniſterium ei præſtet.

Sermo eſt ibi non de dominio Chriſti in cœlum & terram, vel præſentia eius in omnibus locis, nedum de vbiquitate corporis, ſed de natura eius humanæ receptione in cæleſte domicilium. Hūc ſenſum poſtulant præcedentia & ſequentia. Petrus iubet populum conuerti ad Chriſtum, paulò antè ab ipſis crucifixum. Illicò occurrebat quæſtio: Vbi ergo is eſt? Reſpondet Petrus, eum in cœlo eſſe donec redeat. Item, hortatur eos ad fidem in Chriſtum, quia ſit rediturus Iudex mundi: Explicandum igitur erat, vnde rediturus eſſet, nempe ex cœlo, in quo verſatur donec veniat.

Idem docent articuli fidei: Aſcendit in cœlum: ſedet ad dexteram Patris omnipotentis, vnde venturus eſt iudicare viuos & mortuos. Item, Homo factus eſt, natus ex Maria virgine. Item Act. 2. 9. Aſpicientibus ipſis eleuatus eſt, & nubes ſuſceptum eum abſtulit ab oculis eorū: Hic Ieſus, qui ſurſum receptus eſt à vobis in cœlum, ita veniet, quemadmodum conſpexiſtis eum euntem in cœlum. Et multa his ſimilia.

Ac ne plura dicamus de re manifeſta, debebat ſaltem illorum temeritatem, & obtrectandi libidinem coërcere reuerentia Nazianzeni, qui linguam ſuam maternā tam probè intellexit, quàm quiſquā horum Theologorū. Is verba hæc Lucæ ſic interpretatur:

δεῖ

δεῖ γὰρ αὐτὸν βασιλεύειν ἄχρι τοῦδε, καὶ ὑπ' οὐρανοῦ δεχθῆναι ἄχρι χρόνων ἀποκαταστάσεως, *hoc eſt, Oportet Chriſtum regnare vſq; huc, & à cœlo recipi vſq; ad tempora reſtitutionis. Sed mirum eſt, eos de huius loci verſione pugnando, inſcitiam &* φιλονεικίαν *ſuam traducere, cùm tamen ipſorum cauſſa nihil iuuetur, etiamſi vertant cum Luthero, effugij quærẽdi cauſſa, quòd oporteat Chriſtum occupare cælum. Quomodo enim occupauit? Certè vt Scriptura docet, abeundo, aſcendendo, migrando, proficiſcendo ſurſum in cælum, & relinquendo terram. Quid autem hoc ad vbiquitatem corporis? Neq; nos hoc vno tantùm loco nitimur.* In orat. 2. de Filio. pag. 214.

His criminibus falſis nos onerant in doctrina de Chriſto. Audiamus porrò, quæ nobis dogmata de Cœna Domini affingant.

Aiunt, ſecundùm nos, verba Chriſti: HOC EST CORPVS MEVM, *quod pro vobis traditur: Hoc poculum eſt ſanguis meus, qui pro vobis effunditur: eſſe obſcura, quorum ſenſus aliunde ſit petendus.* XIX. In norm. cap. 7. anath. 4.

Contrarium clamant omnia noſtrorum ſcripta. Sunt enim nobis verba illa clariſſima, & niſi Sophiſtarum tenebræ illis offũdantur, ad ſanam intelligentiam abundè ſibi ſufficientia. Non enim corpus aliquod inuiſibile, latẽs in pane, ſed panem viſibilem, quem Dominus tollebat de menſa, nominat ſuum corpus; non inuiſibile aliquod, quale nullum vnquam habuit, ſed viſibile, palpabile, circunſcriptum, quod aſſidebat menſæ: vinum viſibile in poculo, quod item de menſa tollit, vocat non corpus & ſanguinem inuiſibilem, latentem in vino, ſed ſeorſum illum viſibilem ſanguinem, qui paulò poſt effundebatur in cruce, & ſeparabatur à corpore. Qui hoc videt, iam ſatis videt, quod eum de ſenſu verborum Chriſti, nec errare nec dubitare ſinat. Videt panem non eſſe propriè & ſubſtãtialiter illud corpus, quod natum ex virgine eſt, quod aſſidebat diſcipulis, quod in cruce mortuum eſt; nec vinum ſubſtantialiter illum ſanguinem, qui in cruce effuſus eſt ex corpore Chriſti; in Cœna verò nondum erat à corpore ſeparatus, neque De verbis Cœnæ: Hoc eſt corpus meum.

iam ſeparatus eſt, ſicut vinum eſt ſeparatum à pane. Manifeſtum eſt ergo Chriſtum inſtituere Sacramentum, & more loquendi de Sacramentis in Scriptura & Eccleſia trito & perſpicuo, ſymbolũ appellare nomine rei ſignificatæ: ſicut verbis minimè obſcuris, ſed vulgaribus, ac notæ ſignificationis, in eadem Cœna, Agnum, quem edebant, nominat Paſcha ſeu tranſitum, quem etiam diſcipuli, quantumuis rudes, ſatis intelligebant non eſſe ipſum tranſitum, ſed eius ſymbolum. Et recitatio verborum Domini apud Euangeliſtas & Paulum, non relinquit locum dubitandi de eorum ſenſu. Nam poculum dicunt Nonum Teſtamentum eſſe, initum à Deo nobiſcum in ſanguine, ſeu per ſanguinem Chriſti effuſum in cruce, ad remiſſionem peccatorum. Hoc autem fœdus ſeu reconciliatio cum Deo, ſciunt omnes Chriſtiani, nec vinum, nec effuſionem vini, nec ſumtionem vini eſſe, ideoq́, cùm ipſum huius fœderis nomen poculo, id eſt, huic ſumtioni viſibili tribuitur, neceſſariò fœderis ſignum intelligi vident; ſicut cùm circunciſio fœdus, & agnus tranſitus nominatur, ſignum fœderis, & ſignum tranſitus intelligitur. Sicut autem poculum eſt Teſtamẽtum in ſanguine, ſic etiam eſt ſanguis Chriſti: & ſicut vinum eſt ſanguis, ſic etiã panis eſt corpus Chriſti.

Poculũ eſt Nouũ Teſtamentũ in ſanguine Chriſti.

Sicut poculum ſeu vinum eſt ſanguis: ſic panis eſt corpus Chriſti.

Et Paulus pro eo, quod alij dicunt, Quod pro vobis traditur, dicit, quod pro vobis frangitur, nimirum, in cruce: vbi vident omnes, panem nõ ſimpliciter corporis, ſed corporis fracti pro nobis eſſe ſignum: ac proinde, ſicut fractio panis in Cœna, eſt fractio corporis in cruce, ſic etiam panem eſſe corpus, & ſic manducationem panis eſſe manducationem corporis Chriſti. Sic etiam vinum non ſimpliciter eſt ſanguis Chriſti, ſed ſanguis pro nobis effuſus in cruce. Sicut ergo ſeparatio vini à pane, eſt effuſio, id eſt, ſeparatio ſanguinis à corpore, ſic vinum eſt ſanguis, & hauſtus vini eſt hauſtus ſanguinis Chriſti. Non autem realiter & corporaliter in Cœna fit fractio corporis, & fuſio ſeu ſeparatio ſanguinis à corpore Chriſti, ſed Sacramentalis, hoc eſt, myſtica, ſymbolica, ſignificatiua, ad-

admonitoria eius fractionis & fuſionis, quæ ſemel in cruce facta eſt. Quare & panis & vinum, eorúmque ſumtio, erunt ſymbola corporis & ſanguinis Chriſti, & eorum mãducationis ac hauſtus. Icircò & ipſe Dominus, vt ambigendi de ſententia ſua locum nõ relinqueret, & planiſſimè cauſſam exponeret, quare panem corpus ſuum, & vinum ſanguinem ſuum appellarit, adiungit: Hoc facite, videlicet, hũc panem & hoc vinum diſtribuite inter vos, & ſumite, ſicut iam me vobis porrigente feciſtis, in mei recordationem, memoriam, admonitionem, ἀνάμνησιν, *qua vobis in memoriam reuocatam volo traditionem corporis, & effuſionem ſanguinis mei pro vobis, vt vobis & omnibus credentibus ſint cibus & potus vitæ æternæ.*

Hæc nihil habent obſcuritatis, & minimè aliunde, ſed ex ipſis verbis inſtitutionis Cœnæ, & natura Sacramenti, quod Chriſtus hic inſtituit, ſumta ſunt; ac ſicut olim ſufficiebant, ita nunc etiam ſufficerent Eccleſiæ, ad mentem Domini de hoc myſterio intelligendam, niſi hominum vanitas & ſuperſtitio ipſa ſibi offudiſſet tenebras, & oculos clauderet ad ſolem meridianum.

Contrà verò nihil dici poteſt obſcurius, nec minus cum verbis Chriſti conſentiens, quàm quod iſti Theologi dicunt: Panis eſt corpus Chriſti, hoc eſt, In iſto pane viſibili eſt corpus Chriſti oſſeum & carneum, & tamen inuiſibile, & cum eo pane inuiſibiliter per os intra hominum corpora recipitur, quod ſimul viſibile, & palpabile accumbebat menſæ; & vinum à pane ſeparatum eſt ſanguis Chriſti, hoc eſt, in vino iſto viſibili eſt inuiſibilis Chriſti ſanguis, & cum vino effunditur ex poculo in ora hominũ, qui ſimul tum erat in corpore Chriſti, & poſtea effundebatur ex corpore in terram viſibilis & palpabilis. Nullus eſt apex in verbis Domini, qui tale quidquam innuat. Nunquam profectò obſcuriùs eſſet loquutus Chriſtus, quàm hoc loco, ſi hanc ex verbis ſuis ſententiam voluiſſet elici, quam iſti volunt.

Aduerſarij peregrinam & ineptam verbis Chriſti gloſſam affingunt.

Poſtquam autem nos ex ipſa inſtitutione Cœnæ genuinam de

ea ſententiam hauſimus, eam etiam cum aliis Scripturæ locis contulerimus, quæ docent, cùm de ipſa Cœna, tum de omnium Sacramentorum natura & ratione, de Chriſti corpore, de eius veritate, traditione pro nobis, præſentia communione & manducatione, atq; adeò cum tota fidei analogia, ſicut in omni interpretatione legitima & religioſa fieri oportet: Cumq; horum omnium deprehendamus pulcerrimum conſenſum, non poſſumus non de ſententia, quam verba Chriſti ſuppeditant, pleniſſimè confirmari. Cōtrà verò illi, poſtquam diu verba, verba, verba Chriſti ſonuerunt, cùm vrgentur, vt reddant rationem huius ſuæ gloſſæ: panis viſibilis eſt corpus Chriſti viſibile, id eſt, in pane viſibili ſubſtantialiter & corporaliter eſt & eſtur corpus Chriſti inuiſibile, & in vino ſanguis: tum confugiūt ad ſuam Chriſti corporis vbiquitatem, qua idem corpus Chriſti, quod perpetuò fuit, eſt & erit in æternum, viſibile, palpabile, circunſcriptum, etiam ipſis vel inuitis confitentibus, faciunt ſimul inuiſibile, inſenſile, incircunſcriptum, ac non tantùm in hoc, ſed etiam in omni pane, & in omnibus rebus & locis ſua ſubſtantia præſens, & tamen ingrediēs cum pane per os in corpora piorum & impiorum: quæ faciunt contra Chriſti verba & intentionem, ex pane præter corpus etiam ſanguinem, & ex vino præter ſanguinem etiam corpus, vt & ſanguinem edant in pane, & corpus bibant ex poculo, niſi ſanguinem Chriſti toties à corpore ipſius velint ſeparare, quoties ab vnoquoque fidelium ſumitur Cœna Domini.

Iudicet mundus an hæc interpretatio ſit deſumta ex verbis inſtitutionis: imò an ex vllo alio Scripturæ loco: Et, nóſne an illi aliunde verborum ſententiam petamus.

XX. *Clamant perpetuò, nos verba Teſtamenti Chriſti corrumpere, trahere in ſenſum nouum & alienum.*

Cap. 7. anath. 14.

Atqui nos verba Chriſti ſecundùm ipſius intentionem, quæ eſt, vt Sacramentum Noui Teſtamenti ſeu fœderis per paſſionem & mortem ſuam nobiſcum à Deo initi, inſtituat ſuis fidelibus, &

ſecun-

ſecundùm analogiam & declarationem totius Scripturæ ſacræ exponimus; nihil addimus, nihil demimus verbis Domini, ſed panem ipſum eſſe corpus Chriſti, cum Chriſto liberè & ingenuè confitemur, eo ſenſu & ratione, quam ipſe Dominus in Cœna & paſſim tota Scriptura docet: Panem nimirum eſſe corpus, non quia in pane ſit ſubſtantia corporis, quod Chriſtus nunquam dixit, ſed quia corporis pro nobis traditi μνημόσυνον eſt, quod Chriſtus expreſſè dicit. Non ergo verba ipſius corrumpimus, ſed intelligimus ſicut ipſe vult. Atq; hanc ſententiam verborum Chriſti tota purior antiquitas Eccleſiæ magno conſenſu retinet: Nihil ergo noui proferimus. Sacramentũ ſacramẽtaliter, verba Cœnæ Domini ex verbis Cœnæ interpretamur: Nihil ergo alienũ dicimus.

Contrà verò illi, interpretationem comminiſcuntur, quæ verbis & ſcopo Chriſti, quæ Sacramentorum omnium naturæ, quæ articulis fidei, & toti Scripturæ, veteriſq; Eccleſiæ conſenſui manifeſtè repugnat. Non panem ipſum, quem Chriſtus dixit eſſe corpus ſuum, ſed quandam carnem inuiſibilem In vel Sub vel Cum pane corpus Chriſti: non vinum ipſum, ſed quendam ſanguinem inuiſibilem in vino, ſanguinem Chriſti, verum & ſubſtantialem eſſe contendunt.

At vbi Chriſtus vel vno apice, corpus illud INVISIBILE *& ſanguinem inuiſibilem ſignificauit? An hoc non eſt* CORRVMPERE, *& manifeſta violentia ad manifeſtam abſurditatem verba Chriſti detorquere? Sententiam hanc ipſorum ante Lutherũ nemo docuit. Nam vetus Eccleſia ſolã ſpiritualẽ, nullã verò prorſus corporalẽ corporis Chriſti præſentiã in Cœna agnoſcit: id quod manifeſtius eſt omnib⁹, qui Patrũ ſcripta inſpexerũt, quàm vt ſaluo pudore negari poſſit. Cùm hæc vera doctrina obſcurari cœpit ſub Papatu, non præſentia corporis Chriſti in pane, ſed ſub ſpeciebus panis & vini, id eſt, transſubſtantiatio recepta eſt in hunc vſq; diem. An igitur non proferunt noua, & priùs in Eccleſia non audita commenta? Fatentur Cœnam Domini eſſe*

Sacramentum, fatentur panem Sacramentaliter eſſe corpus Chriſti: & tamen contra omnium Sacramentorum naturam & doctrinam exponunt loquutionem Sacramentalem Chriſti de ſubſtantiali & corporali præſentia & perceptione rerum ſignificatarum in ſymbolis. An hoc non eſt de Sacramento aliena à Sacramento, à corpore Chriſti, & ab eius κοινωνίᾳ dicere?

XXI. *Dicunt, nos exponere verba Chriſti ſecundùm rationis huma-*
pag. 297. *næ iudicium.*

Hîc rurſus more ſuo miſcent veris falſa. Ambigua enim oratio eſt, cùm dicuntur verba Scripturæ ſecundùm rationis iudiciū intelligi. Secundùm rationem de rebus diuinis iudicare, ſine præeunte luce verbi Dei, & illuminatione Spiritus Dei, verè eſt cum ratione velle inſanire, cæcum de coloribus conſulere, & cæcum ſequi ducem: quod qui facit, meritò cum duce ſuo in foueam cadit. Hoc faciunt illi, qui vel ex ſolis principiis naturæ notis iudicare volunt de Deo & eius voluntate, neq; aliquid recipere, quod ex illis deduci & confirmari non poſſit: vel ad ingenij humani, ad errores, mendacia, præſertim de Deo, & idola propenſi, figmenta & affectus, doctrinam cæleſtem inflectunt & detorquent: quod præ-
Coloſſ. 2. *cipitium cauere nos iubet Apoſtolus, cùm inquit: Videte, ne quis*
8. *ſit, qui vos deprædetur per philoſophiam, & inanem deceptionē, ſecundùm traditionem hominum, ſecundùm elemēta mundi, &*
Philoſophia. *non ſecundùm Chriſtum. Etſi enim vera Philoſophia eſt lux naturalis, mentibus à Deo in creatione inſita, & nihil continet cum voce diuina pugnans: non enim pugnant inter ſe patefactiones diuinæ ſiue naturales ſiue ſupernaturales: tamen duobus vitiis poſt obſcurationem ſui per peccatum, laborat: quorum alterum eſt, quòd homines veris principiis, & inde extructis veris concluſionibus, multa affingunt, & per malam conſequentiam aſſuunt, quæ non partes ſeu dogmata, ſed vlcera & naui veræ philoſophiæ ſunt, neq; vlla ſolida ratione confirmari poſſunt, ideoq; iniuſtum eſt, eorum nomine veram philoſophiam malè audire: Ex vero enim*

enim nihil niſi verum ſequitur. Alterum eſt, quòd Philoſophica principia, hoc eſt, lux naturalis non ſufficit ad integram & verã Dei & voluntatis diuinæ cognitionem conſequendam: partim quia Filius Dei protulit ex arcano ſinu æterni Patris, nouam doctrinam, videlicet Euangelij, quæ omniũ angelorum & hominũ ſapientia inueniri non potuiſſet; partim quia etiã legis diuinæ notitia naturalis per peccatum obſcurata & mutilata eſt, ac proinde diuinis repetitionibus & declarationibus complenda fuit. Nõ itaq; ex naturali luce rectæ rationis, ſeu philoſophia, ſed ex oraculis diuinæ vocis, principia ſumenda & diſcenda ſunt, ex quibus de veritate & falſitate omnis doctrinæ Eccleſiaſticæ iudicetur & pronuntietur. Quòd ſi autem alicubi Verbi Dei & rectæ rationis teſtimonia conſentire videmus, tantò firmior debet eſſe fidei certitudo. Ad hæc imploranda eſt Spiritus ſancti gratia, vt quæ à Prophetis & Apoſtolis rectè dicta ſunt, nos rectè intelligamus.

His poſitis, apparet iam alter vſus rectæ rationis in rebus diuinis intelligendis & diiudicandis, nimirum rationis à Spiritu ſancto illuminatæ per vocem cœleſtis doctrinæ, & ex principiis & axiomatibus nõ natura cognitis, aut humana auctoritate conſtitutis, ſed in Scriptura Prophetica traditis, ſecundùm normas bonæ & neceſſariæ conſequẽtiæ, à Deo rationali creaturæ impreſſas, conſiderantis & iudicantis, quomodo partes doctrinæ cœleſtis inter ſe cohæreant, & ſe mutuò ſtabiliant, quid ex illis conſectaneũ, quid cum illis conſentaneum, quid ab illis diſſentaneum ſit, cum illis conſiſtere aut non conſiſtere valeat.

Hunc vſum rationis in rebus ſacris, adeò non improbat Deus, vt illum etiam ſeueriſsimè requirat; imò propter hunc vſum præcipuè naturas intelligentes condidit, & normas iudicandi ac diſcernendi verum à falſo, certum ab incerto, illis inſeuit, vt probare poſſint, quid ſit acceptum Domino: ne ſint pueri intelligentia, Eph. 5. 9.
ſed malitia pueri, intelligentia verò adulti ſint: non fluctuent & 1. Cor. 14. 20.
circunferantur quouis vento doctrinæ, in hominum alea; vete- Eph. 4. 14.

1\. Theſſ. 5. 21. 1. Tim. 3. 2. 2. Tim. 2. 2. 24. Tit. 1. 9. 11.

ratoria ad inſidioſè fallendum verſutia: omnia ſciant explorare, & quod bonum fuerit, retinere: præcipuè verò docentes ſint ad docendum idonei, & contradicentes poßint conuincere, illisq́ os obturare. Et ſicut inter veram Philoſophiam & ſacram Scripturam reuera non eſt contradictio, & ſi qua videtur eſſe, id hominum ſiue in philoſophia, ſiue in doctrina Eccleſiæ, errore fit: ſic etiam res explicandi, ratiocinandi, probandi & refutandi, videmus non aliam ſeruare Spiritum Dei rationem & formam, niſi quam ſana philoſophia monſtrat.

Quòd ſi itaq; Theologi nos accuſant, quòd ſecundùm rationem explicemus Scripturam, tanquam nitentes principiis rationi humanæ notis extra verbum Dei; aut vehementer de nobis errant, aut ſcientes nos afficiunt atroci & manifeſta iniuria. Non enim opponimus illis argumenta ex philoſophia, ſed ex verbo Dei & articulis fidei, rationi prorſus ignotis, deſumta. Nam ſi quid in Scriptura Deus tradit, quod etiam naturali luce hominibus notum fecit, id non propterea ſic dicendum eſt philoſophicum, quin ſimul ſit Theologicum. Quæ enim eſſet iniuria in Scripturam ſacram, & quanta diuinarum & humanarum rerum conturbatio, ſi vox prophetica & apoſtolica propterea eſſet explodenda, quia iudiciũ rectæ rationis ei ſuo teſtimonio ſuffragetur?

Sed vident facilè omnes cordati, Theologos iſtos, quia quæ ex verbo Dei illis obiiciuntur, non poſſunt refutare; ideò conari illa hoc prætextu eleuare, quòd ſint cogitationes philoſophicæ & humanæ, vt imperitis perſuadeant, dignitatem Theologicam reſpõdere ad ea non neceſſe habere.

Sin verò hoc in nobis reprehendunt, quod illos peßimè habere res oſtendit, nimirum, quòd non clauſis oculis & mentibus, quocunq; ipſi ducunt, ſequimur, ſed exemplo Berrhœenſium, ſcrutamur ſcripturas, an iſta ſic habeant, quæ ab illis dicuntur, examinamus illorum dogmata & argumenta, an cum verbo Dei congruentibus principiis, & proba conſequentia nitantur: non ſanè

Act. 17. 11.

dubita-

dubitamus fateri, nos rectæ rationis iudicium tam in diuinis, quàm in humanis rebus intelligendis adhibere. Exiſtimamus enim, ſicut is, qui docetur de coloribus, aut qui per viam ambulat, non peccat, ſi vtatur oculis, & ſi hoc non faciens fallatur, aut impingat, meritò deridetur & vituperatur: ita nos tum demum in accuſationem & pœnam iuſtam incurſuros, ſi in hunc vſum datos nobis à Deo mentis oculos non aperiamus, ad exploranda ea, quæ nobis Dei nomine ab hominibus proponũtur credenda, & ad ambulandum accuratè, non tanquam inſipientes, ſed tanquam ſapientes, in via periculoſa, qua ad ſalutem tendimus. Eph. 5. 15. *Nuſquam pernicioſior eſt abuſus nominis & doctrinæ philoſophicæ, quàm in doctrina Eccleſiæ. Eſt autem abuſus philoſophiæ, & confuſio cum Theologia, cùm prætextu ſiue Philoſophiæ ſiue Theologiæ finguntur falſa principia, & ex illis falſa dogmata defenduntur, quæ cum Philoſophia & Theologia vera pugnant: cùm Philoſophia etiam vera, fingitur ſufficere ad docendos homines de Deo & eius cultu, & ſalute hominum: cùm dogmata Eccleſiæ, ignota rationi, deducuntur, non ex diuinis oraculis, ſed ex rationibus philoſophicis: cùm, quæ Philoſophia de rebus ſibi ſubiectis rectè pronuntiat, ad res diuinas extenduntur, ad quas minimè congruunt, & quas Philoſophia ignorat, & de quibus non loquitur: Cùm opiniones aut loquutiones, quæ etiam in rebus philoſophicis vſurpatæ ſunt incertæ, ambiguæ, impropriæ, obſcuræ & ſubtilitatis otioſæ, transferuntur ad res theologicas, quæ illis inuoluuntur, & in pugnas diſputationum inutiles conuertuntur, aut cùm appellationes & phraſes philoſophicæ, alieno ſenſu, & nouis ambiguitatibus ſermonis, vafrè excogitatis, vſurpantur in doctrina Eccleſiæ, ad quærenda effugia, & fallendos eos, qui inſuetum genus ſermonis non intelligunt.*

Philoſophiæ abuſus, & confuſio cum Theologia.

Hic Philoſophiæ & rationis abuſus, ætate ſuperiori peperit nobis Theologiam ſcholaſticam, qualem ferè nobis recudunt hi Theologi.

Vera autem diſcretio luminis rationis & gratiæ, & vſus legitimus rationis in rebus fidei, eſt, cùm harmonia veritatis diuinitùs patefactæ retinetur: defectus lucis naturalis, & tenebræ mentis humanæ de Deo, eiusq́; voluntate & operibus, conſiderãtur: philoſophica dogmata ex natura notis, Eccleſiaſtica ex reuelatis præter naturam principiis explicantur & extruuntur: terrena ſapientia per cæleſtem corrigitur exorbitans, & completur deficiens: & ſecundùm normas & metas artium iudicandi de vero ac falſo, & res explicandi à Deo monſtratas, tam ſacra quàm prophana tractantur & diſputantur.

Legitimus rationis vſus in rebus fidei.

Hoc famulitium, & hic vſus philoſophiæ ac rationis in rebus ſacris, non tantùm conceſſus & vtilis, ſed etiam neceſſarius eſt. Proferat, ſi quis hoc in dubium vocat, vllum è Scriptura ſacra argumentum, quod ad regulas bonæ conſequentiæ, à Philoſophis eruditis annotatas, non congruat. Certè qui ſine diſcrimine clamant perpetuò, de excludenda ratione humana, à tractatione rerum ſacrarum, id videntur poſtulare, vt homines ſint animalia bruta, quibus ipſi tanquam vulpes anſeribus, impunè quiduis concionari poſſint.

Summa eſt, quòd non ex philoſophia, ſed è Scripturæ ſacræ penetralibus hauſimus principia & fundamenta, quæ aduerſariis opponimus, de natura & vſu Sacramentorum Eccleſiæ, de loquutionibus Sacramentalibus, de veritate carnis noſtræ in Chriſto, de eius aſcenſu in cælum, communione Sāc[redacted]torum cum ipſo, & præſentia ipſius in miniſterio & in Sacramentis: Eadem tamen ratione & via, qua philoſophicas concluſiones ex philoſophicis principiis, etiam theologicas ex theologicis deducere, hoc eſt, cum contradicentibus non ex ratione, ſed tantùm ſecundùm rectam rationem diſputare, ipſius Dei nobiſcum in verbo ſuo loquentis exemplo didicimus.

Principia & fundamēta Scripturæ, quibus cōtra aduerſarios nitimur.

XXII.

In repetit. anath. 10.

Dicunt, quoſdam ex noſtris omittere verba inſtitutionis, in adminiſtranda Cæna Domini.

Cur

Cur eos non nominarunt, ſi ſciunt aliquos hoc facere? Nos enim neq; nouimus quenquam ad nos attinentium, qui id feeerit aut faciat, neq; ſi quiſquam fecit aut facit, Eccleſiis noſtris, & earum miniſtris factum probatur: vt patet inſpicientibus noſtrarum Eccleſiarum ordinationes. Non ergo erat cauſſa, cur nobis hoc obiiceretur. Solent illi quidem fingere, nos fugere & reformidare verba Chriſti: Hoc eſt corpus meum &c. Verum hoc non ex rei vel conſcientiæ teſtimonio, ſed ex voto ſuo loquuntur. Nos enim nihil minus volumus, quàm verba Chriſti occultare: vt quæ vel ſolæ nobis ſufficiunt, ad nouum ipſorum dogma refutandum. Chriſtus enim dicit, panem eſſe ſuum corpus; & vinum ſuum ſanguinem: Iſti verò dicunt contrà, Non panem, ſed carnem inuiſibilem in pane; non vinum, ſed ſanguinem inuiſibilem in vino corporaliter exiſtentem, eſſe corpus & ſanguinem Chriſti: & panem non tantùm corpus, ſed etiam ſanguinem Chriſti: vinum non tãtùm ſanguinem, ſed etiam corpus Chriſti eſſe. Chriſtus iuſſit corpus ſuum edi, & ſanguinem bibi: Iſti & corpus cum ſanguine bibi, & ſanguinem cum corpore edi volunt: Nam panem eſſe corpus Chriſti, & In pane eſſe corpus Chriſti, illis idem eſt. Chriſtus panẽ hunc, & vinum hoc, in Cœna ſua ſumendum, dixit eſſe ſuum corpus & ſuum ſanguinem: ſecundùm iſtorum dogma omnis panis & omne vinum, deniq; ligna & lapides, & omnes creaturæ, erũt corpus & ſanguis Chriſti: quia hæc volunt eſſe in omnibus rebus & locis; & aliquid eſſe corpus Chriſti, eſt illis idem, quod in aliquo corpus Chriſti corporaliter exiſtere. Hæc omnia euertũtur verbis Chriſti. Non igitur eſt noſtrum conſilium, ea omittere aut occultare; id quod iſti Theologi vellent. Quid enim eos in paludes vbiquitarias deiecit, niſi quòd vim horum verborum Chriſti aduerſus ſe fulmineam, ſuſtinere non potuerunt?

Miramur autem valdè, quòd iſti Theologi adeò non habent rationem honoris ſui, & tot Illuſtriſſimorum Principum, & honeſtorum virorum, quorum nominibus abutuntur, vt putidas XXIII. In repet. cap. 7. pag. 293.

& rancidas illas cauillationes, ne hic quidem dubitent obtrudere, vbi videri volunt ſeriò agere: quòd videlicet exponamus verbum EST *per Significat, & nomen* CORPVS *per ſignum corporis, atq; ita vel coniungentes hæc efficiamus ſententiam abſurdam: Panis ſignificat ſignum corporis; vel disiungentes nobiſcum pugnemus.*

Quis enim vel rudiſsimorum hominum tam eſt inſulſus, vt non videat, nos non vtrunque horum coniunctim, ſed alterum ſeorſum dicere, & geminæ vocis vnam eſſe ſententiam, ſiue dicatur, Panis ſignificat verum corpus, ſiue, Panis eſt ſignum veri corporis Chriſti? quarum loquutionum ſuprà ex ſcripturis & patribus ſunt exempla allata.

XXIV. *Ne non ſatis indulgeant animo ſuo, etiam hoc noſtris erroribus annumerant, quòd velimus Sacramenta nihil eſſe amplius, niſi notas, quibus agnoſcantur & diſcernantur Chriſtiani ab aliis hominibus.*

In Norma cap. 7. anath. 6.

Fatemur quidē hunc eſſe vnum ex finibus, propter quos Deus inſtituit Sacramenta ab initio, vt ſint notæ diſcernentes Eccleſiam ipſius ab aliis ſectis mundi: ſed hunc principalem, nedum ſolum eſſe finem, id verò negamus & pernegamus. Teſtificatio enim voluntatis Dei erga fideles, eſt ille demum finis & vſus, qui ſigna facit Sacramenta, hoc eſt, ſigna gratiæ.

XXV. *Aequè proteruum eſt, quod adiiciunt, Nobis panem & vinum Cœnæ Domini tantùm eſſe ſigna ſignificantia Chriſti corpus.*

Ibid. anathem. 7.

Perſuadere volunt hominibus, nos Sacramenta pro eiuſmodi ſignis habere, quale ſignum eſt abſentis Cæſaris, imago ipſius depicta in tabula. Sed clamant omnia noſtra ſcripta, quòd Sacramenta ſint quidem ſigna, ſed ſigna teſtificantia, confirmantia & exhibitiua illarum rerum & bonorum cæleſtium, quæ ſignificant & repræſentant ſenſibus & fidei noſtræ.

XXVI. *Etiam de procul abſente Chriſti corpore fraudulenter diſsimulat, quomodo abſens, quomodo præſens dicamus eſſe corpus Chriſti.*

Ibid.

ſti. Abſens eſt nobis loco: ſed præſentiſſimum eſt nobis vnione noſtri cum illo, per habitātem in eo & in nobis Chriſti ſpiritū. Huius præſentiæ & communionis teſtimonium & organum eſt Cœna Domini. Non ergo tantùm abſentis, ſed etiam præſentis nobis corporis Chriſti ſymbola & pignora ſunt Sacramenta, hoc eſt, ſigilla ſunt efficacia & exhibitiua, per quæ tanquam inſtrumenta ſua Spiritus ſanctus operatur & ſuſcitat atq; confirmat fidem in cordibus, & per conſequens Chriſti & omnium beneficiorum eius communionem in nobis ſtabilit atq; auget, & Deus verè exhibet, quod per illa nobis ſignificat atq; promittit.

Sic nobis falsò tribuunt, quòd vnionem Sacramentalem dicamus tantùm eſſe analogiam ſeu ſimilitudinem ſigni & ſignati. XXVII. In repet. cap. 7. anath. 6.

Fatemur enim, hanc eſſe vnam illius vnionis partem, & cauſſam vnam loquutionum Sacramētalium, qua rerum & ſignorū nomina permutantur: ſed addimus alteram partem & cauſſam, eamq; præcipuam, videlicet, in legitimo vſu Sacramenti coniunctam exhibitionem & perceptionem ſigni & rei ſignificatæ; Signi quidem corporalem ex manu miniſtri; rei verò ſpiritualem per veram fidem ex manu ipſius Chriſti: ſicut ait Baptiſta: Ego baptizo vos aqua, alius eſt qui baptizat Spiritu ſancto. Matth. 3. 11.

Dicunt, ſecundùm noſtram doctrinam, nihil eſſe præſens in Cœna Domini, & ore comedi, præter panem. XXVIII. Ibi. ana. 2.

Hic rurſus ex pluribus interrogationibus vnam faciūt. Nam quòd ore corporis nihil ſumatur in Cœna Domini præter panē & vinū, id credimus & confitemur. Nihil enim aliud Chriſtus ſumſit in manus ſuas, & tradidit in manus diſcipulorū, ore ipſorum ſumendū ad corporis ſui, pro ipſis traditi, memoriam. Quòd autē nihil præter panem ſit præſens in Cœna Domini, id nec docemus nec ſentimus. Nam etiam Chriſti corpus & ſanguinem, & mortē cū omnibus ſuis beneficiis nobis in Cœna præſentia eſſe credimus & profitemur. Vt autē in Cœna ſint nobis præſentia hæc omnia, nō neceſſe eſt, vel corpus & ſanguinem, vel aliud quicquam corū

eſſe ſubſtantialiter & corporaliter in pane, vel in eo loco, in quo panis eſt. Cœna enim Domini non tantùm terrena & corporalis, ſed etiam cœleſtis & ſpiritualis actio eſt, in qua non tantùm panis & vinum, quæ in terra ſunt, ſed etiam illæ res, quæ in cœlo, & quæ in Deo, & quæ in cordibus fideliũ ſunt, nobis ſunt præſentes: ſicut inquit Irenæus, Cœnam Domini conſtare duabus rebus, terrena & cœleſti, quæ eſt corpus Chriſti. Hanc rem cœleſtem, vt ſimul cum terrena ſit in Euchariſtia, non neceſſe eſt è cœlo in terram deſcendere. Non enim coniunctio ſacramentalis rerum & ſignorum, eſt phyſica aut localis, ſed relatiua & ſpiritualis, quæ in ordinatione diuina ſigni ad rem, & ſpirituali perceptione rerum, cum corporali perceptione ſignorum, verè coniuncta, conſiſtit.

Cõiũctio Sacramẽtalis rerũ & ſignorũ non phyſica aut localis, ſed relatiua & Spiritualis eſt.

Neque valet iſta conſequutio; Chriſti corpus non eſt præſens in pane: Ergo non eſt præſens in Cœna: Neq; iſta; Corpus Chriſti non eſt præſens corporaliter, in loco, in quo panis eſt: Ergo non eſt præſens: quia etiam præſens eſt, quod ſpiritualiter præſens eſt: Neq; hæc; Spiritualiter tantùm præſens eſt: Ergo non verè præſens eſt; quia etiam ſpiritualiter præſens, verè præſens eſt: niſi fortè his Theologis nihil verum eſt, niſi quod corporale, carnale & terrenum, & etiam impiis cõmune eſt. Omnia ſua obiecta, in quæ fertur, & quibus nititur, fidei ſunt præſentia. Et Spiritus ſanctus nos cum Chriſto coniungens, etiam longiſſimè diſtantia ſecũdùm locum, copulat multò arctius & propius, quàm in vno loco poſita coniunguntur.

XXIX. *Per ea, quæ diximus, euaneſcit etiam illa calumnia: Nos verã præſentiam corporis Chriſti tantùm de Deitate intelligere.*

In repet. ca. 7. Stat. Contr. pa. 293.

Atqui, cùm Chriſtus panem & vinum non Deitatem, ſed corpus & ſanguinem ſuum eſſe dixerit; hinc intelligimus, eũm corporis & ſanguinis ſui, & mortis ſuæ, & noſtræ in corpus ipſius inſitionis, ſymbola hæc eſſe propriè & præcipuè voluiſſe. Verum quidẽ eſt, neq; Chriſtum ipſum ſine beneficiis ſuis, nec beneficia ipſius ſine Chriſto ipſo, nec aliquod ipſius beneficium ad ſalutem neceſſarium,

rium, ſine ceteris, nobis poſſe communicari: ſed tamen aliis Sacramentorum ſymbolis & ritibus, aliæ partes beneficiorum repræſentantur: vt, Sacrificia ſignificabant mortem Chriſti, circũciſio ſignificabat remiſsionem & expurgationem peccati: Baptiſmus eandem ſignificat ſimilitudine ablutionis externæ & internæ: In Cœna Domini, fractionem Chriſti & effuſionem ſanguinis ex corpore ipſius, ſignificat fractio & ſeparatio panis à vino; & horum ſumtio, vitæ æternæ in nobis effectionẽ per fidem in mortem ipſius, & noſtri cum illo vnionem. Etſi enim ſe totum vocat Chriſtus panem vitæ, qui de cœlo deſcendit: tamen ſingulari modo corpus ſuum edendum, & ſanguinem ſuum bibendum nobis eſſe, docere voluit in Cœna. Fides noſtra niti debet ipſius Deitate & humanitate, merito & efficacia: ſed vt ipſius Diuinitas poſſit nos viuificare, & in nobis habitare, oportuit corpus ipſius pro nobis frangi in cruce, & ſanguinem ipſius effundi; atq; hanc fractionẽ & effuſionem fide à nobis apprehendi, vt hac fide ipſius corpori inſiti, oſſa ipſius, caro ipſius, ſanguis ipſius effecti, iuſtitiæ & vitæ ipſius participes, atq; ita Diuinitatis æternum domicilium fieri poſsimus. Sicut igitur Deitas mactari pro nobis non potuit, nec tamẽ ſine mactatione, id eſt, ſine ſacrificio ſufficiẽte pro noſtris peccatis, nos viuificare, propter iuſtitiã Dei poterat: Ita caro eius non poterat à nobis edi, ad nos viuificandum, niſi priùs mactata, neq; ſanguis eius bibi, niſi prius effuſus; quemadmodum agnus Paſchalis non poterat edi niſi mactatus & aſſus, & ſanguis ipſius ſpargi non poterat, niſi effuſus, & panis non edi poteſt, niſi fractus, & vinum non bibi, niſi ſeorſum à pane exiſtens. Itaq; Diuinitas quidem Chriſti, in legitimo vſu Cœnæ adeſt ſanctis, viuifica præſentia & efficacia ſui Spiritus, ſed nonniſi interueniente eſu mactati corporis & effuſi ſanguinis ſui: hoc eſt, illius fiducia, & noſtri in illud incorporatione: quæ tamẽ eò fit, quòd hæc eſt caro λόγου.

Ioh. 6. 51.

Caro Chriſti tantùm quatenus mactata eſt, editur & viuificat.

Plus autem eſt viuificari ex carne Chriſti, & illi tanquam viti & capiti, palmites & membra inſeri & vniri, quàm illam præ-

ſentem nobis eſſe localiter. Nam ne Deitatis quidẽ præſentia, in eodem quo nos ſumus loco, nobis eſt ſalutis æternæ cauſſa, ſed illa demum, quæ nobis in Euangelio, & in Cœna Domini promittitur & contingit, qua per Spiritum ſuum Deus nos ſanctificat & viuificat. Multò igitur minus carnis Chriſti præſentia in eodem, quo nos ſumus, nedum in quo panis Euchariſticus eſt, loco, hoc eſt, corporalis; ſed ſpiritualis, hoc eſt, qua per fidem & Spiritum Chriſto cohæremus, vera demum eſt præſentia, cuius gratia totum verbi & Sacramentorum miniſterium eſt inſtitutum. Non abeſt à membris ſuis caput, etiamſi non ſit corporaliter intra ſingulorum membrorum ſubſtantiam. Suo modo Deitas, ſuo item humanitas Chriſti nobis adeſt. Sic ergo docentes falsò accuſamur, nos ſolius Deitatis Chriſti præſentiam ponere in Cœna, cùm ideò potiſſimùm hanc inſtitutam eſſe affirmemus, vt corporis & ſanguinis Chriſti, præſentiam & communionem magis magisq; per eam habeamus.

XXX. In Norma. Cap 7. De Statu Cõtrouers. pag. 241. *Hinc patet etiam ibi malignè mutilari noſtram doctrinam, vbi dicunt, nos Chriſti ſpiritualem præſentiam facere tantùm fidem & inhabitationem Spiritus Chriſti in nobis. Corporis enim præſentiam dicimus eſſe noſtri corporis in illud ipſum corpus incorporationem, vt membra eius & palmites ſimus, ex carne eius & oſſibus eius. Sic autem præſens eſſe nobis, & adiungi corpus illud poſſe, ſine fide, & inhabitante ipſius Spiritu, negamus: Sicut & contra, vbi fides in corde eſt, ibi Spiritus Chriſti neceſſariò habitat: vbi Spiritus, ibi λόγος, qui eſſentialiter vnus eſt cum ſuo Spiritu: vbi λόγος habitat, ibi templum ſuum, in quo habitat virtualiter, non poteſt non cum illo templo ſuo, in quo habitat perſonaliter, per Spiritum ſuum in vtroq; habitantem, & non quidem paria, ſed tamen ſimilia operantem, vnire. Differunt ergo fides & inhabitatio Spiritus ſancti, à præſentia & vnitione corporis Chriſti nobiſcum, ſicut cauſſa ab effectu: ſic tamen, vt neutrum ſine altero eſſe poſſit.*

Patet

Patet item illius figmenti vanitas, quòd in Cœna ſolam vir tutem, efficaciam & meritum carnis Chriſti nobis communicari doceamus. Niſi enim ipſiſsimo Chriſti corpori inſeramur; neque meriti, neque vitæ illius fieri poſſumus participes: ſicut membra non poſſunt vitam & motum habere ex capite, niſi maneant ipſi vnita, & palmites, niſi maneant in vite, neceſſe eſt exareſcere. XXXI. In repet. anath. 6.

Falſum crimen eſt, nos docere, quòd fides præſentiam Chriſti in Cœna efficiat. XXXII. In repet. anath. 10.

Se præſentem nobis Chriſtus ipſe facit ſuo Spiritu, & omnibus in verbo & Sacramentis ſuis ſeſe offert, ac percipiendum ſiſtit: ſed fides oblatum ſibi admittit, & accipit, ſibiq́ applicat, vt non tantùm aliis, ſed etiam ſibi præſens ſit: ſicut ait Dominus: Ecce, ſto ad oſtium, & pulſo: ſi quis audierit vocem meam, & aperuerit oſtium, ingrediar ad eum, & cœnabo cum eo, & ipſe mecum. Idem Deus, qui offert, etiam efficit, dat & præſtat ſua beneficia: fides nihil iſtorum facit, ſed tantùm oblata & data accipit. Sic mendicus nihil meritus, donum ex liberalitate diuitis accipit, non autem ipſe ſibi dat: ſi tamen vult frui dono, neceſſe eſt, vt non reſpuat illud, ſed admittat & accipiat. Eadem ratio eſt Euangelij, in quo Chriſtus ſe omnibus offert, ſed non niſi credẽtibus ſe communicat, qui fide ipſum reſpiciunt. Verbum Dei & Sacramenta res eaſdem offerunt, & earundem rerum nobis à Deo præſtandarum organa ſunt, ſiue fideles ſiue infideles audiant & accipiant ea: & tamen ſoli fideles res ibi oblatas percipiunt. Euangelium prædicatum, ſemper eſt potentia Dei: ſed ad ſalutem, tãtùm omni credenti; Chriſti bona fragrantia eſt Deo, in iis qui ſeruantur, & in iis qui pereunt: ſed his odor mortis ad mortem, illis verò odor vitæ ad vitam. Circuncisio erat fœdus Dei in omnium Iſraëlitarum carne: Et tamen transgreſſoribus legis fiebat præputium. Sic Cœna Domini ſemper eſt communio corporis & ſanguinis Chriſti: ſed eam non legitimè ſumentibus non eſt Cœna Dominica; & qui ſunt participes dæmoniorum, non poſſunt eſſe partici-

Apo. 3.20. Rom. 1.16. 2. Cor. 2. 15. Gen. 17.13. Rom. 2.25. 1. Cor. 11. 20. 1. Cor. 11. 20.21.

Tract. 27. in Ioh. *pes Domini, ſeu mēſæ & poculi Domini. Ideò ſic Auguſtinus: Intellexiſti ſpiritualiter? Spiritus & vita ſunt. Intellexiſti carnaliter? Etiam ſic illa Spiritus & vita ſunt: ſed tibi non ſunt. Cauſſa eſt manifeſta; quia promiſſio gratiæ, ſiue verbis, ſiue ſignis nuntiata, ſemper habet annexam cōditionem fidei. Non igitur promiſſionis veritati quicquam decedit, etiamſi res promiſſas non accipiant infideles.*

XXXIII. Ibid. anathem. 13. *Obiiciunt nobis, quòd dignitatem accedentium Cœnam Domini, dicamus conſiſtere, non in ſola fide, ſed etiam in externa præparatione hominum.*

Confundendo quæ nos diſtinctè docemus, falſas ſententias nobis affingunt. Dignitas & indignitas, & vtriuſq; effectus, in vſu Cœnæ duplex eſt. Alia eſt dignitas perſonæ, quæ eſt fides, ſeu imputata per fidem Chriſti iuſtitia. Quicunq; hanc habent, digni ſunt conuiuæ, & omnes ſumūt hanc eſcam ad ſalutem æternam. Indignitas perſonæ eſt infidelitas: qua laborantes indigni ſunt hac menſa, & ſumunt ſibi iudicium & damnationem æternam. Alia eſt dignitas tractationis, quæ locum habet in ſolis fidelibus, & eſt vera reuerentia, interna & externa, ignoſcentia, dilectio, ſeria peccatorum deploratio & reſipiſcentia, meditatio beneficiorum Chriſti, & gratiarum actio, & vitatio ſcandalorum omnium. Harum autem rerum in impiis priuatio ſeu abſentia, in piis autem negligentia & frigidior ſenſus, exploratio & exercitium, eſt indignitas tractationis, quæ ſemper quidem in perſonas indignas, aliquando tamen etiam in dignos conuiuas cadit; qui etſi edunt reuera panem Domini & panem Dominum, ac proinde edunt ſalutem æternam, immunes à iudicio æterno: tamen edunt ſibi iudicium temporale, hoc eſt, offendunt Deum, & caſtigationibus variis in hac vita reuocantur ad emendationem horum peccatorum. Poſſunt enim etiam fideles peccare & ſæpe peccant hoc genere negligentiæ & ſecuritatis, & licet ſalus eorum æterna non fiat irrita: tamen in hac vita duriter caſtigantur. Docet hoc Apoſtolus

[Margin: Dignitas & indignitas perſonæ.]

[Margin: Dignitas & indignitas tractationis.]

ſtolus diſertè, cùm Corinthios irreuerenter accedentes ad menſam Domini, tamen appellat fratres, & eos dicit puniri à Domino, morbis & morte temporali, propter hanc culpam, ne cum hoc mundo damnentur: Sicut alibi dicit, extruentes fœnum & ſtipulam ſuper fundamentum, quod eſt Christus, ſeruandos quidem eſſe, ita tamen vt per ignem. 1. Cor. 11. 30. 31. 32. 1. Co. 3. 12.

Huius indignitatis eſt quidem aliquid in omnibus fidelibus; ſed in aliis plus, in aliis minus: Et habentibus ſtudium eam vitãdi, & retinendi bonam conſcientiam, condonatur propter Chriſtum. Ideóq; Apoſtolus requirit exploratione͂ vtriuſq; dignitatis, vt non modò æternam, ſed etiam temporariam Dei iram & pœnam effugiamus. Dignitas ergo perſonæ, & vitatio pœnæ æternæ in ſola fide conſiſtit: Dignitas autem tractationis Cœnæ Dominicæ, & vitatio pœnæ temporalis, requirit etiã veram reuerentiã, & diſcretionem corporis Domini, non tantùm externam, vt nobis affingunt Theologi, ſed præcipuè internam, quæ ſi abſit, externi geſtus, quantumuis decentes, nihil ſunt niſi hypocriſis, & iudicij diuini irritatio. 1. Cor. 11. 28. 2. Cor. 12. 5.

Queruntur, ſibi à nobis tribui eſum corporis Chriſti Capernaiticum, qui corpus Chriſti laceret dentibus. XXXIIII. In norma anath. 21.

At ſæpe eſt illis reſponſum, nos de tali eſu cum illis non diſputare, ſed omnem ingreſſum ſubſtantiæ carnis Chriſti intra hominum corpora, quantumuis ſubtilem, ſpiritualem, cœleſtem, ſupernaturalem, vel contranaturalem, arcanum, miraculoſum & incomprehenſibilem fingant aut prædicent, negare, tanquam cum verbo Dei pugnante͂. Duo tamen hic præterea debebãt meminiſſe: alterũ, quòd quidã ex his ipſis Libri Concordiæ fabricatoribus, iam pridem ſcripſerint & dixerint, corpus Chriſti verum, non tantùm oraliter, ſed etiam labialiter, dentaliter & lingualiter comedi: Et quòd Lutherus laudauit Palinodiam Berengarij, quæ dicit, verum Chriſti corpus dentibus atteri. Hæc ſi nolunt ſic intelligi, vti ſonant, quare ſic loquuntur, præſertim quibus τὸ ῥητὸν De Capernaiſmo. Palinodia Berẽgarii.

perpetuò in ore eſt? Alterum eſt, quòd non eximit eos ex Capernaitis, hæc fictitia diſtinctio, cùm dicunt, ſe ore quidem comedere corpus Domini, ſed tamen non terere dentibus. Omittimus multa abſurda, quæ hic inuoluunt. Tantùm illud dicimus, quod manifeſtum eſt, Capernaitas non tantùm lacerationem carnis, quæ fiat dentibus, ſed omnem omnino receptionem & ingreſſum carnis Chriſti in ſua corpora, ſiue per os, ſiue aliunde, ſiue viſibilem, ſiue inuiſibilem, ſiue craſſum, ſiue ſubtilem, ſiue naturalem, ſiue miraculoſum, & hunc quidem multò magis, quàm naturalem abhorruiſſe, & arripuiſſe tanquam occaſionem ſcandali: neque ipſum Dominum reſpondiſſe ipſis per hanc magiſtralem Theologorum diſtinctionem, ipſis non craſſo & phyſico, ſed ſubtili & miraculoſo modo ſubſtantiam ſuæ carnis ore manducandam eſſe: ſed omnem planè corporalem contactum & eſum ſui corporis, ſiue viſibilem, ſiue inuiſibilem, vno argumento refutaſſe, aſcenſione ſua in cælum, qua corpus ſuum tam procul ab ipſorum ore & dentibus remouet, vt nulli in vniuerſum ſomnio de eſu corporali viſibili aut inuiſibili, relinquat locum: quæ certè Chriſti reſponſio, neque ad rem ipſam, neque ad Capernaitarum quæſtionem fuiſſet accommodata, ſi vera eſſet Theologorum, de eſu viſibili & inuiſibili, craſſo & ſubtili, diſtinctio.

Hæc ſunt falſa dogmata, quæ falsò nobis tribuunt Theologi, in ſuis, contra Sacramentarios, quos vocant, Anathematiſmis, & formula Concordiæ. Sunt enim & alia in libris vbiquitariis calumniæ, aduerſus nos ſparſæ, vt, quòd Maieſtatem hominis Chriſti negemus, diſcrimen inter Chriſtum & alios ſanctos tollamus, Chriſtum faciamus hominem impotentem, & horum ſimilia, quæ breuitatis cauſſa, & quia aliàs ſæpe refutatæ ſunt, hic omittimus; quanuis ipſi libros illos, in hac ſua Concordiæ norma, volunt haberi pro Canonicis, ac proinde etiam hic non expreſſas abſurditates, tamen Eccleſiæ volunt obtrudere.

Sed quia laborant in eo Theologi, vt nobis, ſi poſſint, multa impin-

impingant abſurda dogmata, quibus nos auditoribus ſuis ſuſpe-ctos & abominabiles reddant; cùm in aliis articulis, quorum pro-mittunt conciliationem, nõ poſſint nobis cum aliquo colore inten-dere litem; in doctrina de diuina prædeſtinatione electorum ad ſalutem, & reproborum ad damnationem æternam, diſſimulatis in hoc libro, ſed expreſsis in aliis ſuis libris, ijs, quibus nos ornare ſolent, titulis, clanculum nos conantur mordere & pungere. Cùm igitur hîc non quidem nominatim noſtras Eccleſias, ſed tamen doctrinam noſtram, & alibi etiam nos nominatim oppugnent; ſatis ſit nobis hoc tantùm monuiſſe, punctiones illas, & quas comminiſcuntur ex noſtra doctrina ſequi abſurditates, ad nos non pertinere.

Ex ijs, quæ ſuprà diximus, patet, nos ex verbo Dei do-cere, primam cauſſam & fontem damnationis eſſe liberam dia-bolorum & hominum voluntatem, qua ſe ſponte ſua auerte-runt à Deo; Salutis autem, electionem Dei æternam & gratui-tam, hoc eſt, cuius nullam cauſſam in nobis Deus præuide-rit, quare nos potius, quàm alios vellet ad Chriſtum conuer-tere, & per ipſum ſaluos facere, & eripere ex communi ex-itio, cui omnes propter peccatum erant obnoxij. Hac doctrina dicunt illi, nos homines vel ad deſperationem, vel ad prophani-tatem adigere. XXXV. Cap. 11.

Falſum eſt vtrunq;. Docemus enim, nullum hominem an-te conuerſionem ad Chriſtum, poſſe ſine aperta Dei contumelia, ſtatuere, ſitné electus an reprobus: ſed omnibus ſeueriſsimè con-uerſionem præcipi à Deo, cœlitus clamante ad totum genus hu-manum: HVNC *audite. Non ergo habet cauſſam deſperandi quiſquam impiorum, ſed materiam accuſandi ſuam aduerſus Deum contumaciam & ingratitudinem, quæ ipſum facit* αὐτοκατάκριτον. *Rurſus docemus, quicunque veræ fidei & conuerſi-onis ſenſum in cordibus ſuis deprehendunt, ſtatuere debere ex Dei mandato, ſe ad vitam æternam ab æterno & immutabi-* Mat. 17. 5.

liter

liter electos eſſe. Hoc enim eſt, credere & expectare vitam æternam, iam nobis datam, & in nobis incoatam, & in æter-
Ioh. 10.28. *num conſeruandam: Sicut dictum eſt: Nemo rapiet oues meas ex manibus meis. Nullus igitur verè fidelium habet cauſſam deſperandi; ſed hoc demum eſt Chriſtianæ conſolationis in ipſa morte fundamentum, quòd ſciunt, omnes ædificatos ſuper petram, quæ eſt Chriſtus, nunquam corruituros. Hanc conſolationem eripiunt piis, qui docent, etiam verè conuerſos ſic poſſe deficere à Chriſto, vt pereant in æternum, hoc eſt, peccare in Spiritum ſan-*
1. Ioh. 5.16. *ctum, & ad mortem, quod Iohannes negat. Neq; prætextus hinc*
17. 18. *ſuppeditatur impietatis hominibus prophanis: ſiquidem docemus, illos ſua culpa perire, & ſibi pœnas cumulare & exaſperare, cùm Deum ipſos ad ſe inuitantem audire, contumaciter recuſent, & afficiant hac blaſphemia, quòd etiam quiduis boni faciẽtes damnare decreuerit. Promittit enim Spiritum ſanctum & gratiam ſuam omnibus petentibus, & deſiderantibus eam. Cùm igitur ipſi ſalutem oblatam repudient, iuſtè pereunt.*

Sed neq; fideles hinc poſſunt anſam capere ſecuritatis carnalis. Docemus enim, non ſecuros & hypocritas, ſed verè fideles, ſtudium bonæ conſcientiæ retinentes, & in aſſidua pœnitentia, timore & inuocatione Dei viuentes, & habentes ſerium & ardens ſtudium & deſiderium perſeuerandi in vera pietate & cauendi peccata, certos eſſe debere, tanquam ex effectu proprio de cauſſa propria, de ſui ad vitam æternam electione. Securitas enim Spiritus & carnis, ſe inuicem diminuunt & expellunt, ſicut timor filialis & ſeruilis.

XXXVI. *Sugillant noſtram doctrinam, quaſi doceamus, Deum ſimpli-*
In norma cap. 11. anath. 3. *citer non velle, vt omnes homines conuertantur & ſeruentur, ac proinde ſimulatè, & non ſeriò omnes ad ſe vocare, aut fouere intus contradictorias voluntates.*

Nihil iſtorum eſt noſtrum. Vult enim Deus ſeriò omnium conuerſionem & ſalutem; quantum ad approbationem & lætitiam ſuam:

ſuam: non enim vult, aut approbat peccatum, ſed ei horribiliter iraſcitur; neq; delectatur cuiuſquam, ac ne quidem ipſius Diaboli, pernicie & cruciatu & deſtructione, quatenus quidem deſtructio eſt ſui operis. Nihil ergo ſimulat, cùm omnes iubet reſipiſcere, vt ſeruentur: ſed seriò & veriſsimè oſtendit ſuo verbo, quid ſibi placeat, & quid homines ipſi & ſibi debeant. Non autem vult omnes, ſed tantùm quos elegit, conuerti & ſeruari, quod ad ſuam effectionem attinet, conuerſionis & ſalutis ipſorum. Etiam in pereuntibus ſeriò & horribiliter ei diſplicet peccatum & mors, & etiam ab illis requirit iuſtitiam & vitam: ſed in ſolis electis efficit, vt fiat id quo lætatur, quod probat, quod ipſi debetur, quod requirit, & præcipit: ideoq; hi ſoli perueniunt ad conuerſionem & ſalutem; vt inquit Apoſtolus: Electio apprehendit, reliqui indureſcunt: Et Auguſtinus: Da quod iubes, & iube quod vis. Rom. 11. 7.

Neq; hæc contradicunt, Deum nolle & deteſtari cæcitatem & mortem, quatenus creaturæ & imaginis ſuæ deformatio & deſtructio & perditio eſt; & tamen velle, diuerſiſsimo reſpectu, quatenus eſt iuſtiſsima pœna & iuſtitiæ Dei declaratio: ſicut iudex pius vult necem ſontis, quatenus eſt iuſtitiæ exequutio; & non vult eam, quatenus eſt ſupplicium.

Deprauant noſtram doctrinam, cùm fingũt nos docere, Deum ſine reſpectu peccati, nuda & abſoluta ſua voluntate & decreto aliquos ad damnationem ordinaſſe. XXXVII. Ibidem.

Nos verò cum Apoſtolo docemus, Deum in damnatione reproborum velle ſuam iuſtitiam declarare: non igitur quenquam damnationi addixiſſe niſi propter peccatum; ac ne quidem damnationem velle, quatenus damnatio eſt, ſed quatenus iuſta pœna. Non autem habet locum pœna, niſi vbi antecedit peccatum. In electis autem voluit declarare miſericordiam: quia cùm propter peccatum, in quod ſponte erat lapſum, iuſtiſsimè potuiſſet totum genus humanum abiicere, ſiquidem omnes eramus

natura filij iræ, ſicut & reliqui, ex ſola gratuita miſericordia, ſtatuit aliquos ex communi interitu eripere, vt obturetur omne os, & omnis gloria tribuatur Deo. In hac doctrina nullus eſt blaſphemus, horribilis, & in Eccleſia non ferendus error, vt tragicè pronuntiant Anathematiſtæ. Rurſus ergo concludimus, librum hunc Theologorum, non eſſe iuſtam regulam concordiæ Eccleſiaſticæ: primùm, quia doctrinam Scripturæ ſymbolorum & orthodoxæ antiquitatis condemnat hæreſeos; ſecundò, quia condemnat homines pios & innocentes falſis criminibus oneratos.

CAPVT

CAPVT IIII.

De autoritate Confeſſionis Auguſtanæ.

CETERVM *his omnibus, quæ hactenus commemorauimus non acquieſcunt Theologi. Poſtquam enim à nobis ſolidiſſimè & clariſſimè oſtenſum eſt, in vtraq; controuerſia de Perſona & de Cœna Chriſti, ſacram Scripturam, ſymbola & Antiquitatem Eccleſiæ ſtare à noſtris partibus, neq; ab ipſis hoc refutari poteſt: vt ſemel ſe à diſputatione liberent, & expeditiorem ad nos condemnandos viam ingrediantur, huc tandem redeunt, vt nos pertinaces & ſpinoſos ſophiſtas eſſe dicant, qui doctrinam Scripturæ & Eccleſiæ orthodoxæ, verſutis interpretationibus deprauemus, cum quibus non ſit amplius diſputandum, ad quorum dicta & ſcripta, non tantùm aures & oculos, ſed etiam regiones & vrbes claudi oporteat, partim, ne cui ſubtile noſtrum venenum adhæreſcat & obrepat, partim, quia ſimus iamdudum condemnati hæretici: qui veræ Chriſti Eccleſiæ nunquam fuerimus membra & ſocij.*

Atrox ſententia. Sed quæ illius eſt ratio?

Exhibita eſt, inquiunt, Anno XXX. *Carolo V. Imp. Rom. in Comitiis Auguſtanis, Confeſſio Principum & ordinum Imperij, qui tunc repurgatam Euangelij doctrinam contra Papatum profitebantur. Ea confeſſio ſummam & normam continet omnis veræ doctrinæ, in Scriptura ſacra, ſymbolis & orthodoxis veterum ſcriptis, traditæ. Ab hac igitur confeſſionis forma, quicũque vlla in parte diſcedunt, à veritate & à verbo Dei aberrant, & tanquã alieni à vera Dei Eccleſia iuſtiſſimè condemnantur, vitantur, & velut lupi à Chriſti ouilibus arcentur. Inde pronũtiant, nos, quia Cõfeſſioni Auguſt. nõ aſſẽtiamur, crimẽ hæreſeos effugere nõ poſſe.*

Hæc eſt illorum pro confeſſo ſumta oratio, quæ multos bonos, fidem illorum ſequentes, à veritatis inquiſitione abducunt. Sed iamdudum à noſtris gemina reſponſione ſatis luculenter ſunt re-
I. *futati. Vtrunq;, quod ipſi ſumunt, negamus. Qui enim diſceſſionis à Scriptura & ſymbolis conuinci non poteſt, is propter diſſenſionem ab Auguſtana confeſſione nullo iure damnari poteſt hære-*
II. *ſeos: Et nos à confeſſione Auguſtana rectè intellecta non diſſentire, candidis & veritatis ac pacis ſtudioſis iudicibus, abundè eſt demonſtratum.*

Ne videamur, quod in Theologis reprehendimus, aſſeuerare aliquid pro auctoritate, ſine probatione: ſummam eorum hîc rurſus oculis & memoriæ legentium ſubiiciemus, quæ ſæpe à noſtris dicta & ſcripta ſunt. Ac primùm quidem proteſtamur, noſtrum non eſſe conſilium, Auguſtanam confeſſionem improbare aut conuellere, ſed potius conueniẽtem illi auctoritatem aſſerere, ne, ſicut faciunt illius immodici præcones, iniuſtam ei auctoritatem tribuentes, etiam iuſtam adimamus. Quicquid enim nimium extollitur, in deiectionis periculum adducitur. Non contemnimus Auguſtanam confeſſionem, cùm vix vllus in ea ſit articulus, ne illo quidem, qui de ſacra Cœna eſt, excepto, quem non, ſi modò commodè & dextrè intelligatur, libenter recipiamus: neque nos ÿ ſimus, qui Eccleſiarum, quas coniunctione contra communes hoſtes munire Theologos in primis decet, ſchiſmata augere aut fouere velimus. Illam duntaxat opinionem à viris piis & cordatis examinari cupimus, quam inculcari hominibus in pleriſq; Germanicæ nationis Eccleſiis videmus, ab iis, qui ſuam de Cœna Domini ſententiam, aliter ſe tueri poſſe deſperant: Omnes videlicet, qui aliquid in Auguſtana confeſſione deſiderent, aut in aliquo articulo ab ea diſſentiant, tanquam aberrantes à fundamento fidei & ſalutis, à Scriptura & ſymbolis, in hæreticorum catalogum referendos, & anathematis fulmine ex Eccleſia proturbandos eſſe. Autoritatem hanc omnibus aliis ſcriptis, quæcunq; vnquam

ſunt

ſunt condita de doctrina Eccleſiæ, præter ſolos libros ſacri Canonis, & ſymbola Catholica, vnà nobiſcum vel nolunt, vel non audent deferre. Iccircò non abs re mirandum eſt, cur ſoli Auguſtanæ Confeſſioni, & ſi queant, etiam libro Concordiæ ſuæ, non vereantur hoc arrogare.

Vt autem cauſſas huius noſtræ admonitionis meliùs perſpiciāt homines Chriſtiani, quædam nobis hîc repetenda videntur, de ſcriptorum Eccleſiaſticorum gradibus, autoritate, vſu, & obligationis ad ſubſcribendum illis, limitibus ac modo. His enim conſideratis, facile eſt intellectu, An propter diſſenſionem ab Auguſtana, vel alia particularium Eccleſiarum confeſſione, quiſquam ſit damnandus hæreſeos, qui diſſenſionis à Scriptura & ſymbolis non ſit conuictus.

Duo ſunt ſumma genera ſcriptorum, quibus Eccleſiæ doctrina comprehenditur & explicatur: Alia diuina ſunt, alia Eccleſiaſtica. Diuina ſunt libri Canonici, veteris & Noui Teſtamenti, hoc eſt, ſcripti à Prophetis & Apoſtolis. Horum ideò eſt autoritas diuina, quia non hominum conſilio, ſed inſpirante & dictante Spiritu Dei ſunt ſcripti, non tantùm quod ad doctrinam & res in illis contentas, ſed etiam quod ad verba attinet, ab hominibus immediatè edoctis à Deo, & miſſis ad nuntiandam eius voluntatem generi humano, habentibus illuſtria teſtimonia diuina, ingentium miraculorum, oraculorum & euentuum, qui illis reſponderunt, quibus teſtatus eſt Deus coram toto mundo, quòd illa doctrina, quam tradiderunt voce, & literis conſignarunt, verè ſit ab ipſo profecta. Sunt igitur hi libri omnes & ſoli αὐτόπιστοι, *non indigentes alterius teſtimonio, nec angelorum nec hominum cenſuræ ſubiecti, vtpote, in quibus nulla creatura poteſtatem habet aliquid addendi, demendi, mutandi, ſiue quod ad res, ſiue quod ad verba attinet; ac propterea omnes homines, omnibus temporibus, ad credendum & parendum illis, ſic obligati ſunt, vt de genuina quidem eorum ſententia diligenter inquirendi omnibus*

I. Scripta Diuina eorumque autoritas.

Diuini libri omnes & ſoli αὐτόπιστοι.

incumbat neceſsitas, hæc verò quamprimùm deprehenſa eſt, de eius veritate dubitare non liceat, non ſecùs, ac Deo ipſo ſua voce loquente cœlitus; quandoquidem non ab Eccleſia conſcripti, ſed per Prophetas & Apoſtolos Eccleſiæ præſcripti ſunt à Deo, non minus quàm Decalogus in tabulis lapideis exaratus digito Dei in monte Sinai, & vox Patris de cœlo clamans: Hunc audite.

Sola ſcripta diuina ſunt fundamentũ fidei, & veritatis norma, ſeu Canon.

Traditi ſunt & commendati hi libri Eccleſiæ diuinitùs, cuſtodiendi tanquam legis tabulæ & liber in arca Fœderis, vt ſint fũdamentum certum & immotum fidei & ſalutis, & norma vnica iudicandi de omnibus dogmatibus & ſententiis, quæ ab vlla creatura proferri poſſunt de Deo, eiusq́ voluntate & cultu: vt docetur Gal. 1. 8. 2. Tim. 3. 16. 2. Pet. 1. 19. 20. Deut. 4. 2. & 12. 32. Apoc. 22. 18. 19. Quicquid ergo extra hunc Canonem Scripturæ Propheticæ & Apoſtolicæ, traditum aut ſcriptum vſquam eſt de doctrina Eccleſiæ, id Eccleſiaſticum quidem, ſed non diuinum dici meretur. Non enim immediatè ab ipſo Deo dictatum eſt, ſed hominũ deliberatione & conſilio ſcriptum, quorum alij plus, alij minus habent lucis, alij maiora alij minora dona intelligendi & explicandi res diuinas.

Leuis eſt ergo obiectio, ſi quis dicat: An confeſsio Auguſtana, & conſentientes, non docent verbum Dei? Continent ſanè, & ſunt verbum Dei, quod attinet ad ſententiam, & cum ea conditione, ſi à Scriptura non diſcedant: non tamen quod ad verba, quibus in efferenda Scripturæ ſententia vtuntur ſecundùm hominum deliberationem & conſilium. Sed Scriptura eſt verbum Dei ſimpliciter, quod ad res, & quod ad verba attinet, ſine vlla exceptione & conditione conſenſus cum altero. cùm piorum ſcriptura & ſermo ſic ſit verbum Dei, vt ſimul etiam ſit verbum hominum, id eſt, verbum Dei verbis hominum explicatũ, cui ſæpe admiſcent homines etiam pij & ſancti & magni, aliquid humanum, ac proinde nõ ſine vlla exceptione & collatione recipiendũ, ſicut Scriptura Prophetica & Apoſtolica, quæ & doctrina & ſermo Spiritus ſancti eſt.

Ac

Ac propterea Prophetarum & Apoſtolorum ſcripta omnia habent eandem & parem autoritatem: quia vnus & idem ſpiritus diuinus eſt, ſui perpetuò ſimilis, & nulli neque rerum neq́ verborum errori obnoxius, qui omnibus temporibus per omnes illos Dei legatos eſt loquutus. Aliorum verò Eccleſiæ doctorum vel piorum hominum ſcripta (non enim iam de hoſtium Eccleſiæ, aut hæreticorum impijs & blaſphemis libris agimus) magnam, pro temporum & perſonarum circunſtantijs, diuerſitatem, ac proindè diſparem teſtimonij & obligationis vim & autoritatem habent. Omnibus autem illis commune eſt, quòd vniuerſa eorum doctrina & oratio eatenus recipienda & probanda eſt, quatenus cum Scriptura ſacra, tanquam cum vnico fonte veritatis, fundamento immoto, & regula fidei nunquam fallente conſentit.

Diuinorum ſcriptorum omniū eadẽ & par autoritas.

Præter hanc primam communem & principalem illis aſſentiendi cauſſam, videlicet, cum Scriptura conſenſum, habent eiuſmodi ſcripta, pro autorum, à quibus edita ſunt, varietate, etiam ſuas quaſdam rationes & vſus, propter quos ſuam in Eccleſia fidem & autoritatem obtinent, ſed à Scripturæ autoritate longiſſimè diſtantem.

Sunt iſtorum alia Publica, alia Priuata: illa quæ communi & publico Eccleſiæ; hæc verò, quæ vnius vel plurium, priuato conſilio voluntate & nomine ſunt ſcripta. Rurſus Publica ſunt vel Catholica, vel Particularia. Catholica ſiue vniuerſalia, ſunt Symbola & confeſſiones totius Chriſtianæ & orthodoxæ Eccleſiæ, per vniuerſum terrarum orbem ſparſæ, conſenſu iudicio & nomine ſcriptæ & promulgatæ, vel receptæ & approbatæ, continentes breuem ſummam ſiue omnium ſiue præcipuorum articulorum fidei, ſeu fundamentum doctrinæ Euangelij, è Scripturæ verbis deſumtum, & propter manifeſtum, & apud orthodoxos omnes in confeſſo poſitum, cum Scriptura conſenſum, omnibus ſeculis contra omnes hæreſes, retentum & defenſum, & à nemine verè Chriſtiano in dubium vocatum aut vocandum.

Libri Eccleſiaſtici.

II.

Scripta Eccleſiaſtica publica & Catholica

Symbolũ Apoſtolicum.

Tale eſt ſymbolum Apoſtolicum, quod aliis vel ideò antecellit autoritate, quia ferè totum ipſius Scripturæ verbis conſtat, & aliis huius generis antiquius eſt, vtpote vel inde ab ipſis Apoſtolis, vel ab ipſorum diſcipulis, & auditoribus, viris Apoſtolicis, Eccleſiæ traditum, & per manus ad nos vſq; propagatum, & aliorum ſymbolorum fons & regula eſt, quæ huius declarandi cauſſa, ad hæreticorum fraudes & corruptelas vitandas, Eccleſiæ totius cõſenſu, in Synodis vniuerſalibus & Oecumenicis edita & approbata ſunt. Tale eſt & conditum in prima Nicæna, & repetitum in prima Conſtantinopolitana Synodo; Tale Athanaſianum, & Epheſina & Chalcedonenſis confeſſio fidei. Nec defuerunt cauſſæ, quæ cogerent Epiſcopos & doctores Eccleſiarum, has breues Confeſſionis formulas condere, præſertim creſcentibus & Eccleſiis & hæreſibus. Poſtulabat enim neceſſitas, vt Chriſtianiſmi fundamentum poſſent non tantùm adulti & periti, ſed etiam iuniores & rudiores breuiter comprehenſum in animo circunferre. Et ſicut ipſe Deus etiam in veteri Teſtamento ſummam legis & promiſſionum ſuarum breuiter complexus eſt, vt omnes haberent in conſpectu regulam vitæ, & fundamentum conſolationis: Sic etiã nunc omnes Chriſtiani, fidei ſuæ confeſſionem & conſolationem in promtu ſemper haberent, ſcientes, quæ ſit illa doctrina, propter quam perſequutiones eſſent ſuſtinendæ: haberent item fideles certã notam ſeu teſſeram, qua in præſentia & deinceps omnibus ſeculis, diſcernerentur ab infidelibus & hæreticis, vocem Propheticam & Apoſtolicam verſutè corrumpentibus; qua etiam de cauſſa hæ confeſſiones appellatæ ſunt Symbola: & extaret regula perpetua, ſimplex, breuis, & omnibus cognitu facilis, ad quam omnem doctrinam & interpretationem Scripturæ examinarẽt, vt cum ea congruentem reciperent, pugnantem repudiarent.

Nicenum Conſtãtinopolitanum Athanaſianum Epheſinũ Chalcedonenſe.

Symbola quare ab Eccleſia ſint condita.

Symbola vnde ſic dicta.

Symbolorũ certitudo ſiue autoritas vnde pẽdeat.

Conſiſtit autem Symbolorum certitudo, non in autoritate vel placitis hominum aut Conciliorum, ſed in perpetuo conſenſu Scripturæ ſacræ, & totius Eccleſiæ inde ab Apoſtolis retinentis doctri-

nam

nam Apoſtolicam, & teſtimonium edentis ad poſteros, hanc doctrinam ab Apoſtolis & eorum auditoribus eſſe acceptam, qui cōſenſus omnibus conſiderātibus eſt obuius. Certū eſt enim, nec Angelorum nec hominum Eccleſiam habere poteſtatem condendi nouas leges de cultu Dei, aut nouos Articulos fidei, obligantes conſcientiam. Id enim eſt ſolius Dei. Neq; Deo propter Eccleſiæ, ſed Eccleſiæ propter Dei teſtimonium credendum eſt. Cùm ergo conſtet, vocem & confeſſionem Eccleſiæ in ſymbolis comprehenſam, conſentire cum voce diuina: hinc duo conſequuntur: primum, ea quoque pro regula credendi docendi & iudicandi in Eccleſia meritò agnoſci: hoc tamen diſcrimine, vt Scriptura ſola & vnica ſit norma doctrinæ per ſe, hoc eſt, propria ſeu diuina autoritate valens; Symbola verò non per ſe, ſed propter Scripturam, & manifeſtū cum ea conſenſum; propter quem à Symbolis diſſentire nemo poteſt, quin ſimul diſſentiat à Scriptura: Alterum, quòd ne quidem Eccleſia Catholica habet poteſtatem mutandi doctrinam & ſententiam Symbolorum, eò quòd hæc mutari non poſſit, quin ſimul à ſententia Scripturæ diſcedatur.

Rurſus, quia condita ſunt ſymbola de conſilio & conſenſu Eccleſiæ propter certas cauſſas, ad ædificationem ſui pertinentes, rebus quidem non aliunde, niſi è Scriptura deſumtis & collectis, verbis autem partim è Scriptura, partim ex prudentum & piorum deliberatione & iudicio: habet eadem Eccleſia Catholica poteſtatem, ſi nouæ hæreſes aut controuerſiæ id poſtulent, aliquid nō de ſuo, ſed è Scriptura, addendi etiā de rebus ipſis, præſertim autē verba Symbolorum declarandi pro temporum neceſſitate: quam libertatem & olim vſurpauit aduerſus corruptelas Arianas, Macedonianas & Eutychianas. Hæc tamen ipſa quoque declaratio non habet autoritatem obligandi conſcientias propter vocem Eccleſiæ, ſed propter teſtimonium vocis diuinæ. Cùm enim etiam vniuerſalem Synodum aliquādo diſcedere à verbo Dei, ac proinde errare non ſit impoſſibile; vt oſtendunt multa veterum Con-

Eccleſiæ poteſtas in Symbolorum è Scriptura declaratione.

ciliorum exempla; non nititur Symbolorum autoritas hac ratione, quòd eorum auctores non potuerint errare, quod ſolis Prophetis & Apoſtolis, & immediatè à Deo edoctis, & ad docendum vocatis, eſt proprium: ſed quia certò conſtat, ex collatione & conſenſu cum Scriptura, eos in his condendis non erraſſe, quia non ſuam ſed Scripturæ ſententiam recitant.

In Symbolis Catholicis priuatim aliquid mutare nemini licet, ne Eccleſiis quidē particularib⁹.

Particularibus autem Eccleſiis, aut ſingulis doctoribus aut Chriſtianis, non tantùm in dogmatibus, ſed etiam in verbis ſymbolorum aliquid mutandi, ius nequaquam conceditur. Mutatio enim, quæ ad omnium conſcientias & obligationem pertinet, vnius aut paucorum arbitrio, nec ſine aliorum iniuria, nec ſine ſchiſmatum, turbarum & diſtractionum periculo poteſt fieri. Obligant enim ad aſſenſum hæc Symbola omnes Chriſtianos, vſque ad mundi finem, tam propter ſummum cum Scriptura conſenſum in rebus, quàm propter neceſſariam huiuſmodi verborum & phraſium in Eccleſia vſurpationem.

III. De Confeſsionibus ſeu ſcriptis Eccleſiæ particularib⁹.

Particulares Confeſsiones ſeu ſcripta Eccleſiæ, ſunt quidem publica, ſed tamen à particularibus duntaxat Eccleſiis, ſiue vna ſiue pluribus, edita, & pro ſuæ fidei confeſsione agnita, approbata & recepta. Huic generi ſcriptorum ſæpe neceſſarias cauſſas præbent Eccleſiarum reformationes, hæreticorum contentiones aut ſophiſmata, & fraudulentæ loquutiones vel interpretationes, aut aduerſariorum calumniæ, aut inſtitutionis rudium neceſsitas, aut conſenſus cum aliis Eccleſiis teſtificatio. Neceſſe enim eſt, cùm eiuſmodi tempora incidunt, publicè notas eſſe cauſſas iuſtas mutationum & diſceſsionis ab aliis; monſtrari errores, qui corrigũtur, & conſenſum reformationis cum Scriptura; depelli ab Eccleſiis calumnias accuſantium eas falſorum dogmatum; exorientes de dogmatibus aut ſenſu Scripturæ controuerſias, ordinaria cognitione examinari & communi conſilio & conſenſu explicari & decidi, & conueniri de forma loquendi propria, perſpicua, & cum Scripturæ & Eccleſiæ ſermone congruenti, vt coërceatur licentia fingendi

fingendi nouas opiniones & loquutiones, quibus diſtrahuntur & turbantur Eccleſiæ: extet denique etiam apud poſteros teſtimonium de fide & doctrina maiorum, vt caueantur nouationes vitioſæ aut non neceſſariæ, & faciliùs conſeruetur puritas doctrinæ, concordia & pax Eccleſiarum.

Autoritas particularium confeſſionum quanta ſit.

His igitur de cauſſis, eſt ſanè ſuus etiam locus, & ſua autoritas relinquenda confeſſionibus particularium Eccleſiarum, ſed non eadem, quæ Scripturæ & ſymbolis Catholicis. Etſi enim ab iis quæ docent & confitentur ex verbo Dei, non poteſt ſine impietate, aut ſaltem ſine errore, quiſquam diſcedere; neque etiam concedendū eſt, vt in illis Eccleſiis, quarum ſunt illæ confeſſiones, quiſquam temerè & cum periculo ſcandali aut turbationis non neceſſario cōtraſcribat aut doceat: : tamen ad eas, ſicut ad ſymbola vetera, omnes Eccleſiæ & Chriſtiani aſtringi non poſſunt, ita vt niſi illis ſubſcribant, & in eas iurent, pro mēbris Eccleſiæ Catholicæ Chriſti non habeantur. Non enim iſtæ confeſſiones hoc fine olim ſcriptæ ſunt, aut nunc ſcribi debent, vt aliis omnibus Eccleſiis, ſuas quoque confeſſiones edendi libertas adimatur. Quis enim vnquā vni vel aliquot Eccleſiis plus iuris in hac re dedit, quàm omnibus aliis? Aut quo prætextu in aliis reprehēderent id quod ſibi ſumūt nemine reprehendente? Iccircò à prudentibus & modeſtis hominibus non eo conſilio ſcribuntur, vt ſint omnium omnibus temporibus & locis Eccleſiarum confeſſio, & norma explicandi doctrinam religionis, etiam quarum vel ſcitu, vel iuſſu, vel cōſilio, vel conſenſu & approbatione non ſunt ſcriptæ aut editæ; ſed vt oſtendant illarum Eccleſiarum ſententiam, à quibus confeſſio poſtulatur. Cùm enim non omnes controuerſiæ in omnibus Eccleſiis agitentur, nec omnes iiſdem accuſationibus grauentur, nec omnibus cum iiſdem aduerſariis res ſit; non neceſſaria eſt omnibus eadem illis occurrendi ratio & forma. Cumq́; fieri aliquando poſſit, vt in illis particularium Eccleſiarum confeſſionibus aliquid ſit erroris, vt in multorum Conciliorum decretis accidit; aut de-

Q 2

fectus, aut obſcuritatis, aut ambiguitatis, vt in Auguſtana Confeſsione, & fortaſsis in aliis, quod alij meliùs & diſertiùs explicatum vel cupiant, vel habeant in ſuis confeſsionum formulis; quæ eſſet iniuria, omnes Eccleſias, abiectis vel obſcuratis ipſarum formulis melioribus, ad vnam aliquam incommodiorem adigere, & pacatis Eccleſiis, occaſionem nouarum diſputationũ obiicere?

Sunt igitur id genus ſcripta neq; αὐτόπιςα, *vt Scriptura ſacra, neq; immota & vniuerſalis norma fidei & veritatis, ſicut Symbola Eccleſiæ; ſed ſunt norma duntaxat confeſsionis, ex quibus agnoſci poteſt, quid congruat cum ſententia illius Eccleſiæ, à qua Confeſsio eſt edita; non autem ſunt norma, ſecundùm quam iudicari aut pronuntiari oporteat, quid credendum & concedendum, quid repudiandum & damnandum, quid verum aut falſum, orthodoxum aut hæreticum ſit. Non enim ſemper neceſſe eſt verum eſſe, quod cum alicuius Eccleſiæ confeſsione congruit, neque ſemper falſum, quod ab ea diſcrepat. Non tantùm ergo poſtulari non debet, vt omnes Eccleſiæ vnius Eccleſiæ particularis formulæ ſubſcribant; ſed ne quidem Eccleſiam vllam, aut priuatum vllum obligant illæ formulæ, vt eas approbet, ſeq; intra eas cõtineat, niſi cum iſta conditione, quatenus cum Scriptura & Symbolis vniuerſalibus congruant; Et propterea non tantùm aliarum Eccleſiarum, ſed illarum quoque, à quibus ſunt editæ, & in iis docentiũ ac viuentium iudicio ac cenſuræ ſunt ſubiectæ, & ſi quid in eis vitij deprehendatur, audiendum, cognoſcendum & examinandũ; Et ſi dignum emendatione iudicatum fuerit, communi conſenſu & autoritate illarum Eccleſiarum, quæ ſcriptum fuit, corrigendum aut declarandum eſt.*

De Baptiſmo cont. Donat. li. 2. cap. 3.

Sapienter hac de re & piè ſcripſit Auguſtinus his verbis: Quis autem neſciat, ſanctam Scripturam Canonicam, tam veteris quàm noui Teſtamenti, ſuis terminis cõtineri, eamq; omnibus poſterioribus Epiſcoporum literis ita præponi, vt de illa omnino dubitari & diſceptari non poſſit, vtrum verum,

verum, vel vtrum rectum ſit, quicquid in ea ſcriptum eſſe conſtiterit: Epiſcoporum autem literas, quæ poſt confirmatum Canonem vel ſcriptæ ſunt, vel ſcribuntur; & per ſermonem fortè ſapientiorem cuiuſlibet, in ea re peritioris, & per aliorum Epiſcoporum grauiorem autoritatem, doctiorumque prudentiam, & per Cōcilia, licere reprehendi, ſi quid in eis fortè à veritate deuiatum eſt. Et ipſa Concilia, quæ per ſingulas regiones vel prouincias fiunt, plenariorum Conciliorum autoritati, quæ fiunt ex vniuerſo orbe Chriſtiano, ſine vllis ambagibus cedere, ipſaq; plenaria ſæpe priora poſterioribus emendari, cum aliquo experimento rerum aperitur, quod clauſum erat, & cognoſcitur, quod latebat, ſine vllo typho ſacrilegæ ſuperbiæ, ſine vlla inflata ceruice arrogantiæ, ſine vlla contentione liuidæ inuidiæ, cum ſancta humilitate, cum pace catholica, cum caritate Chriſtiana. *Hæc ille: & ſimilia alibi ipſe & alij veteres orthodoxi.*

Eſt igitur in his Eccleſiarum ſcriptis recipiendis aut reiiciendis cauenda nimia libertas; ne videlicet, ſi liceat cuiuis conuellere pro libitu, quod publico conſenſu, & quidem ipſo etiam conſentiente, receptum eſt, ſequantur ſchiſmata & ſcandala Eccleſiarũ infinita, & nouis ſubinde loquendi formis introductis, ſimul opiniones & dogmata noua obrepant. Cauenda eſt etiam nimia ſeruitus; ne omnibus aliis Eccleſiis, vna aut aliqua, formulam Confeſsionis ſuo arbitrio præſcribant & dictent, & omnes in ſua verba non iurantes damnare, & ab Eccleſia Catholica alienos pronuntiare auſint: vel damnentur & excludantur omnes, qui aliquid in alterius vel ſuæ Eccleſiæ Confeſsionis formula deſiderent; ſic tamen, vt nihil Scripturæ & Symbolis aduerſum proferant: aut non audiantur petentes ſe audiri, vt cauſſa legitimè cognita & diiudicata, vel ipſi qui mouerunt quæſtionem, ſi errent, in viam reuocentur, vel ſi rectè aliquid monuerint de

Sicut nimia libertas in reiiciendis: ſic nimia ſeruitus in recipiendis vel obtrudendis particularibus confeſſionibus cauēda eſt.

confeſſione publica, & dignum animaduerſione, id communi conſenſu corrigatur.

Particulares confeſſiones nõ tollunt Catholicum Eccleſiarum conſenſum.

Neq; propterea diuelluntur Eccleſiæ particulares, quò minus ſimul conſtituant vnum Eccleſiæ Catholicæ corpus, quòd liberum ipſis eſt, vel alijs ad aliarũ cõfeſſiones ſe adiungere, easque pro ſuis agnoſcere, vel alias conſentientes cum illis in doctrina, aut meliores condere, ſi aut deſiderent aliquid in aliorum formulis, aut alias ſeorſum ad ſe pertinentes eius rei cauſſas habeant. Multò etiam minùs Magiſtratibus, doctoribus, aut ipſis Eccleſiis turpe aut indecorum eſt iudicandum, ſi vel ab vno aliquo, nedum ab alijs Eccleſiis admoniti, rebus legitimè & rectè deliberatis, corrigant aliquid aut illuſtrent in ſuis confeſſionibus, vt deinceps vno corde & ore melius ſentiant aut loquantur.

IIII. Priuata ſcripta Eccleſiaſtica, eorumque varii gradus.

Quarto & poſtremo loco in Eccleſia ſunt ſcripta priuata ſingulorum doctorum vel aliorum piorum, ſiue veterum ſiue recentium. In his, quemadmodum & in publicis Eccleſiarum confeſſionibus, varij ſunt gradus: vt quòd alius alio vetuſtior, & felici Apoſtolorum ætati propior, eruditior, & in doctrina ſincerior, ac minùs habens corruptelarum, quæ poſterioribus ſeculis in Eccleſiam irrepſerunt, ſibi ipſi magis conſtans, & magis ſacræ Scripturæ innitens, quàm ſuis cogitationibus indulgens, aut ex hominum autoritate pendens, à pluribus denique & melioribus ſemper probatus, & cum alijs orthodoxis ſcriptoribus conſentiens; adeò vt etiã inſignium in veteri Eccleſia virorum, nedum plurium conſentientium teſtimonium, pro communi totius Eccleſiæ illorum temporum, quibus vixerunt, voce, meritò habeatur. Prout igitur his & ſimilibus circumſtantijs, aliũ alius antecedit, ita ipſius de ãti quà & vera Eccleſiæ doctrina teſtimoniũ, apud pios & moderatos, ponderis & reuerentiæ plus habere debet: ita vt primum in his locum teneant ſanè libri, qui vocari ſolent Apocryphi, eò quòd nec ſcriptorum autoritas, nec Spiritus Prophetici ἐνέργεια, deniq; alicubi nec hiſtoriæ & ſententiarum ſoliditas ea in illis apparet, quæ ipſos

ipſos inter Canonicos Scripturæ libros numerari patiatur: Proximum ab his veteres, poſtremum recentiores Eccleſiæ doctores habeant.

Vtcunq; autem quiuis horum nominibus & prærogatiuis multis antecellat; nullus tamen eorum, teſtimonij, veritatem confirmantis auctoritatem habet, niſi quatenus ſacræ Scripturæ & Symbolis conſentanea dicit. Hanc autoritatem eis non tam tribuere, quàm augere poteſt verus cum publicis Eccleſiarum teſtimoniis, & orthodoxorum inde ab Apoſtolis doctorum ſerie conſenſus. Sic enim de his omnibus dicit Apoſtolus: Secundùm gratiam Dei quæ data eſt mihi, vt peritus artifex, fundamentum poſui: alius autem ſuperædificat: porrò quiſque videat, quomodo ſuperædificet. Nam fundamentum aliud nemo poteſt ponere, præter id quod poſitum eſt, quod eſt Ieſus Chriſtus. Quod ſi quis ſuperædificet ſuper fundamentum hoc, aurum, argentum, lapides pretioſos, ligna, fœnum, ſtipulam; cuiuſque opus manifeſtum fiet: dies enim declarabit: nam per ignem retegetur, & cuiuſque opus, quale ſit, ignis probabit. Si cuius opus manebit, quod ſuperædificauerit, mercedem accipiet. Si cuius opus exuſtum fuerit, damnũ faciet, ipſe verò ſeruabitur, ita tamen, vt per ignem. *Omnia quæ huc pertinent, his verbis complexus eſt. Solis Apoſtolis & Prophetis vendicat, quòd fundamentum poſuerint, & nuſquam errent in doctrina, à qua nulli diſcedere liceat: Reliquos omnes doctores horum voci ſic vult eſſe alligatos, vt omnẽ ſuam doctrinam ad eam conformare debeant, ac proinde examini Eccleſiæ ſubiecti ſint; & eatenus illis aſſentiendum ſit, quatenus doctrinam Apoſtolorum ſonant, & ei conformia docent; repudiandum verò, quicquid ab hac alienum protulerint: Et quidem loquitur de his, qui fundamentum quidem retinent, ac proinde ſeruantur, ſed tamen doctrinæ ſuæ admiſcent aliquid erroris & infirmitatis humanæ, quod & ipſi tandem agnoſcunt, & ſi non citiùs, ſal-*

Scriptorũ priuatorũ autoritas.

1 Cor.3.10

tem cum hac vita deponunt, ac proinde etiam ab auditoribus eorum defendi non debet magiſtrorum autoritate, ſiquidem Apoſtolorum & Prophetarum autoritate defendi non poteſt.

Hic itaque conſenſus cum vera, hoc eſt, cum Prophetica & Apoſtolica antiquitate, ſicubi in doctoribus vetuſtis aut recentibus non deprehenditur: non modò omnibus liberum eſt, ſed etiam neceſſarium, ab illis diſſentire, atq; adeò diuerſum profiteri & docere, dum modò ſic ab illis diſcedatur, vt nihil contra Scripturam & Symbola, hoc eſt, ne error errori ſubſtituatur; neq; turbentur Eccleſiæ profeſſione veritatis, non ordine aut prudenter ſuſcepta, aut ad Chriſtianam modeſtiam & dilectionem non compoſita. Summa huc redit: ſicut ne quidẽ ad vnius aut plurium Eccleſiarum, ſic multò minus ad vnius aut plurium doctorum ſententias aut verba, omnes Eccleſias & Chriſtianos ſic aſtringi oportere, vt in illa inquirere, & ſi verbo Dei non conſentanea deprehendantur, illis contradicere non liceat. Meritò enim publica ſcripta priuatis anteponuntur: Quippe quæ plurium iudicio ſunt ſcripta examinata & probata, veriſimile eſt minus erroris habere, quàm quæ vni placuerũt: Idcoq; non eſt alienum à modeſtia Chriſtiana, non tam facile ab illis diſcedere, quàm ab vnius doctoris ſententia aut verbis. Nam οὐδεὶς ἀνὴρ ἅπαντ᾽ ὁρᾷ.

His ergo, vt eò redeamus, vnde digreſſi ſumus, conſideratis, facile eſt iudicare, an vel hæreſeos vel erroris damnari poſſimus, propterea quòd aliquid in Auguſtana, vel alia piarum Eccleſiarum confeſſione deſideremus. Solius Scripturæ ſacræ, tanquam diuinæ vocis, ea eſt autoritas, vt et refragandi, & ab ea diſcedendi poteſtatem, nulla creatura habeat, & etiam Angelus de cælo, aliud Euangelium prædicans, anathema ſit. Cum Scriptura autem manifeſtus & indubitatus eſt conſenſus Symbolorum Catholicorum Eccleſiæ. Ab his ergo ſi quis diſſentit, ſine dubitatione dicendus eſt errare: & ſi impingit in fundamentum, hoc eſt, euertit aliquod præceptum Decalogi, aut fidei articulum; idq; contumaciter,

Hæreticus quis ſit.

maciter, id eſt, ſi erroris ſui Eccleſiæ iudicio & voce conuictus, tamen in errore detecto ſatis & refutato perſiſtat, eumq́; propagatum, & veritatem oppreſſam cupiat, etiam hæreticus cenſendus & pronuntiandus eſt.

Cur autem hæc autoritas diſſentientes condemnandi hæreſeos & ἀποςασίας à Chriſto & Eccleſia, per ſe & propriè ſoli Scripturæ ſacræ competat, grauiſsimæ & euidentiſsimæ ſunt cauſſæ.

Prima eſt, ſeueriſsimum & ſæpe repetitum atque inculcatum Dei mandatum, ne quiſquam Angelorum aut hominum, quicquam de Deo, eiúſque voluntate & cultu aliquid ſapere loquíve audeat, præter id, quod in verbo ſuo ſcripto Deus nobis patefecit. Ad Legem & ad Teſtimonium: Si non dixerint ſecundùm Ieſ. 8.20. *verbum hoc, quia Sion eis lux: Scrutamini Scripturas; quia illæ* Ioh. 5.39. *ſunt, quæ teſtimonium perhibent de me. Hoc tãtùm facias, quod* Deut. 12. *ego præcipio tibi: nihil addas nihil detrahas. Superſtructi ſuper* 32. *fundamentum Apoſtolorum & Prophetarum, cuius imus angu-* Eph. 2. 20. *laris lapis eſt ipſe Ieſus Chriſtus.*

Secunda eſt, confirmatio vocis Propheticæ & Apoſtolicæ, per illuſtria teſtimonia diuina, miraculorum, vaticiniorum & euentuum, quibus Deus ſanciuit & comprobauit vocationem & doctrinam Prophetarum & Apoſtolorum, tanquam voce ſua de cœlo clamans, hos eſſe verè ſuos ad genus humanum legatos, & nihil niſi ex ipſius ore & inſtinctu eloqui. Indicia quidem Apoſtoli edi- 2. Cor. 12. 12. *ta ſunt apud vos per omnem tolerantiam, & ſigna & prodigia, & virtutes. Egreſſi Apoſtoli prædicarunt vbiq́;, Domino vnà o-* Marc. 16. 20. *perante, & ſermonem confirmante per ſigna ſubſequentia. Hi igitur ſoli libri poſſunt habere certam & ſolidam fundamenti autoritatem, quam alij non poſſunt, quorum autores ſimilibus teſtimoniis contra dubitationem de ipſorum doctrina, non ſunt muniti.*

Tertia eſt, ſufficientia horum librorum ad erudiendam Eccleſiam de Deo & eius voluntate. Nihil addas ſermonibus eius, Prouer. 30.6.

2. Tim. 3. 16. *ne deprehendaris mēdax. Tota Scriptura diuinitus eſt inſpirata & vtilis ad doctrinam, ad redargutionem, ad correctionem, ad inſtitutionem, quæ eſt in iuſtitia: vt perfectus ſit homo Dei, ad omne opus bonum perfectè inſtructus. Si ergo Scriptura totam eam doctrinam complectitur, quæ ad ſalutem nobis eſt neceſſaria in hac vita; reliquos omnes ſcriptores, non in nouis dogmatibus, ſed in his tantùm euoluendis & declarandis verſari oportet, quæ in libris ſacris tradita ſunt: idq́ non ex autoritate & opinione ſua, ſed ſecundùm ſermonis Prophetici naturam, ſecundùm fundamenti analogiam, & locorum Scripturæ inter ſe collationem.*
2. Pet. 1. 20 *Nulla enim prophetia Scripturæ eſt propriæ explicationis. Nec enim arbitrio hominis allata eſt olim prophetia, ſed acti à Spiritu ſancto, loquuti ſunt ſancti Dei homines.*

Quarta eſt, fidei certitudo, quæ nulla poſſet exiſtere, niſi vna, certa, perpetua, ſibiq́ per omnia conſtans, certoq́ à Deo tradita, eſſet norma, ad quam tota Eccleſia vſq́ ad mundi finem, eſſet ſic alligata, vt in rebus fidei nihil cum hac conſentiens repudiandum, & nihil ab hac diſſentiens recipiendum ſit. Si enim normæ veritatis doctrinæ eſſent plures, veritas autem non poteſt niſi vna & ſimplex eſſe; nihil inuenirent conſcientiæ, in quo tutò poſſent ac-
Pſa. 116. 11. *quieſcere. Omnis enim homo mendax. Atq́ ita omnis vera Dei agnitio & religio ex mundo eſſet ſublata.*

Symbolis autem Eccleſiæ competit hæc autoritas, vt ſint etiam regula fidei & doctrinæ, diſcernens orthodoxos ab hæreticis, & errantibus in fundamento, non quidem per ſe, quemadmodum Scriptura, ſed propter conſenſum cum Scriptura, cum qua illa cōgruere per omnia, certum & manifeſtum, & apud omnes pios in confeſſo eſt: ideoq́ illis contradicentes, non iam hominibus, ſed Deo contradicere.

At particularium confeſſionum, & priuatorum ſcriptorum non eadem eſt ratio. Non enim Eccleſiarum, imò ne priuatorum quidem cenſuræ ſunt exemta, & cùm omnia erroris alicuius aut vitij

vitij periculoſint obnoxia, quoties aliquis ab his diſſentiens, hæreticus dici poteſt, hoc non idcò fit, quia ab illis, ſed quia à Scriptura & à ſymbolis diſſentiat. His itaq; nec per ſe, vt Scripturæ, nec propter aliud, vt ſymbolis, autoritas iudicandi de veritate doctrinæ, & condemnandi hæreſeos competit. Non enim definitur hæreticus, qui ab Heluetica, vel Gallica, vel Anglica, vel Germanica Eccleſia vel confeſſione, nedum, qui ab hoc vel illo autore diſſentit: ſed qui diſſentit à ſymbolis & fundamento Scripturæ ſacræ.

Iam igitur cuiuis manifeſtum eſſe confidimus, nequaquam nos erroris, nedum hæreſeos condemnari poſſe, etiamſi diſſentiremus alicubi ab Auguſtana, vel quacunq; alia confeſſione, dummodò noſtrum cum Scriptura & ſymbolis conſenſum demonſtrare valeamus: Contrà verò illos haud dubiè errare, quicunque in Scripturam aut ſymbola impingunt, quantumuis cum Auguſtana, vel alijs confeſſionibus conſentiant. Non enim confeſſiones particulares ſunt norma Scripturæ & ſymbolorum, ſed Scriptura & ſymbola ſunt norma & iudex omnium aliarum Confeſſionum.

Nec tamen hîc obiici poteſt; Si tanta conceditur libertas in recipiendis & iudicandis confeſſionibus publicis, quis illarum vſus, quæ autoritas manebit? Oſtenſus enim iam eſt earum vſus in reddendis mutationum rationibus, in defendendis Eccleſiis aduerſus calumnias maleuolorum, in decidendis & explicandis cõtrouerſiis Eccleſiaſticis, in conſeruanda puritate & concordia doctrinæ, & pace Eccleſiarum, in erudiẽdis ſingulis de ſumma Chriſtiana doctrina. Oſtenſa etiam autoritas, dum ab iis dogmatibus, quæ ex verbo Dei recitant, nemini fas eſt recedere, neque in forma expoſitionis & ſermonis, ſine iuſtis & neceſſariis cauſis aliquid eſt nouandum, quin etiam, ſi quid reprehenſione dignum vel habeant reuera, vel habere videantur; nihil temerè, inordinatè & turbulentè mouendum, nihil contrarium ſpargendum, niſi præeunte communicatione ſententiarum cum docẽtibus, & aliis,

Vſus publicarum confeſsionum.

R 2

de doctrina iudicare valentibus, & communi cognitione & conſenſu Eccleſiarum, in quibus illæ confeſſionum formulæ receptæ & approbatæ ſunt. Hunc vſum, & hanc autoritatem, vt omnibus fundamentum pietatis retinentibus, ita & Auguſtanæ confeſſioni libenter concedimus.

Non ergo patrocinamur Schvuenckfeldianis, aut aliis fanaticis hominibus, qui nullius Eccleſiæ ciues, nullius piæ confeſſionis ſocij eſſe volunt. Illi enim cùm diſputant, ſe ſine crimine hæreſeos poſſe ab hac aut illa Confeſſione diſſentire, poſtulant licentiam etiam à verbo Dei diſſentiendi. Nos autem à dogmatibus Confeſſionum cum verbo Dei congruentibus, diſcedendi licentiam nec ſumimus nobis, nec damus cuiquam. Fieri enim poteſt, vt quis diſſentiens à Confeſſione Auguſtana ſit hæreticus, ſi diſſentiat in iis, in quibus Confeſſio cum Scriptura conſentit: vt ſi diſſentiat ab ea, cùm docet, nos ſola fide in Chriſtum iuſtificari. Sic enim non ob diſſenſum à Confeſſione iſta, ſed ob diſſenſum à verbo Dei, erit hæreticus. Fieri etiam poteſt, vt ab ea diſſentiens non ſit hæreticus, ſi vel verba vel etiam dogmata Confeſſionis improbet, quæ in Scriptura non extant, & vel ſunt erronea, vel poſſunt homines in errorem inducere, vt ſi verba primi exemplaris improbet, quòd corpus Chriſti verè adſit ſub ſpeciebus panis & vini, aut ſi qui illa corporaliter intelligi volunt, etiam hoc ipſum dogma reiiciant. Diſſentiet enim ſic à Confeſſione, vt non diſſentiat à Scriptura. Diſſenſus autem à verbo hominum, ſine diſſenſu à verbo Dei, hæreticum non facit.

Si quis autem his, quæ dicta ſunt, non contentus, etiam hoc priuatarum Eccleſiarum confeſſionibus tribui poſtulet, vt ſint fundamentum & regula fidei, exemtæ ſint examini ac cenſuræ Eccleſiarum, & piorum, non liceat ab illis in re vlla diſſentire ſine crimine hæreſeos vel erroris; hunc honorem neque Auguſtanæ, neque alteri Confeſſioni, aut vlli ſcripto humano arrogari poſſe dicimus, ſine manifeſta Scripturæ ſacræ & Catholicæ Eccleſiæ iniuria,

iuria, & totius religionis Chriſtianæ labefactatione.

Quòd ſi etiam contendat aliquis, Auguſtanam Confeſsionem, & ſimilia ſcripta, haberi tamen pro regula & norma doctrinæ in Eccleſiis ſonantis; etiam huic iam reſponſum eſt, normam doctrinæ & iudicij de eius veritate aut falſitate, eſſe ſolam Scripturam & ſymbola: Alia verò ſcripta Eccleſiarum publica, normam non eſſe niſi Confeſsionis, ex qua poteſt & debet, non quid verum aut non verum ſit, agnoſci & pronuntiari, ſed duntaxat, quid cum doctrina in ſingulis Eccleſiis recepta & approbata congruat, ſiue verum ſit ſiue falſum. Vtrum enim illarum confeſsionum, an verò ab his diſcrepantes ſententiæ ſint veræ, hoc ex neutra parte pugnantium ſcriptorum vel opinionum, ſed ex Scriptura, & deſumtis ex ea ſymbolis Catholicis iudicari oportet. Qualis norma ſit Aug. Confeſſio.

Eadem in ſymboli nomine eſt ratio. Volunt iſti ſex Theologi Confeſsionem Auguſtanam, & librum Concordiæ ab ipſis, in cœnobio Berga conflatum, eſſe ſymbolum Eccleſiarum. At quale & quarum Eccleſiarum ſymbolum? Si dicerent, formulam Auguſtanam eſſe notam Confeſsionis earum Eccleſiarum, quæ illam exhibuerunt; & formulam Bergenſem notam Confeſsionis ſuæ, & ipſis ſubſcribẽtium, vnde ſciri poſſit, & iudicari debeat, quæ dogmata, & quas de his loquendi formas illi admittant & probent: loquerentur ſanè ſuo modo, nemine obſtante. At illi expreſſè contendunt hanc Confeſsionẽ, & prætereà articulos Schmalcaldicos, maiorem & minorem Catechiſmum Lutheri (quibus & librum ſuum Bergenſem accenſeri volunt) ſymbolum eſſe omnium Eccleſiarum noſtræ ætatis, quæ quidem verè ſint Chriſtianæ, quódque proximo à verbo Dei loco, omnes verè Chriſtianos oporteat amplecti & profiteri, non ſecus ac ſymbola vetera, quæ de arduis religionis controuerſiis, ab Eccleſia Dei ſunt condita & promulgata; vtpote in quo omnia, quæ in Scriptura prolixiùs tractantur, & ad ſalutem ſcitu neceſſaria, comprehenſa ſunt, cui omnem Eccleſiæ doctrinam conformari oporteat, & cui quicquid eſt con- An Confeſſio Auguſt. cum articulis Smalcald. & Lutheri Catechiſmis ſit Symbolum.

trarium, reiici & damnari debeat.

Iudices hîc facimus omnes pios, modeſtos & cordatos viros, an non meritò conqueramur, nimis arroganter à Theologis iſtis confeſſionem Auguſtanam, ſcripta Lutheri, & librum Bergenſem, æquari Symbolis Eccleſiæ veteribus & Catholicis. Satis enim ex ijs, quæ commemorauimus, eſt manifeſtum, non tantùm infra Scripturæ, ſed etiam Symbolorum Catholicorum autoritatem, longè ſubſidere autoritatem confeſſionum particularium Eccleſiarum, nedum ſingulorum Eccleſiæ doctorum.

Confeſsiones particulares nō poſſe dici Symbola, vel Symbolis æquari.

I. *Symbolorum enim cum Scriptura conſenſus manifeſtiſſimus, & apud omnes orthodoxos Chriſtianos confeſſus & indubitatus eſt, & præſertim inter nos & ſocios Auguſtanæ Confeſſionis, nulla de hoc eſt diſſenſio aut dubitatio. Confeſſiones verò particulares ſæpè compertum eſt, habuiſſe aliquid erroris, aut ſaltem defectus vel obſcuritatis, quæ emendatione digna fuerit; id quod etiam de Auguſtana Confeſſione oſtendere non eſt difficile. Symbolorum enim verba, aut ex Scriptura deſcripta ſunt, aut illis manifeſtè æquipollent, & conformia ſunt: Aliarū verò confeſſionum ſenſa & verba, hominum iudicio delecta ſunt, qui etiamſi in plurimis, præſertim in fundamento, à ſenſu Scripturæ minimè aberrant, aliquando tamen poſſunt vſurpare, quæ ipſis congruere cum Scripturis viſa ſunt, reuera tamen non congruunt: ideoq́; conſenſus earum cum Scriptura, non æquè certus & euidens eſt, atq́; Symbolorum.*

II. *Magnum etiam diſcrimen Symbolorum & Confeſſionum particularium in eo eſt, quòd Symbola ſunt condita, recepta, & poſteritati commendata, voluntate, conſenſu & iudicio totius Eccleſiæ Chriſtianæ in mundo, vt deinceps omnibus temporibus vſque ad mundi finem eſſent norma, non tantùm confeſſionis, ſed etiam doctrinæ & veritatis; ac propterea omnes Eccleſias particulares, tanquam Eccleſiæ Catholicæ partes & ciues, omnibus temporibus obligant, vt ab illis*

non

non ſit fas cuiquam diſcedere, qui Chriſtianus haberi velit. Particularium verò confeſsionum autores, nec voluerunt, nec debuerunt, aut potuerunt ſibi ſumere poteſtatem edendi Confeſsionem nomine totius Eccleſiæ Catholicæ, per vniuerſum terrarum orbem ſparſæ, obligantem ad aſſenſum & approbationem omnes omnium gentium & temporum Eccleſias & Chriſtianos: multò minùs omnibus aliis Eccleſiis adimendi ius etiam ſuas Confeſsiones pro temporum neceſsitate edendi, aut omnes quæcunque ab aliis ederentur exautorandi, & ſuæ Confeſsioni tanquam regulæ ſubiiciendi. Sic & Auguſtanæ Confeſsionis autores ſuam duntaxat, qui tum ſubſcripſerunt, & ſuarum Eccleſiarum, de dogmatibus controuerſis plerisq; ſententiam voluerũt exponere, vt ſuæ fidei rationem redderent Imperatori, & conſtaret omnibus, de quibus rebus eſſet contentio cum aduerſariis, & ſe defenderent aduerſus calumnias Papiſtarum, multa falſa & abſurda dogmata ipſis affingentium. Similes cauſſæ & noſtras Eccleſias coëgerũt ſuas confeſsiones in lucem dare; quas etſi confidimus eſſe puras & perſpicuas; tamen nulla eſt ex noſtris Eccleſia, quæ vel Auguſtanæ, vel alterius Confeſsionis ſocios, nedum omnes orbis terrarum Eccleſias & fideles, ad ſuam Confeſsionem velit adigere, aut ſuæ tam ſit addicta, vt aliis aut ſibi ius ademtum velit, aliquid melius, plenius, clarius dicendi, quàm in ſua Confeſsionis formula ſit expreſsum.

Symbolorum puritas & firmitas iam à multis ſeculis probata III.
& explorata eſt, & aduerſus omnium aduerſariorum oppugnationes defenſa, adeò vt etiam apud omnes noſtros aduerſarios, qui ſaltem non ex profeſſo euertunt Chriſtianiſmi fundamentum, & renouant veteres ſolidè refutatas, & iuſtè condemnatas hæreſes, ſancta & inuiolabilis ſit eorum autoritas. Omnium ergo Chriſtianorum conſcientiæ obligantur, ad has Eccleſiæ confeſsiones recipiendas, donec aliquid in iis vitÿ ſolidis rationibus oſtendant: id quod hactenus à nullo fieri potuit, neque deinceps

poterit. At Cōfeſſio Auguſtana vt & ſimiles, à paucis vnius nationis Eccleſiis, ante paucos annos eſt ſcripta & exhibita, neq; omniū aliarum Eccleſiarum conſilio, quæ vel tunc fuerunt, vel poſtea conſtitutæ ſunt; neq; ab omnibus per omnia approbata & recepta, aut ſaltem non omnibus ſatisfaciens. Qua etiā de cauſſa, & eodem illo tempore, & deinceps, ab aliis Eccleſiis aliæ confeſſionū formulæ ſunt editæ, vt Germanicarum ciuitatum, atq; adeò aliquot Germaniæ Principum, & in his Ducis VVirtemberg: Comitum Mansfeldenſiū Heluetiorum, Gallorum, Anglorum, Scotorum, Belgarum & aliorum: Et nonnulla ſunt cùm in Auguſtana, tum in aliis formulis, quæ ab aliis partim in controuerſiam vocantur, partim recuſantur, partim meliùs declarāda cenſentur, nec adhuc ſunt vel ab illarū autoribus ſatis defenſa & explicata, vel communi & ordinario Eccleſiæ iudicio deciſa. Hæc vel ſola eſſet iuſtiſsima cauſſa, cur ſymbola eſſe debeant, hæ autem confeſſiones neque debeant, neq; poſsint eſſe norma iudiciaria.

IIII. *Symbola, cum totius Catholicæ Eccleſiæ conſenſu edita ſint, nullius etiam niſi huius iudicio & cenſuræ ſunt ſubiecta, & ita quidem, vt in his formulis, quarum in rebus error demonſtrari non poteſt, nihil ne ipſa quidem Eccleſia Catholica de earum ſententia mutare poſſit, ſed tātùm conuenientes cum verbo Dei, non temerè, ſed ſi aliqua neceſsitas publica totius Eccleſiæ poſtulet, declarationes addere, ſicut olim eſt factum. At confeſſiones reliquæ, & quod ad res, & quod ad verba earum attinet, ſemper manent ſubiecta, & Eccleſiarum, ſiue omnium, ſiue aliquarum, ſiue vnius, & ſingulorum fidelium aut doctorum iudiciis, correctionibus vel illuſtrationibus neceſſariis, vel ſaltem admonitionibus & dubitationibus. Neq; ſanè, qui Auguſtanam vel alias pias confeſſiones bono & neceſſario conſilio ſcripſerunt, tantam ſibi arrogarunt perfectionem ſcientiæ, quantam ipſis affingunt, & ſibi tribuunt iſti Theologi, non ſine vtrorunq; ignominia, vt putarent, nihil à quoquam poſſe rectius aut commodius dici, quàm ab ipſis dictum*

dictum aut ſcriptum eſſet; nec eas ſibi compedes voluerunt inii-cere, vt nunquam liceret eis progredi in veritatis via cognoſcenda, aut proficientibus ſucceſſu temporis aliquid addere, aut aliquid corrigere atq; illuſtrare in ſua Confeſſione; ſicut etiam neque pauci neque ſemel fecerunt. Poteſtatem habuerunt, & habent Eccleſiæ ſingulæ, in ſuis confeſſionibus, aliquid, ſi res poſtulare videatur, mutandi: Idem autem ius aliquid mutandi in ſymbolis Catholicis, neq; vlla Eccleſia ſibi arrogare, neq; reliquæ vlli concedere debent. Si igitur ne ipſi quidem confeſſionum autores ſuis ſententiis & verbis ſic ſe debent aſtringere, quin libertatem ea meliora faciendi, ſi qua poſtulet neceſſitas, retineant; quæ eſſet iniquitas, alios omnes ad iurandum in ea velle cogere?

Denique, ne prolixiores ſimus in re manifeſta; de ſymbolis vtrinque conſentimus: His ergo vnà cum Scriptura, competit autoritas iudiciaria, cui nos vtrinq; parêre oportet. Confeſſiones autem noſtræ ſunt voces partium litigantium. Non igitur ex vnius partis Confeſſione, poteſt de alterius Confeſſionis veritate aut cōmoditate pronuntiari; & neq; nos, ſi in illorum, neq; illi, ſi in noſtris Confeſſionibus aliquid deſiderēt, propterea cenſeri poſſumus hæretici. Hæc vbi conſiderauerint pij & prudentes viri in Germanicis Eccleſiis, non dubitamus, eos non facilè paſſuros, ſibi fucum fieri illorum hyperbolis, qui ſuas Confeſſionum, Catechiſmorum, Articulorum, Concordiarum formulas, ſymbolis Catholicis ex profeſſo, ipſi autem Scripturæ diuinæ, vtcunque verbis negēt, re ipſa tamen æquant. V.

Ceterùm, quia de ſancienda Eccleſiarum concordia, & de omnibus ad vnam Confeſſionis formulam adigendis, & iis excludendis, qui huic non ſubſcribunt, agitur; videtur nobis non abs re quæri poſſe, an ſit poſſibile & conſultum, his præſertim temporibus, vnam omnibus Eccleſiis formulam præſcribere. Credimus nullum eſſe, gloriæ Dei, & ſalutis Eccleſiæ intelligentem & amantem, qui nō fateatur nobiſcum, nihil pulcrius aut optabilius poſſe

An ſit conſultū hoc tempore vnam formulam omnibus Eccleſiis præſcribi.

cogitari in hac vita, quàm ſi omnium in toto orbe terrarum, veram Euangelij doctrinam amplectentium Eccleſiarum, non tantùm vna ſit fides & ſententia, verùm & confeſsio & vox eadem, vt vno corde & ore Deum celebrent, idem omnes ſentientes & loquentes.

Synodus vniuerſalis.

Conſtat autem non eſſe facile, communem & vniuerſalem Cõfeſsionis formulam condere, ac fortaſsis ne conſultum quidem hoc tentare extra Synodum vniuerſalem omnium Eccleſiarum, in qua omnium, etiam errantium & hæreticorum, de ſingulis doctrinæ partibus & controuerſiis ſententiæ, audiantur, conferantur, & excutiantur. Nam certè eam formulam, quæ omnibus cõmunis & acceptabilis, & ſemper deinceps apud omnes rata eſſe debeat, iuſtum & neceſſarium eſſet, maturo conſilio, multaq́; & diligenti cõſideratione & cautione, & communi ſuffragio & cõſenſu perſcribi, auditis etiam ſufficienter, & refutatis omnibus, quorum in ea concipienda ſententiæ eſſent improbandæ, ne quiſquam deinceps honeſtum conquerendi prætextum habeat, vel ſententiæ melioris, vel conditionum alicuius Eccleſiæ non habitam fuiſſe rationem, vel ſe non auditum, aut non conuictum erroris, eſſe condemnatum.

Talis autem Synodus vniuerſalis & libera non poteſt conuocari, ac ritè adminiſtrari, niſi vel Monarcharum, vel Principũ ac Rerumpub. Chriſtianarum conſenſu, opera & autoritate: quod vt obtineatur, cum propter multa impedimenta, nec facilè his temporibus, nec breue negotium eſſe, omnes prudentes iudicent; etiam de vniuerſali & communi omnium Eccleſiarum Confeſsionis formula difficile eſt cogitare.

Magna eſt ingeniorum & iudiciorum in tot diuerſis gentibus varietas, cui ſatisfieri per abſentes eſt perdifficile. Habent Eccleſiæ, præſertim procul diſsitæ, etiamſi de Scriptura & ſymbolis, hoc eſt, de fundamento doctrinæ Chriſtianæ conſentiant, diſsimiles non rarò de illis, quæ fundamento ſuperſtruuntur, ſententias:

tias: habent cauſſas non omnibus Eccleſiis communes, aliquid ponendi, aut omittendi, aut mutandi: habent diſsimiles Religionis controuerſias: habent ſuas quaſdam, & diſsimiles, etiã de quibus rebus idẽ cum aliis ſentiunt, loquendi & explicandi formas, quibus vel aſſueuerunt, vel delectnatur, vel erudiũtur & ædificantur magis, quàm aliorum ſermonis genere: Quinetiam, cum non vni det cuncta Deus, neque homini, neque Eccleſiæ; videmus ferè accidere, vt partes doctrinæ aliæ ab aliis dexteriùs, integriùs, clariùs, puriùs, feliciùs, ſignificantiùs recitentur. A meliori autem forma expoſitionis ad aliquam deteriorem, ſaltem in aliquibus Confeſsionis capitibus, Eccleſiam aliquam, nedum omnes, reuocare, quin arrogantiæ aut inuidiæ, aut iniuriæ ſpeciem habeat, excuſari vix poſſe videtur.

Conſiderabunt ergo viri prudentes, nunquid tantiſper, dum communi omnium Eccleſiarum deliberatione & conſenſu vna formula condatur, fuerit expeditius, æquius, vtilius ac tutius, liberum relinquere Eccleſiis, vt vel proprias confeſsiones edant, vel ab aliis editas, quæ ipſis magis placent, pro ſuis amplectantur & approbent: Interea verò omni ſtudio hoc agere & vrgere, vt omnes vbique gentium Eccleſiæ, quæ fundamentum Chriſtianiſmi incorruptum retinent & profitentur, aliæ aliarum confeſsiones & ſcripta cum illis congruentia, mutua approbatione, tanquam pia & Chriſtiana agnoſcant & ſtabiliant, etiamſi in aliquibus aliquid deſiderari poſsit: citra tamen iacturam fundamẽti, & ea conditione, vt ſecundùm Scripturam & ſymbola, imò etiam ſecundùm ſuas ſingulæ, aliarum Confeſsionum formulas acceptent atque intelligant. Si tantam volunt eſſe autoritatem & perfectionem Auguſtanæ Confeſsionis, vt hanc oporteat omnium Eccleſiarum eſſe normam, cur VVirtembergenſes, Mansfeldenſes & alij, proprias ſuas confeſsiones ediderunt? Dicent nobis, quædam declarandi, aut ſe purgandi cauſſa. Cur ergo in aliis eaſdem cauſſas habentibus, non ceſſant damnare, quod ſibi permit-

Qualis cõſenſus hodie ſanciri vtcunque poſſet.

tunt? An illa, quam diximus, pacis Eccleſiarum & concordiæ ratio, non eſſet modeſtiæ, candori, dilectioni Chriſtianæ conueniens? An non hæc etiam eſſet omnium Chriſti Eccleſiarum vna confeſſio? An nō oportebat eos non diſiūgi propter verba, qui cōueniunt de rebus? An non oportebat conferre mutuas operas, qui ædificāt ſuper idem fundamentum? Sic ſanè liceret vel vni vel pluribus Eccleſiis ſuam Confeſſionem retinere, & eius in docendo formulas ſeruare, citra aliarum iniuriam, & corporis Chriſti, per omnes gentes diſperſi, lanienam.

Sin autem ea ratione, aliquæ Eccleſiæ, in quacunque gente aut regione, in vnam fomulam conſpirent, vt aliarum Confeſſiones omnes, nullius erroris aut hæreſeos conuictas, tanquam hæreticas & impias condemnent, & illas probantes perſequantur, ex Eccleſiaſtica & politica pace excludant, in fortunarum & capitis diſcrimen vocent, quaſi in ipſarum duntaxat territoria incluſa eſſet Chriſti Eccleſia; hac ſanè præſumtione & ἀταξίᾳ nihil deformius, nihil iniquius, nihil Deo & piis omnibus execrabilius eſſe exiſtimamus. Sed hæc mala vt vitentur, illum etiam horum fontem caueri eſt neceſſe, ne qua particularis confeſſio, pro fidei & veritatis regula habeatur, vel cenſuræ Chriſtianæ eximatur: Id enim ſi fiat, non iam vna in multis Confeſſionibus, fides & religio, ſed tot religiones & Chriſtianiſmi exiſtent, quot Confeſſionum formæ, ex qua diſtractione, nihil niſi conſcientiarum perturbatio, Atheiſmi incrementum, & Eccleſiarum ruina poteſt conſequi.

Porrò tales Confeſſiones fidei, quæ mutua Eccleſiarum approbatione, vna Confeſſio cenſeri queant, non obſtantibus earum, ſi qua ſunt, diſcriminibus (quæ certè à quibuſdam ſtudio contentionis magis, quàm veritatis & pacis, conquiruntur, & exaggerantur) iudicamus eſſe, non tantùm Auguſtanam, Saxonicam, & reliquos libros Methodicos in Corpore doctrinæ Germanicarum Eccleſiarum, ante aliquot annos collecto; ſed etiam quatuor ciuitatum, Eccleſiarum VVirtembergenſium anno quinquageſimo

mo primo editam, Bohemicarum, Helueticarum, Sabaudicarum, Gallicarum, Anglicarum, Scoticarum, Belgicarum, Palatinarum, & ſi quæ harum ſimiles ſunt publicatæ. Has enim fundamentum Chriſtianæ religionis rectè intellectum retinere, neque erroris cum eo apertè pugnantis, hactenus conuictas aut legitimè damnatas eſſe exiſtimamus; ac propterea æquiſſimum eſſe, nec eas domeſticis odiis, & particularibus præiudiciis damnari, nec earum approbatores, in quacunque Eccleſia viuant, ab eius ſocietate excludi, ſicut & nos aliorum confeſſiones, etiamſi quid in eis deſideremus, non propterea tanquam hæreticas, abiicimus aut improbamus. Nunquam nos id poſtulauimus, aut egimus, vt aliqua noſtrorum Confeſſio, pro vniuerſali omnium Eccleſiarum Confeſſione habeatur, aut ita ſit ſacroſancta, vt non parati ſimus, ſi vel à priuatis, nedum ab aliis Eccleſiis, aliquid in ea vitij nobis demonſtretur, id corrigere, ſi correctionem mereatur. Maneat etiam ſuo loco & gradu Auguſtana Confeſſio, neque putetur eſſe piaculum, ſi quiſquam ab vllo eius apice diſſentiat, vel aliquid in ea meliùs illuſtratum cupiat. Quòd enim hi Theologi tantum ſibi arrogant, quaſi ſoli omnium hominum nihil poſſint, neq; ab aliis, neq; à ſuis moneri commodè; ideóq; poſtulant, vt omnes Chriſtiani, ſicut in Scripturæ & Symbolorum Catholicorum, ſic in ipſorum verba iurent: hoc ipſis coram Deo & Eccleſia excuſandum relinquimus, nec videmus, cuius Eccleſiæ exemplo faciant, niſi Romanæ, quæ Catholicum nomen in Romanum commutari, aut quod perinde eſt, Romanum Catholico & Apoſtolico & Chriſtiano æquari voluit, & Romanum Epiſcopum eſſe Oecumenicũ, quod Gregorius dixit proprium eſſe Antichriſti. Quantum enim diſtant ij, qui volunt nihil eſſe Catholicum & Chriſtianum, niſi ſit Auguſtanum & Bergenſe, ab illis, qui volunt, nihil eſſe Catholicum aut Chriſtianum, quod non ſit Romanenſe?

Neq; ſic ſentientibus poteſt obiici, vt aiunt hi Theologi, eos nulli certæ Confeſſioni & formæ doctrinæ alligatos eſſe velle. Alligamus

enim omnes ad Scripturam & Symbola, ſimpliciter, & abſolutè, & ſine exceptione vlla. Alligamus etiam omnes ad ſuarum Eccleſiarum Confeſsiones, ſed non eodem modo, quo ad Scripturam & Symbola, hoc eſt, vt contra illas docere aut loqui vnicuiq; pro libitu, ſine collatione cum fratribus & doctoribus Eccleſiarum illarum, & ſine illorum pace & conſenſu, aut cum ſcandalo Eccleſiæ, nõ ſit liberum: Admonere autem, ſi quid videatur incommodè dictum, eos ad quos hæc conſideratio pertinet, expoſitis rationibus, & ſuo loco ſententiam ſuam, quæ Scripturæ & Symbolis non aduerſetur, pro vocatione, modeſtè, & ſine ſchiſmatica temeritate profiteri, non ſit hæreticum. Ad quid præterea hac in re obligari poſsint conſcientiæ piorum, ex verbo Dei non videmus.

Confeſsionē Auguſtanam neque Symbolum eſſe, neque aliis omnibus Confeſsionũ formulis anteferendam.

Oſtendimus hactenus, quare nulla particularis Confeſsio debeat æquari Symbolis vniuerſalis Eccleſiæ. Si autem res diligentiùs expendantur, etiam peculiares in Auguſtanæ Confeſsionis formula, rationes, videre non eſt difficile, quare non debeat in illum vſque gradum extolli, & omnes aliarum Eccleſiarum confeſsiones autoritate ſua abolere vel obſcurare. Liceat enim nobis fraternè & Chriſtianè, hoc eſt, verè, ingenuè, & liberè de Auguſtana Confeſsione, citra inuidiam, & cuiuſquam iniuriam, ea dicere, quæ vera eſſe boni omnes fatentur, qui res illorum temporum, quibus Confeſsio illa ſcripta eſt, nõ ignorant; & ſine φιλαυτίᾳ, *aſſentatione & præiudicijs, conſiderare, an omnibus alijs Confeſsionum formulis Auguſtana ſit præferenda.*

Primum ex illis, quæ diximus, intelligi poteſt, quàm non ſit æquum, vnam aut aliquas Eccleſias particulares, præſcribere ſentiendi, agendi & loquendi formulam omnibus in mundo Eccleſiis, hac autoritate, vt omnes, qui non ſine exceptione in eam formulam iurare velint, habeantur pro hæreticis, ab Eccleſia Catholica, & fraternitate Chriſtiana, ac ſocietate pacis politicæ, alieni, & velut catharmata & alaſtores exterminandi: nulla præſertim

inter-

interueniente legitima diſsidÿ cognitione & diiudicatione. Nec igitur Auguſtanæ, nec alteri Confeſsioni particulari hoc deferendum eſt, vt omnibus Eccleſiis, niſi quatenus vltrò, & ſalua ſua libertate, eam acceptant, obtrudatur.

Secundò, Auguſtana Confeſsio ſcripta eſt annis non ita multis poſt reformationis initiũ, in quo, præſertim in cõtrouerſiis variis, arduis & difficilibus, poſt tenebras tam diuturnas & denſas, quàm fuerunt ſub Papatu, non ſubitò omnia rectiſsimè perſpiciuntur & explicantur. Nihil autem neque imprudentius, neq; iniquius fuerit, quàm non permittere Eccleſiæ, & piis doctoribus, vt ſucceſſu temporis proficiant in veritatis cognitione & explicatione; vſu rerum, & ipſis certaminibus admoniti, quædam pleniùs, puriùs, dexteriùs tradant & declarent. Quin imò hæc vna eſt inter vtilitates eas, quas Eccleſia capit ex hæreticorum & contentioſorum aduerſationibus, vt earum occaſione magis explicetur, illuſtretur, & ſtabiliatur, ab iniuriis & ſophiſmatibus illorum vindicata veritas, dum eius obſcurationem & oppreſsionem Diabolus quærit: Id quod etiam de hoc ipſo de Cœna Domini diſsidio, non iniuria dici poteſt. Contrà verò Auguſtanæ Cofeſsionis repetitiones, & aliæ multæ Confeſsiones, editæ ſunt ab Eccleſiis adultioribus, & in luce veritatis diutiùs verſatis, magis exercitatis ſcriptoribus, & poſt omnes doctrinæ partes diſputationibus magis excuſſas, & accuratiùs cõſideratas. Non de noſtro, ſed de ipſius Melanthonis, qui ſcripſit Confeſsionem, iudicio hoc dicimus, qui in præfatione primi Tomi ſuorum operum; Non diſſimulari poteſt, *inquit*, motis rebus magnam varietatem opinionum exortam eſſe. Et concedit ἀναρχία licentiam malis ingeniis fingendi monſtroſa dogmata. Tali tempore, quàm difficilis res ſit, & eligere vtilia, & ea propriè & perſpicuè explicare, norunt prudentes. *Et paulò antè*: Erat, qui, vt minùs horridè videremur dicere, hominem fide iuſtificari, ſcribebat, i-

dem à Platone & à Catone dictum eſſe, citans notos verſiculos: Si Deus eſt animus, nobis vt carmina dicunt, Hic tibi præcipuè pura ſit mente colendus: Et Platonis illud in Epinomide: δεῖ τιμᾷν θεὸν οὐ χρήμασι τεχνάζοντας, ἀλλὰ ἀληθείᾳ τιμῶντας ἀρετήν. Nec deerant applauſores, qui non intelligebant diſcrimina doctrinarũm, legis, philoſophiæ & Euangelij, quod cùm inquit homines eſſe iuſtos fide, ait eos fiducia miſericordiæ propter Filium promiſſæ, Deo placere: non illud agit, homines interioribus virtutibus legi ſatisfacere. Ac poſſem alias rixas multas recitare. *Hæc ille de Auguſt. Confeſſionis prima ſcriptione.*

Tertiò, ſcripta eſt Auguſtana Confeſſio paucorum Theologorũ conſilio. Notum eſt enim, paucos Imperij Ordines eam exhibuiſſe. Paucos illi ſecum habebant Theologos in conuentu Auguſtano: & inter hos ipſos pauci erant ad Confeſſionem ſcribendam idonei, ita vt labor ſcriptionis & defenſionis vni Melanthoni incumberet, vt patet ex iam recitata ipſius adiutorum deſcriptione; & ex verbis ipſius in eadem epiſtola: Cumque ſciam, quãta ſit huius rei difficultas, ſemper optaui, vt pij & docti viri conuenirent, & rebus placidè deliberatis, de vniuerſa doctrina eaſdem ſententias, & loquendi formas poſteritati traderent, & quantum fieri poſſet, ſemina diſſidiorum extirparent: Hanc rem curæ eſſe piis Principibus oportuit. *At contra, Saxonicam & alias confeſſiones, conſtat, à multis Eccleſiarum & ſcholarum doctoribus, & in Synodis publicis examinatas & probatas eſſe.*

Quartò, ſcripta eſt in feſtinatione & temporis anguſtia: Auguſtæ, in diuerſorio, in Comitiis, vrgente Imperatoris poſtulatione & calumniis improbiſſimis Pontificiorum, quibus erat opponenda: vt teſtatur illud votum eiuſdem autoris in eodem loco: Vtinam verò multò antè inter ſeniores re grauiter deliberata, fuiſſet ad hanc Epitaſin præparata Confeſſio: *Nec nihil erat pericu-*

periculi tunc, aut eligere materias, aut electas explicare. Quæ verò deinceps editæ ſunt confeſſiones, maturo conſilio, & diligenti meditatione conſcriptæ ſunt.

Quintò, ſcripta & exhibita eſt in maximo metu præſentium periculorum, quæ creabant profitentibus Euangelium, apud Imperatorem & alios Principes, aduerſarij Papiſtæ, atrocibus calumniis, cruentis conſiliis & incitationibus. Iccircò ſtudium fuit Confeſſionis autoribus, omnia Papatus vlcera & Idolomaniam in iis articulis, de quibus tum ſcribēdum putarunt, quàm parciſſimè & leniſſimè attingere. Ita factum eſt, vt de multis articulis, qui erant odioſi, nulla fieret mentio, & illa tantùm reprehenderentur, quæ neq; Imperator acriter tuebatur, & quorum cordatiores etiam inter aduerſarios pudebat, ob manifeſtam abſurditatem, & de quibus cœptum erat à Luthero diſputari; atque hæc ipſa etiam capita multò parciùs & mitiùs, quàm res poſtulat, ſint expoſita. Viuunt adhuc teſtes fide digni, qui audiuerunt hunc ſermonem ex ore Illuſtriſſimorum Principum, qui tum obtulerunt Confeſſionem: Mirum eſſe, tam anxiè & vehementer vrgeri apices formulæ Auguſtanæ, quæ illo tempore eſt ſcripta, quo ſibi gratulabantur, quòd ſalua capita reportarent ex vrbe Auguſtana. Idem teſtatur Melanthon eodem loco, quo ſuperiora; cùm inquit: Sed aut aliqua Cōfeſſio exhibenda fuit, aut diſſimulatione oſtendenda deſertio eius doctrinæ, quę iam recepta erat, vt & fuerunt tunc aliqui, qui Confeſſionis pericula vitare maluerunt. *Et in præfatione Apologiæ:* Rectè poſſem longiùs abducere huius ætatis homines, ab aduerſariorum opinionibus; ſed aduerſarij ſic agunt cauſſam, vt oſtendant, ſe neque veritatem, neque concordiam quærere, ſed vt ſanguinem noſtrum exſorbeant: Et nunc ſcripſi, quàm moderatiſſimè potui: Nō delectat nos diſcordia; nec nihil nos mouemur periculo noſtro, quod quantum ſit in tanta acerbitate odiorum, quibus intelligimus

T

accenſos eſſe aduerſarios, facilè intelligimus. *Et hi ipſi Theologi huius rei teſtes ſunt, in ſua, quam ediderunt, Auguſtanæ Confeßionis hiſtoria, cùm in multis Epiſtolis Philippi & Lutheri, ex quibus patet, quàm anxia fuerit Philippi ſolicitudo, tum in deliberatione Principum & Theologorum; An plures articuli eſſent offerendi, in qua non imprudenter ſtatuunt, propter hanc cauſſam non eſſe exhibendos, quia eſſent odioſi, & toti religionis negotio poſſent impedimentum obiicere: inter quos tamen ſunt aliqui, de quibus certè neceſſaria eſt Eccleſiæ declaratio: vt, de Prouidentia, de libero arbitrio, de ſacerdotio Chriſtianorum, de primatu Papæ, de indulgentiis, de Purgatorio, de numero Sacramētorum, de politica dominatione Epiſcoporum, de electionis diuinæ cauſſa in nobis, de neceßitate confeßionis auricularis ad ſalutē.*

Patet ergo, non eam eſſe perfectionem Confeßionis Auguſtanæ, quam illi tribuũt Theologi, ac proinde in multis grauißimis quæſtionibus malè proſpectum fore Eccleſiæ, ſi ex illa ſola, tanquam regula omnis doctrinæ Eccleſiaſticæ pendendum ſit.

Contrà verò confeßiones aliæ, partim extra trepidationem & periculum, partim poſt monſtra Papatus magis detecta, & publicè traducta, liberiùs & pleniùs multò ſunt ſcriptæ, de omnibus neceſſariis doctrinæ partibus, Pontificiis erroribus opponendis: & quæ in vna omittuntur, in alia formula ſupplentur. Non ergo vna imperfectior, omnibus aliis perfectioribus & plenioribus, & cum illa coniunctis integriorem doctrinæ profeßionem conſtituentibus, anteferri poteſt, ſine manifeſta Eccleſiæ iniuria & defraudatione.

Sextò, illi ipſi, qui Confeßionem Auguſtanam ſcripſerunt, approbarunt, & ediderunt, aliqua ſubinde in ea correxerunt, addiderunt, declararunt; vt ſatis oſtendit editionum diuerſitas; denique totam retexuerunt & repetiuerunt meliori & pleniori forma; vt teſtatur præfatio Saxonicæ Cōfeßionis, quædam in ea narrari plenius: Qua quidem re ſatis ſunt teſtati, ne ſibi quidem ſatisfacere

tisfacere illam primam formulam tumultuariè collectam: tantum abeſt, vt eam omnibus aliis cõfeſſionibus, quæ ſcribi poſſent, anteferri, nedum de omnium Eccleſiarum doctrina iudicandi normam eſſe voluerint. Ac ſanè opus fuit ea correctione. Nam primæ editionis Germanicæ verba adeò fauebant Transſubſtantiationi, vt etiam Papiſtæ hanc in illis intelligendã putarint: id quod partim inde eſt factum, quia licèt eam plerīq; improbabant, non tamen audebant tunc attingere, partim quia Lutherus eam relinquebat creditu liberam, vt oſtendit liber de captiuitate Babylonica. In noſtris autem confeſſionibus non eſt, cuius adhuc quidem nos pœniteat; quod ſine inuidia dicere poſſumus, quia hoc non tam noſtrorum hominum, quàm temporum felicitati tribuimus; cùm ſcriptæ ſint pleræque noſtrorum formulæ poſt aliorum cõfeſſiones, & poſt multos doctorum virorum libros, de tota religione, & præſertim de controuerſiis horum temporum, eruditiſsimè & ſolidiſsimè ſcriptos, vnde non difficile fuit, ſyncerius & dexterius pleraq; explicare.

Septimò, ſunt quædam in Auguſtana Confeſſione & Apologia, quæ ne ipſi quidem acerrimi eius propugnatores probant aut recipiunt, neq; nos ſanè probanda aut recipienda ſimpliciter exiſtimamus. In editionis Germanicæ decimo articulo, qui eſt de Cœna Domini, dicitur, verum corpus & ſanguinem Chriſti, verè ſub ſpecie panis & vini, in Cœna eſſe præſentia. Hæc verba ſonãt, non ſubſtantiam, ſed duntaxat ſpeciem panis & vini adeſſe, & operire corpus Chriſti, latens ſub vtraq; ſpecie per concomitantiam carnis & ſanguinis. Propterea ſunt à Papiſtis acceptata, tanquam cum ſua opinione congruentia, vt teſtatur confutatio à Papiſtis opposita Confeſſioni, in hiſtoria Confeſſionis Auguſtanæ à Theologis edita. Neque tum contradixerunt autores Confeſſionis, ſiue ex metu, ſiue ex hæſitatione. Iam verò damnatur Transſubſtantiatio à Theologis in libro Concordiæ; Et in Latina Confeſſionis editione, etiã prima, VVitembergæ impreſſa anno trigeſimo, cum

Transſubſtantiatio aſſeritur in prima Cõfeſſione Auguſtana Germanica.

præfatione autorum, hæc loquendi forma ſublata eſt; & hæc repoſita: Quòd corpus & ſanguis Chriſti verè adſint & diſtribuantur veſcentibus in Cœna Domini.

Miſſa & ceremoniæ Miſſales.

In articulo de Miſſa, dicitur retineri in Eccleſiis reformatis Miſſa, & ſumma cum reuerentia celebrari, & ſeruari ferè omnes in ea vſitatas ceremonias. At Miſſæ tanquam fœdiſſimi Idoli, & rem & nomen, omnes pij & rectè inſtituti, abominantur; neque credimus, noſtros aduerſarios iam ita de ſe loqui velle, niſi qui odio noſtri ad Papiſtas potiùs ex profeſſo accedere, quàm veritati cedere volunt. Sed nec per gloſſam iſtam hîc effugiunt, Miſſæ nomen accipi pro Cœna Domini. Nam de Cœna Domini decimus articulus eſt poſitus: de Miſſa ſeorſum agitur inter articulos abuſuum. Non eſt igitur Miſſa Cœna Domini, ſed eius non tantùm abuſus, ſed peruerſio, abolitio, & contumelia ſumma.

Sic etiam ceremonias Miſſales plerique eorum abiecerunt, & potiùs quàm ad eas redirent, cùm obtruderetur liber INTERIM, *alij ſtationibus ſuis ceſſerunt, alij hoſtiliter oppugnarunt ſuadentes ceſſionem in rebus adiaphoris, tempore perſequutionis; ſicut etiam liber Concordiæ damnat illud cedendi conſilium. Si qui autem eas ſua ſponte retinent, neque à ſuis ſociis hac in re laudantur, neque videntur aut ſatis intelligere, aut ſatis auerſari idolomaniam Papiſticam, in iſta ſacroſanctæ Cœnæ cum Miſſa Pontificia conformatione. Nam quantum cœlum ab inferno, tantum Cœna Domini diſtat à Miſſa Papæ. Eſt enim Cœna Domini cœleſte conuiuium, in quo Chriſtus editur: At Miſſa Pontificia eſt infernalis vomitus, quo Chriſtus crucifigitur.*

Abſolutio.

In Apologia titulo de Num. & vſu Sacram. Dicitur abſolutio eſſe verè Sacramentum pœnitentiæ, & ritus habens mandatum Dei, & promiſſionem gratiæ. At in Catechiſmo Lutheri, in confeſſione Saxonica, & aliis cum Auguſtana confeſſione congruentibus libris, atque adeò in libro Bergenſi, tantùm duo Sacramenta traduntur, ſicut neque plura Chriſtus inſtituit. Neque abſolutio

eſt

eſt ritus ſeu Ceremonia, ſed concio ſeu annuntiatio Euangelij, ſiue ad vnum ſiue ad plures dirigatur: neq; Chriſtus aliquam ceremonialem ſingulorum ad Cœnam accedentium abſolutionem vſquã mandauit, aut ritui huic, ſi ab hominibus obſeruetur, addidit promiſsionem gratiæ, ſicut nec aliis ritibus, ordinis Eccleſiaſtici cauſſa inſtitutis ab hominibus: neq; abſolutio addita eſt promiſſioni gratiæ, ſed abſolutio eſt ipſa promiſsio gratiæ, ſiue vni ſiue pluribus annuntiata.

Titulo de vocabulis Miſſæ, dicitur, Orationem pro mortuis non prohibemus. *At nunc certè prohibent, quicunque nolunt proficiſci in Purgatorium.* Oratio pro defunctis.

De poteſtate Eccleſiaſtica dicitur, Non reprehendi donationes Principum, dominationem & priuilegia conceſſa Epiſcopis, & politiam ipſorum Canonicam. At non pauca ſunt in ipſa Apologia, quæ Epiſcopis abrogant ius gladij politici, & exemtionem à iudiciis Magiſtratuum ciuilium, & cum Canonica Epiſcoporum & miniſtrorum à Papa & Epiſcopis Papalibus, ordinatione & poteſtate, non conueniunt: neq; vel ipſi autores Confeſsionis iſta probarunt, neq; hactenus ipſorum diſcipuli, niſi fortaſſe aliqui cupiant in locum Epiſcoporum pontificiorum ſuccedere, aut oues ſuas lupis committere. Hæc verò vel iſtorum ſimilia, exiſtimamus, ex noſtrorum confeſsionibus non facilè proferri poſſe.

Octauò, etiam non deſunt in Auguſtana Confeſsione, quæ illam profitentes, non eodem ſenſu accipiunt, nec eodem modo declarãt: vt in doctrina de libero arbitrio, & de Cœna Domini eſt manifeſtum. Reipſa igitur oſtendunt, quædam in ea eſſe obſcura, imperfecta & ambigua, & declarationem requirentia, quod tamen potiùs temporum, quàm autorum culpæ tribuendum eſt. In noſtris confeſsionibus non eſt, quod nos quidem ſciamus, de cuius ſenſu vel in noſtris, vel in aliis Eccleſiis ambigatur, quia ſcapham ſcapham dicimus.

Denique, ſi hoc etiam libet conſiderare, non ad præferendas

T 3

hoc nomine noſtrorum Confeſſiones Auguſtanæ, ſed ad iudiciorũ duntaxat aſperitatem mitigandam; referunt ſe ad Confeſſionem Auguſtanam pleraq; in Germania Eccleſiæ, & quæ illi ad Septentrionem ſunt, neq; tamen ſine diſsidiis, teſte libro Concordiæ: Intereà verò Confeſſiones ſeu Confeſſionem potiùs noſtram (abſit inuidia dicto) non pauciores, nec minores, nec ſanè deteriùs conſtitutæ, nec paucioribus, doctrina, pietate, & omni virtutum genere præſtantibus viris, & ex omni ætate, ſexu & ordine fortiſſimis Chriſti martyribus, ornatæ Eccleſiæ, multorum regnorum & gentium, conſtanter & concorditer amplectuntur: quos cum multis millibus ſubſcriptorum libri Concordiæ, conferre nec iniuſtum nec indignum fuerit. Atqui in horum etiam numero fuerunt & ſunt optimi & præſtantiſsimi quiq; viri, ex Confeſſionis Auguſtanæ ſociis, vt ipſe Confeſſionis ſcriptor Philippus Melanthon, Caſpar Crucigerus, Alexãder Aleſius, Vitus Theodorus, Andreas Hyperius, & alij complures, partim nobis partim aliis noti, partim defuncti partim viui, quos quidem iſti Theologi accuſant defectionis ab Auguſtana Cõfeſſione, ſed ipſorum inficiationem nondum potuerunt refutare. Verùm non eſt noſtri conſilij, neq; moris, ſuffragiorum numero potiùs, quàm argumentorum robore certare, vt noſtri aduerſarij faciunt.

Hoc tamen pij & moderati viri cogitabunt in tot myriadibus docentium & auditorum, virtutis laudem facilè tuentium, non omnes eſſe hypocritas, non omnes ſine conſciẽtia, ſine cura & ſtudio ſalutis temporariæ atq; æternæ, ſuæ & ſuorum, non omnes adeò excæcatos, & abiectos à Deo; vt, niſi conſcientiæ inſuperabile teſtimonium, eos de veritate doctrinæ, quam profeſſi ſunt, & profitentur, conuinceret, tot periculis, contumeliis, odiis, iniuriis, direptionibus, perſequutionibus, exiliis, carceribus, ſuppliciis crudeliſsimis, propter eius Confeſſionem & aſſertionem, ſe ſuóſque obiicerent.

Hæc autem cùm de omnibus ſcriptis humanis in genere, tum de

de Auguſtana Confeſsione, neq; infra locum ſuum abijcienda, neq; ſupra eum extollenda, ideò nobis commemoranda hoc loco fuerũt, vt oſtenderemus, etiamſi verum eſſet, quod dicunt iſti Theologi, nos aduerſari Auguſtanæ Confeſsioni; non tamen propterea nos condemnari poſſe hæreſeos, dum modò Scripturæ ſacræ & Symbolis, hoc eſt, fundamentis Chriſtianiſmi, nos aduerſari non oſtenditur. Subiecta eſt enim Auguſtana, non minùs quàm aliæ Confeſsiones, cenſuræ & examini Eccleſiarum & piorum, & regulæ Apoſtolicæ: Omnia explorate, quod bonum fuerit, retinete: Non eſt æquanda Symbolis Catholicis, tanquam regula pronunciandi, quid rectum, quid prauum, quid Chriſtianum, quid hæreticum ſit; ſed duntaxat quid cum Eccleſiarum illam profitentium, ſententia & ſermone congruat. Hoc loco noſtras, hoc omnium aliorum Confeſsiones ſiue editas, ſiue edendas habemus; eodem locò ſi Auguſtanam habeamus, nulla poteſt afferri iuſta cauſa, quare id quiſquam ægrè ferre debeat. Audiant ſaltē Lutherum de hac re, immodici illi prædicatores Auguſtanæ Confeſsionis, & ſimilium ſcriptorum, ſiue publicorum, ſiue priuatorum, ſic ſcribentem, de ſeruo arbitrio contra Eraſmum: Quid poteſt Eccleſia decernere non decretũ in ſcripturis? Deinde vbi manet libertas & poteſtas iudicandi decretores illos, vt Paulus 1. Cor. 14. docet: ceteri diiudicent? Non placet tibi eſſe iudicem in decretis Eccleſiæ quod Paulus tamen præcipit. Quæ iſta noua religio & humilitas, vt nobis tuo exemplo poteſtatem adimas iudicandi decreta hominum, & ſubijcias ſine iudicio hominibus? vbi nobis hoc mandat Scriptura Dei? *Hæc ille.* 1. Theſ. 5. 21.

Quòd ſi verò hæc autoritas, ne quidem Auguſtanæ Confeſsioni competit, vt quicunq; ab ea alicubi diſſentit, cenſeri debeat hæreticus, quantò minùs ea debetur Schmalcaldicis articulis, qui ſunt à Luthero ſcripti, contra fidem datam in Concordia VVitebergenſi, & non omnibus Auguſtanæ Confeſsionis ſocijs, ac ne ipſis quidem ſubſcriptoribus omnibus ſimpliciter probati?

Quantò minùs Catechiſmis Lutheri, qui partim priuata ſcripta ſunt, partim de quorum doctrina controuertitur, quiq; non ſunt norma, ſed ſecundùm normam iudicandi? Et tandem, quantò minùs illa tribui poteſt libro Bergenſi? Nam Confeſsionis certè multò meliores fuerunt ſcriptores, multò melior eſt doctrina, multò melior conſcriptionis atq; editionis fuit modus, quàm ſunt huius libri.

Nota. *Et cùm normam fidei ac doctrinæ omnibus orthodoxis Eccleſiis velint proponere; cur omiſsis Epheſinæ & Chalcedonēſis Synodi probatiſsimis & Catholicis fidei cōfeſsionibus, articulos Schmalcaldicos, Catechiſmos Lutheri, librum Bergenſem ſubſtituunt?*

Nemini obſcura cauſſa eſt, quia illæ non congruebant ad normam vbiquitariam, aduerſabantur Neſtorianæ ſolutioni perſonæ, & Eutychianæ confuſioni naturarum in Chriſto.

Capvt V.

De vera ſententia Confeſſionis Auguſtanæ.

HActenvs *de prima reſponſione diximus ad argumentum Theologorum, nos prætextu Auguſtanæ Confeſsionis damnantium; quòd videlicet neq; nos, neque quiſquam cum Scriptura & ſymbolis per omnia conſentiens, propter diſſenſionem ab Auguſtana vel alia Confeſsione, damnari hæreſeos poſsit. Nunc etiam de ſecunda reſponſione quam promiſimus, nobis eſt dicendum; nimirum, quòd ne illud quidem verè nobis ab aduerſariis noſtris obiiciatur, noſtras Confeſsiones cum Auguſtana Confeſsione pugnare: quæ nobis tertium argumentum ſuppeditat, quod iniuſtis ipſorum anathematiſmis opponimus.*

Aſſeuerat enim liber Concordiæ, aſſeuerant omnes Eccleſiæ Confeſsionem Auguſtanam agnoſcentes, quicunque cum illa conſentiunt, eos non eſſe hæreticos, ſed veræ Chriſti Eccleſiæ membra: At liber iſte condemnat nos, quorum doctrina Confeſsioni Auguſtanæ, non detortæ & perperam expoſitæ, nequaquam aduerſatur. Iniquiſsima eſt igitur hæc Theologorum aduerſus nos ſententia; ab omnibus ſanis explodenda eſt, vt quæ ipſa ſe euertit, dum illos condemnat, quos abſoluendos ſtatuit; omnibus Auguſtanæ Confeſsionis Eccleſiis intolerabilis eſt, cùm illos condemnet, qui Confeſsionis Auguſtanæ doctrinam multò veriùs & rectiùs profitentur, quàm liber Bergenſis eam interpretatur.

Porrò quòd nobis non cum Auguſtana Confeſsione, ſed cum quibuſdam Theologis, eam malè interpretantibus, ſit diſsidium, ſæpe à noſtris eſt oſtenſum, & tam facilè ſolidéq; oſtendi poteſt, vt ab aduerſariis hactenus ne tentata quidem ſit refutatio, vtpote

quam adeò deſperatam eſſe vident, vt ne colorem quidem eius, vllis ſophiſmatum præſtigiis, queant oculis hominum obiicere; ideoq́ non meliùs, quàm ſilentio, & ſcriptorum, hoc apertiſſimè confirmantium oppreſſione, ſe tegere hoc ſuum vulnus poſſe exiſtiment. Poſſemus ad illa ſcripta noſtrorum remittere lectores: Veruntamen, vt res magis in conſpectu ſit, & in plurium manus, oculos & conſiderationem perueniat, etiam hoc loco eam, quàm poſſumus, breuiſſimè repetemus. Sed antequam ad rem accedamus, pauca quædam nobis ſunt præmonenda.

Primùm, apud omnes Eccleſias proteſtamur, nos non ideò contẽdere, Confeſſionẽ Auguſt. nobis non aduerſari, vt noſtræ doctrinæ confirmationẽ, in cõſenſu ſeu patrocinio illius ponamus, aut illius prætextu eam hominibus venditemus ſeu obtrudamus, vt de nobis fingunt hi Theologi. Dei enim beneficio, melioribus fundamentis nititur fides & Confeſſio noſtra, quàm vt hominum teſtimoniis, aut præſidiis, nedum aſſimulata cum illis cõſenſione indigeat. Itaque non eſt nobis anxiè laborandum, an Auguſtana Cõfeſſio à nobis ſtet, nec ne, dum modò certi ſumus, à nobis ſtare Confeſſionem Prophetarum & Apoſtolorũ: Cum hac ſi conſentiamus, liberum nobis eſt ab Auguſtana, & ab omnium hominum confeſſionibus diſſentire. Quòd autem de Confeſſionis Auguſtanæ vera ſententia admonemus, id propter duas potiſſimùm cauſſas facimus: videlicet vt noſtra innocentia, & iniquitas Anathematiſtarum magis appareat, qui nos contra ſuam ipſorum legem condemnant, qui Confeſſioni Auguſtanæ non aduerſamur: & piis hominibus in Eccleſiis Germanicis, quos iſti clamoribus de Auguſtanæ Confeſſionis autoritate, & noſtra ab illa diſſenſione faſcinant, & à nobis alienant, hoc etiam ad veritatem inquirendam impedimentum amoueamus, cùm id veris rationibus nos facere poſſe videamus, ac propterea Deo & Eccleſiæ, & præſertim illis, quos miſerè à ſuis iſtis Theologis decipi videmus, hoc etiam officium nos debere exiſtimemus.

Secundò,

Secundò, repetimus hîc etiam, quod ſuprà diximus, de conſenſu Auguſtanæ & noſtrarum Confeſſionum in omnibus Chriſtianæ religionis articulis, ſine controuerſia conſtare, præterquàm de duobus, nempe de Perſona & Cœna Chriſti. Neq; enim diſſimularent noſtri Antagoniſtæ, ſi quid præterea poſſent corradere, quod ad cumulandam nobis inuidiam facturum ſperarent, qui plauſtris calumniarum nos onerarunt, quas ſuprà recenſuimus.

Tertiò, profitemur, de perſona Chriſti, nos nihil ab Auguſtana Confeſſione diuerſum docere, vt nouam iſtam litem, ne quidem vllo prætextu Auguſtanæ Confeſſionis, poſſint nobis Theologi intendere. Proferant enim nobis, ſi poſſunt, vnum apicem Cõfeſſionis Auguſtanæ, qui VBIQVITATEM *corporis Chriſti doceat aut confirmet; & eam fauere ſibi euicerint. Noſtram verò eam eſſe, in hoc capite doctrinæ, verba ipſius teſtantur. Sic habet tertius articulus in Confeſſione:* Item docent, quòd Verbum, hoc eſt, Filius Dei, aſſumſerit humanam naturam in vtero beatæ Mariæ virginis, vt ſint duæ naturæ, diuina & humana, in vnitate perſonæ inſeparabiliter cõiũctæ, vnus Chriſtus, verè Deus, & verè homo, natus ex Maria virgine, verè paſſus, crucifixus, mortuus & ſepultus, vt reconciliaret nobis Patrem, & hoſtia eſſet non tantùm pro culpa originis, ſed etiam pro omnibus actualibus hominum peccatis. Idem deſcendit ad inferos, & verè reſurrexit tertia die; deinde aſcendit ad cœlos, vt ſedeat ad dexteram Patris, & perpetuò regnet ac dominetur omnibus creaturis, ſanctificet credentes in ipſum, miſſo in corda eorum Spiritu ſancto, qui regat, conſoletur, ac viuificet eos, ac defendat aduerſus Diabolum & vim peccati. Idem Chriſtus palàm eſt rediturus, vt iudicet viuos & mortuos &c. iuxta Symbolum Apoſtolorum. *Et in Apologia:* Tertium articulum probant aduerſarij, in quo confitemur duas in Chriſto naturas, videlicet, naturam humanam aſſumtam à Verbo, in vnitatẽ

De perſona Chriſti Auguſtanæ Cõfeſſionis & Apologiæ doctrina.

perſonæ ſuæ &c. iuxta Symbolum Apoſtolorum, & Symbolum Nicenum.

Vbiquitarium dogma ex Auguſtanæ Cōfeſſionis & Apologiæ verbis refellitur.

Dicitur hîc Deus Verbum, aſſumſiſſe naturam humanam in vtero virginis. Λόγος igitur vbique exiſtens vnitus eſt humanitati non exiſtenti vbique, ſed tantùm in vtero materno: Et vbicunq; fuit λόγος, vnitus fuit humanitati, etiam non vbiq; exiſtēti. vnio ergo perſonalis non requirit vbiquitatem carnis.

Dicuntur duæ naturæ eſſe vnus Chriſtus: Ergo proprietates eſſentiales naturarum realiter diſtinctæ manent: alioqui non eſſent naturæ duæ; ſed vel vna vel duæ ſubſtantiæ, aut ſubſtantiæ partes, quæ ſint eiuſdem naturæ.

Dicuntur hæ duæ naturæ in vnitate perſonæ inſeparabiliter coniunctæ. Ergo vnitas perſonæ conſtituitur in naturarum inſeparabili coniunctione, ad conſtituendam vnius perſonæ Chriſti ſubſtantiam; non autem in reali & mutua communicatione Idiomatum.

Dicitur vnus Chriſtus verè Deus & verè homo: Ergo manet vnitas perſonæ, etiamſi Deitati non ſint realiter communicatæ proprietates humanæ: Sic enim Chriſtus non eſſet verè Deus: nec humanitati ſint realiter communicatæ proprietates diuinæ: ſic enim non eſſet verè homo.

Dicitur verè homo natus ex Maria virgine: Si verè natus eſt, ergo natura ipſius humana ante natiuitatem non fuit extra, & poſt natiuitatem non manſit intra vterum, hoc eſt, non fuit incircunſcripta & vbiq;.

Dicitur verè paſſus, crucifixus, mortuus & ſepultus; non igitur tantùm fuit in vno loco patiens, in cruce pendens, mortuus & ſepultus, in aliis autem omnibus, non patiens, non crucifixus, non mortuus, non ſepultus, ſed æquali cum Deitate ſua gloria, ſecundùm naturam humanam fruens, nec paſſus, crucifixus, mortuus & ſepultus eſt vbiq;, niſi etiam crucem, & ſepulcrum, & crucifigentes, & ſepelientes eum dicat quis vbiq; in cœlo & in terra fuiſſe,

fuiſſe, aut vno loco in cruce & ſepulcro, in aliis autem omnibus locis ſine cruce & ſepulcro, crucifixum & ſepultum fuiſſe: Non item fuit anima ipſius in corpore mortuo, niſi quis dicat, ſine vera & locali ſeparatione animæ & corporis eum fuiſſe mortuũ; quod an ſit verè mori, illi viderint, qui animam & corpus Chriſti à Deitate ſeparari dicunt, niſi ſint vbique, ſecundùm modum dextræ Dei, hoc eſt, ſecundùm modum Deitatis. Et quanquam ſic λόγος eſt factus verus homo, vt ſemper manſerit verus Deus; tamen dicitur Deus natus ex virgine, paſſus, crucifixus, mortuus & ſepultus, quorum nihil in Deitatem poteſt cadere.

Dicitur ideò paſſus & mortuus pro nobis Deus, vt morte ſua nobis reconciliaret Deum, & eſſet hoſtia pro omnibus hominum peccatis: Ergo, vt ſufficiens eſſet victima pro peccatis, oportuit pro nobis talem hominem pati ſecundùm humanitatem ſuam, qui ſimul eſſet Deus, non patiens & moriẽs, ſed omnipotentia ſua ſuſtentans & reſuſcitans naturam ſuam humanam.

Dicitur idem Chriſtus Deus & homo verè reſurrexiſſe à mortuis, aſcendiſſe in cælum, & inde rediturus ad iudicandum: Ergo humanitas ipſius ante reſurrectionem non fuit extra, & poſt eam non manſit intra ſepulcrum, nec viſibiliter nec inuiſibiliter, & poſtquam viſibiliter in cælum ſublata eſt, non manſit inuiſibiliter in terra, vel in omnibus locis eſſe cœpit: Sic enim non verè aſcendiſſet: nec humanitas nunc eſt in terra, antequàm redeat, ſicut neque manebit in cælo, poſtquam de cælo deſcenderit: Sic enim non verè, ſed apparenter duntaxat aſcendiſſet, & rurſus deſcenderet.

Dicitur non inde à puncto cõceptionis, ſed deinde, hoc eſt, poſtquàm mortuus & reſuſcitatus eſſet, in cælum aſcendiſſe, vt ſederet ad dexteram Patris: Ergo ſecundùm naturam humanam nõ habuit humilitatis tempore occultam gloriam illam carnis ſuæ, quam in exaltatione ſua accepit manifeſtam.

Dicitur aſcendiſſe in cælum, vt ſederet ad dexteram Patris. Si

ergo adſeßionem à dextris Patris, requirebatur aſcenſio in cœlum, vtiq; non priùs ſecundùm naturam humanam, ſecundùm quam ſolam aſcendit, cùm Deitas neq; aſcendat neq; deſcendat, ſedebat ad dexteram Patris, hoc eſt, fruebatur cœleſti & diuina gloria, quàm in cœlum aſcendiſſet: Et iam ſic ſedet ad dexteram Patris, vt tamen natura humana non vbique, ſed in cœlo verſetur: Et, ſi aſcendit in hunc finem, vt ſederet ad dexteram Patris, non ergo eſt idem in cœlum aſcendere, quod nobis erit cum ipſo commune, & ſedere ad dexteram Patris, quod ſolius Chriſti eſt proprium.

Sic deſcribitur ſeßio Chriſti hominis ad dexteram Patris, quòd perpetuò regnet & dominetur omnibus creaturis, ſanctificet credentes in ipſum, miſſo in corda eorum Spiritu ſancto, qui regat, conſoletur, & viuificet eos, ac defendat aduerſus Diabolum ac vim peccati. In hac deſcriptione ſeßionis ad dexteram, nulla fit mentio VBIQVITATIS, *aut omnipotentiæ corporis, ſiue naturæ humanæ Chriſti, neque vllius rei, ad quam corporis vbiquitas requiratur.*

Homo iſte dicitur mittere Spiritum ſanctum, quod ſecundùm naturam humanam ei competere nequaquam poteſt, ſed ſecundùm ſolam Deitatem, quæ ſola poteſt per Spiritum ſuum operari, tàm in natura à ſe aſſumta, quàm in Angelis & hominibus ſanctis. Et per hunc Spiritum dicitur iſte homo credentes ſanctificare, regere, conſolari, viuificare ac defendere contra Diabolum, & vim peccati: Ergo per Deitatem ſuam; quia non humanitas, ſed Deitas Chriſti per Spiritum ſanctum operari poteſt, etſi ſciẽte & volente hoc ſimul ſua humanitate & Deitate.

Dicitur Spiritu ſancto miſſo in corda credentium, eos ſanctificare & viuificare: Ergo non per corporis ſubſtantiam intra ipſorum corpora exiſtentem, ſed per eundem Spiritum in ipſis habitat, eos ſibi vnit, vt ex ipſo tanquam membra ex capite, eandem ſanctitatem, vitam & gloriam hauriant, quæ eſt in capite.

Dicitur hic homo Chriſtus, palàm rediturus ad iudicandũ: veniet

niet autē & videbitur omniū oculis, ſedēs à dextris virtutis Dei. Ergo humana Chriſti natura, etiam à dextris Dei ſedens, eſt viſibilis & circunſcripta: quod enim inuiſibile & incircunſcriptum eſt, id videri oculis corporis non poteſt.

Act. 7. 56. Video cœlos apertos, & Filium hominis ſtantem à dextris Dei.

Refert ſe Confeſſio & Apologia ad ſymbola, Apoſtolicum & Nicenum: ad hæc autem refert ſe Confeſſio Chalcedonenſis. Nihil igitur extra hæc volunt ſuis verbis à quoquam affingi.

Probarunt hunc articulum Confeſſionis de duabus naturis in Chriſto, Pontificij. At ſi Vbiquitatem corporis oluiſſet, haud dubiè non magis eum probaſſent, quàm nunc horum Theologorum dogma Vbiquitarium probant, quod ſcriptis publicis non minùs acriter, quàm quiſquam noſtrum, oppugnarunt & inſectati ſunt. Nec ſanè potuiſſet illis temporibus offerri plauſibilior cauſſa aduerſariis, ad ſocios Auguſtanæ Confeſſionis opprimendos & pudefaciendos coram omni mundo, quàm ſi iſtius monſtroſi & inauditi dogmatis vlla præbita fuiſſet ſuſpicio.

Cum Confeſſione conſentiunt authenticæ, & ab omnibus Auguſtanæ Confeſſionis Eccleſiis probatæ, ab iſtis autem Theologis reprobatæ, ſed nunquam refutatæ, eius declarationes.

Sic in Locis communibus dicitur: Nam etſi natura diuina non laceratur, non moritur; tamen ſcias, verè hunc ipſum Filium coæternum Patri redemtorem eſſe. Ideò traduntur regulæ in hac doctrina de communicatione Idiomatum, id eſt, de prædicatione proprietatum, quæ de vtraque natura communiter, ſed in concreto dicuntur, videlicet, vt intelligantur proprietates perſonæ tribui. Hæc propoſitio non eſt vera, Natura diuina eſt humana: ſed hæc eſt vera: Deus eſt homo, Verbū eſt homo, Chriſtus eſt homo, Chriſtus eſt Deus, Deus eſt natus ex virgine, paſſus &c. Quia hęc perſona, in qua, vnione perſonali vnita eſt humanæ naturæ diuina, naſcitur, crucifigitur. Hanc loquendi formam in concreto, vocant communicationem Idiomatum, id

Communicatio Idiomatū.

eſt, prædicationem, in qua proprietates naturarum perſonæ rectè attribuuntur, vt Filius Dei ſit redemtor, non tantùm natura humana ſit redemtrix.

Sic in Examine: Deus eſt vulneratus, Deus eſt mortuus; Hæ propoſitiones veræ ſunt, communicatione Idiomatum. Eſt autem communicatio Idiomatum, prædicatio, in qua proprietas vni naturæ conueniens, tribuitur perſonæ in concreto, quia hæ duæ naturæ λόγος & natura aſſumta ſunt vnum ὑφιστάμενον.

Hîc ſurdi ſunt Vbiquitarij.

Et in articulis Bauaricis: Accuratè refutarunt Eutychen Theodoretus & Vigilius Martyr. Et vetera dicta opponantur Schvvenkfeldij, & aliorum clamoribus, qui audacter ſimilia ſpargunt Eutychianis, & delent doctrinam de communicatione Idiomatum. In his quorundam tanta eſt petulantia, vt fingant duplicem communicationem Idiomatum, aliam Dialecticam, aliam Phyſicam, quæ eſt confuſio naturarum.

Hæc fuit hactenus omnium Eccleſiarum conſenſu vera & Orthodoxa Auguſtanæ Confeſſionis ſententia. Iam autem recens cœpit eſſe hæretica. Ideò neceſſe habuerũt noui iſti Theologi prius exautorare hæc ſcripta, quàm in Confeſſionem Auguſtanam inferre ſuam Vbiquitatem corporis Chriſti tentarent. Sed tamen res illis ne hoc quidem modo ſuccedet.

Nec Lutherus ipſe, extra feruorem contentionis Sacramentariæ, aliter de perſona Chriſti, diſtinctione naturarum & communicatione Idiomatum ſcripſit.

Lutheri de communicatione Idiomatũ ſententia.

In libro de vltimis verbis Dauidis inquit: Sed à momento illo quo Deitas & humanitas vnitæ ſunt in vna perſona, homo iſte Mariæ filius, eſt & nominatur omnipotens, æternus Deus, potentiam æternam habens, omnium creator & conſeruator, per cõmunicationẽ Idiomatum, propterea quòd vna cum Deitate perſona, atq; adeò verus Deus eſt.

Et

Et in eodem libro: Sicut duæ naturæ in vnam perſonam vniuntur; ſic vniuntur etiam nomina vtriuſque naturæ, in nomen vnius perſonæ, id quod nominatur communicatio Idiomatum vel proprietatum: vt, homo dicitur & eſt natus ex virgine Maria, & à Iudæis crucifixus: Idem nomen debet etiam tribui Filio Dei, & dici, Deus eſt natus ex Maria, & crucifixus à Iudæis: Quia Deus & homo eſt vna perſona, & non duo Filij, alter Dei alter Mariæ, ſed vnus idémque eſt Filius Dei & Mariæ.

Quin etiam extant libri horum Theologorum, quibus vbiquitatem corporis Chriſti non minùs improbarunt, quàm nos improbamus, & tanquam atroci contumelia affecti, grauiſſimè cum illis expoſtularunt, qui hoc dogma ipſis tribuerent. Quòd autem nunc veterem ſuam doctrinam retractant, eius nos quidem cauſſam nullam adhuc videre potuimus, niſi quòd aſſentari maluerūt ſuis ſociis, qui ſine vbiquitate, manducationem oralem corporis Chriſti ſe tueri non poſſe profitentur, quàm ab illis expectare ſimilia eorum, quæ alis Vbiquitatis detrectatoribus, illorum artibus accidêre.

Ex his luce meridiana clariùs eſt, nos de perſona Chriſti, nihil ab Auguſtana Confeſſione alienum docere vel docuiſſe vnquam, quicquid fingant & dicant omnes Sophiſtæ, nec poſſe detorqueri Auguſtanam Confeſſionem ad corpus Chriſti inuiſibile & vbiquitarium, ſine manifeſta impudentia.

Reſtat igitur ſolum caput doctrinæ de Cœna Domini, de qua conſiderandum eſt, an tantum ſit inter Auguſtanam & noſtras Confeſſiones diſſidium, quantum volunt Theologi. Ne autem de ipſa quæſtione aut aſſertione noſtra quiſquam erret, hoc inſtituimus demonſtrare, quòd in Auguſtana Confeſſione & Apologia nō quidem expreſſè & diſertè noſtra de Cœna Domini ſententia probetur, & contraria reiiciatur, (hoc enim non erat illius temporis) ſed in ea tamen nihil contineatur, quod noſtram doctrinam De ſacra Cœna Domini Auguſt. Confeſſionis & Apologiæ doctrina.

euertat, ea verò aſſerantur fundamenta, quibus hæc euidenter ſtabilitur.

Duplicia enim in ea de Cœna Domini loca inſunt: alia propter breuitatem & ambiguitatem obſcura ſunt, quæ rectè intellecta, noſtram doctrinam non lædunt, & à nobis facilè admittuntur: alia ſunt explicata, propria & perſpicua, à quibus tantum abeſt, vt diſſentiamus, vt aliis fundamentis, ad noſtram doctrinam confirmandam, & contrariam euertendam, nobis non ſit opus. Si igitur obſcura per clara, conciſa per integra, ambigua per propria exponantur, ſicut fieri oportet, omnium ſanorum & bonorum iudicio, nihil amplius reſtabit, quod Auguſtanam & noſtras Confeſſiones diſiungat. Videamus ergo Confeſſionis & Apologiæ doctrinam de ſacra Cœna, primùm ex ipſius verbis, deinde ex legitimis atque authenticis eius interpretationibus.

Demonſtratum eſt paulò antè, nullum in Confeſſione Auguſtana locum relinqui nouo dogmati de vbiquitate corporis Chriſti. At ſæpe & vehementer aſſeuerant Theologi iſti conciliatores diſcordiarum, in ſuis libris, non poſſe abſque hac, quam ipſi propterea excogitarunt & defendunt, Vbiquitate, conſiſtere dogma de orali manducatione corporis Chriſti; & qui Vbiquitatem non confitetur, eum intus & in fundamento nobiſcum facere, quicquid de Chriſti præſentia corporali prædicet. Ex ipſorum igitur Confeſſione & iudicio, noſtra eſt Auguſtana Confeſſio, donec ipſi nobis vbiquitatem corporis Chriſti in ea fictam aut pictam commonſtrent.

Dicent fortaſſe, etſi nunquam expreſſè doceatur; tamen latenter & implicitè ſeu per conſequentiam comprehenditur, in orali manducatione, & corporali præſentia corporis Chriſti.

Vbiquitas non docetur, ſed refutatur in Confeſſ. Auguſt.

Duo reſpondemus. Primum: Non tantùm non traditur Vbiquitas in Confeſſione, ſed etiam refutatur, vt oſtenſum eſt per III. *articulum, qui cum ea ex diametro pugnat. Alterum: Nulla fit mentio corporalis præſentiæ, & oralis manducationis. Verba articuli*

ticuli decimi in editione Confeſſionis emendata, hæc ſunt: De Cœna Domini docent, quòd cum pane & vino verè exhibeantur corpus & ſanguis Chriſti veſcentibus in Cœna Domini. *Hic nihil eſt, quod non credamus & profiteamur, modò nõ deprauētur verba, interpretationibus Sophiſticis, quod videmus accidere etiam rectiſſimè dictis, atq; adeò ipſi verbo Dei. Nam certè exhibet, hoc eſt, offert omnibus, & manducandum præbet nobis atq; communicat Chriſtus verum corpus & verum ſanguinem ſuum pro nobis traditum & effuſum, vnà cum ſymbolis viſibilibus, pane & vino, non quidem loco, ſed tempore coniungens, & ſimul dans nobis, ſymbola, miniſtrorum, corpus & ſanguinem ſuum, ſua ipſius manu, hoc eſt, Spiritus ſui virtute, per ſymbola efficacis, & fidem accendentis in cordibus; Idq; facit in omni vſu Sacramenti legitimo & à ſe inſtituto. Non enim ludit Chriſtus ſuos fideles, neq; verbo neq; ſignis promiſſionum ſuarum, ſed veriſſimè præſtat, quod in iis promittit & ſignificat. Ideò exiſtimamus rectiſſimè dici: Corpus & ſanguinem Chriſti verè eſſe præſentia, & verè ſumi & manducari,* IN COENA, *ſed non* IN PANE. *Eſt enim corpus Chriſti præſens in Cœna, hoc eſt, in ritu, actione, ſumtione illa, etſi in cœlo ſe contineat, & non deſcendat in panem, aut locum, in quo panis eſt. Sic & ſanguis Chriſti eſt præſens nobis, & abluit ac mundat nos in Baptiſmo, etiamſi non ſit in aqua, ſed in corpore Chriſti, degente in cœlo. Item illud; quòd exhibeatur verè, hoc eſt, non tantùm Sacramentotenus, ſeu oblatione, ſed etiam reipſa & ſignificata & viuifica communicatione, veſcentibus in Cœna Domini, hoc eſt, legitimè vſurpantibus hanc Cœnam, ſecundùm Chriſti præceptum. Hoc autem faciunt ſoli fideles, commemorantes mortem Domini. His ergo ſolis iſte ritus eſt verè Cœna Domini, quantum ad ipſos, & perceptionem cibi cœleſtis attinet. Infidelibus autem non eſt inſtitutus à Chriſto, & illis ne quidem Sacramenti aut Cœnæ Domini rationem habet, ſicut expreſſè loquitur Paulus de abuſu Cœnæ:* Cùm con- 1. Cor. 11. 20.

uenitis, non eſt inter vos Cœnæ Dominicæ manducatio. *Nihil eſt ergo hîc, quod nos lædat, vel offendat; nihil etiam, quod illos iuuet.*

At dicunt, nos perperàm verba interpretari: Exhibitionem cum pane & vino, ſignificare coniunctionem ſubſtantiæ corporis cum pane, & ſanguinis cum vino in eodem loco, & ingreſſum cum pane & vino in ora hominum, & quidem ſine diſcrimine omniũ hunc panem & hoc vinum ſumentium.

Nos verò non à verbis Confeſsionis, ſed ab iſtorum ſententia diſſentimus, quam illi verbis tribuũt, non autẽ ex verbis elicere poſſunt. Nam omnibus Sacramẽtis hoc eſt cõmune, quòd Deus in vſu eorum legitimo, verè vnà cum ſignis exhibet ac dat res ſignificatas. Niſi enim hoc ambabus manib⁹ amplecteremur, quomodo poſſemus docere, Sacramenta eſſe ſigna exhibitiua, per qua Deus nobis exhibet ſuam gratiã: idq́; præcipuam & propriam eſſe Sacramentorum rationem, qua à ſacrificiis, & aliis ritibus, vel ſignis differunt? Cum aqua nobis exhibet Chriſtus ſanguinem & Spiritum ſuum, quo mundamur à peccatis: Cum Circuncisione, cum ſacrificiis exhibebat Deus remiſsionem peccatorum propter futuram Chriſti victimam. Et tamen nemo vnquam propterea finxit in his localem coniunctionem ſignorum & rerum. Cur igitur à Sacramentis alieniſsimo ſenſu acciperemus Confeſsionem, de Cœna, eodem, quo de aliis Sacramentis, modo loquentem?

Sed vnde probant hunc ſenſum decimi articuli, quem ipſi cõminiſcuntur? Ad primam editionem, ſeu verba Confeſsionis, quæ primùm Carolo Imperatori Auguſtæ oblata ſunt, nos ablegant. Hac probatione multis modis cauſſam ſuam labefactant.

Rat. 1. *Nos certè primam Confeſsionem illam iuſtiſsimè habendam eſſe exiſtimamus, quæ prima omnium anno* XXXI. *ſtatim poſtquàm exhibita fuit, à Theologis ipſis, & à Luthero, de voluntate Principum, VVitebergæ eſt edita & publicata, cum ipſorũ ad Lectores epiſtola, cuius hæc ſunt verba:* Hæc Confeſſio prorſus

igno-

ignorantibus Principibus, qui eam Cæſari exhibuerunt, ab auaro aliquo Typographo, ante ſemeſtre publicata eſt: Et ita excuſa eſt, vt multis in locis appareat de induſtria deprauatam eſſe. Cùm autem Principes, nec ſi velint, queant eam nunc è manibus hominum extorquere, & tamen periculum ſit, ne mendæ illæ primæ editionis, pariant nouas calumnias; neceſſe fuit recognitam & emendatam denuò edere, quia non ſolùm ad exiſtimationem Principum, ſed etiam ad Religionem pertinet, præſtare, ne ipſorum titulis ſpargantur in vulgus huius generis mendoſa ſcripta. Quare nunc emittimus probè & diligenter deſcriptam Confeſſionē ex exemplari bonæ fidei. *Hæc illi Theologi veteres de prima editione. Quid his reſpondent iſti noui? Arguent illos falſi? an illis non erit authenticum exemplar, quod Principum & Theologorum autoritate, conſenſu, diligentia, fide & approbatione eſt editum? An huic præferēt exemplar ante hoc ſparſum, quod autores Confeſſionis teſtantur fuiſſe mendoſum & deprauatum? Aequûmne eſt, illis an his magis nos credere?*

Sed agè, audiamus verba illius primæ editionis VVitebergenſis. De Cœna Domini docent, quòd corpus & ſanguis Chriſti verè adſint & diſtribuantur veſcentibus in Cœna Domini: Et improbant ſecùs docentes. *Sed neq; in his verbis, tametſi breuibus, ambiguis propter generalitatē, & obſcuris, aliquid eſt, quod nobis aduerſetur. Nō enim negamus Chriſti corpus verè* ADESSE IN SVA COENA. *Sed hinc non ſequitur, illud eſſe in* PANE, *aut in loco, quo eſt panis. Neq; nō adeſt* VERE, *quod adeſt ſecundùm promiſſiones diuinas, nobis operatione Spiritus ſancti communicatum & vnitum. Neq; adeſt, vel cōmunicatur in abuſu Cœnæ, ſicut in Cœna, quæ verè Domini Cœna eſt.* DISTRIBVITVR *etiam veſcentibus (diſtribuendi verbo, quod in partes diuiſionem ſignificat, à Sacramento ad rem tranſlato) dum ſua vnicuique panis particula data, ſingulis totus & idem Chriſtus*

communicatur. Secus *docentes improbant: Imo certè & nos improbamus, non minùs quàm illi.*

Quid ergo hinc accedit noſtris accuſatoribus? Quis concedet illis, verè adeſſe Chriſtum in ſua cœna, idem eſſe, quod corporaliter adeſſe In vel Sub pane, vel in loco panis? Et, diſtribui veſcentibus in cœna Domini, idem eſſe, quod corpus Chriſti in ſingulorum veſcentium, fidelium & infidelium ora vel corpora, vnà cum pane tradi & recipi? Aut vbi quicquam iſtorum eſt in confeſſione? Dicentne, non ſic fuiſſe ſcriptum in Archetypo? Ergo falſi arguunt Lutherum & omnes Theologos, qui affirmant, ſe emittere Confeſſionem ex bona fidei exemplari: Aut ſi fuit aliter ſcriptum, ſaltem hoc obtinemus, Theologos in prima ſtatim authentica publicatione, verborum ſuorum improprietatem vidiſſe & correxiſſe, atque hac ipſa correctione, priora aboleuiſſe: præſertim cùm ſatis oſtendant, ſe & Principes cupiuiſſe prius exemplar, ſi potuiſſent, rurſus extorquere ex manibus hominum.

Si confugiant hîc ad primam editionem Germanicam, in qua ſic habent verba: De cœna Domini ſic docetur, quòd verum corpus & ſanguis Chriſti, verè ſub ſpecie panis & vini, adſit in cœna Domini, & in ea diſtribuatur & ſumatur: quarē & contraria doctrina reiicitur: *Iam reſponderunt pro nobis Autores Confeſſionis, qui ſtatim in prima ſua editione hanc formam verborum ſuſtulerunt, atque ita autoritatem ei abrogarunt. Licet igitur omnibus hæc verba Germanici exemplaris reijcere, non reiecta Confeſſionis vera ſententia: niſi dicant, illos tùm, quando hæc verba in editione Latina mutarunt, Confeſſionē ſuam abieciſſe. Sed etiam his verbis Confeſſionis, ſi non ſecundùm abſurdas contentioſorum hominum, & Eccleſiarum pacem turbantium, gloſſas, ſed ſecundùm ſequentes ipſius Confeſſionis & Apologiæ interpretationes accipiantur, non tollitur noſter cum Auguſtana Confeſſione conſenſus. Nam etiam*

apud

apud Patres non rarò occurrunt iſtæ phraſes, In vel Sub ſymbolis Sacramentorum viſibilibus eſſe & percipi res inuiſibiles: ſed ita vſurpata & declarata apud eoſdem, vt nulla relinquatur dubitatio, de rerum cœleſtium & ſpiritualium ſignificatione & intellectione per ſigna terrena & corporalia, Patres loqui. Sic non rarò verba occultandi, tegendi, & ſimilia, vſurpantur de ſignificatione rei arcanæ & latentis per viſibilem, imò etiam de notatione rerum, de quibus ſermo eſt, per verba. Sic Auguſtinus: Caro enim eſt, quam forma panis opertam in Sacramẽto accipimus: & ſanguis eius, quem ſub vini ſpecie & ſapore potamus: Caro videlicet carnis, & ſanguis Sacramentum eſt ſanguinis: Carne & ſanguine vtroque inuiſibili, ſpirituali & intelligibili, ſignatur ſpirituale Domini noſtri Ieſu Chriſti corpus palpabile, plenum gratia omnium virtutum, & diuina Maieſtate: Sicut ergo cœleſtis panis, qui caro Chriſti eſt, ſuo modo vocatur corpus Chriſti, cùm reuerà ſit Sacramentum corporis Chriſti, illius videlicet, quod viſibile, quod palpabile, quod mortale in cruce poſitum eſt, vocaturque ipſa immolatio carnis, quæ Sacerdotis manibus fit, Chriſti paſſio, mors, crucifixio, non rei veritate, ſed ſignificante myſterio: ſic Sacramentum fidei (quod Baptiſmus intelligitur) fides eſt. *Hæc Auguſtini verba in Decretis citantur ad probandam Transſubſtantiationem. An verò nos ideò reiiciemus ea, quia in ſententiam alienam detorquentur à Papiſtis? Atqui nihil continent à veritate & doctrina noſtra alienum. Carnem forma panis opertam in Sacramento accipi, ſanguinem ſub ſpecie & ſapore vini potari, eſt carnem & ſanguinem Sacramento, id eſt, Symbolo viſibili ſignificatum, repræſentatum accipere: Ideò dicit, Carnem & ſanguinem vocari id etiam, quod non ipſa caro & ſanguis, non ſubſtantia, ſed Sacramẽtum eſt carnis & ſanguinis; ideoq́; eſt caro inuiſibilis & ſpiritualis, & intelligibilis, quia ſignatur ſeu ſignificatur & intelligitur per iſtas res*

Sentent. Proſper. De cõſec. diſt. 2.

viſibiles, ille cibus & potus inuiſibilis & ſpiritualis, videlicet, corpus Chriſti, quod etſi à nobis nunc non videtur; tamen in cœlo eſt viſibile, ſenſile, palpabile, ac proinde circunſcriptum, non obſtante plenitudine gratiæ & omnium virtutum, & diuina Maieſtate: Idē panis viſibilis, eſt & vocatur panis cœleſtis, hoc eſt, caro ſeu corpus Chriſti, ſuo modo, videlicet, Sacramentali; non quia caro inuiſibilis ſit ſubſtantialiter iſte panis, vel in iſto pane, ſed quia Sacramentaliter, ſeu ſignificatiuè eſt illud ipſum viſibile, palpabile Chriſti corpus, quod in cruce mortuum eſt: Sic enim dicit panem eſſe corpus & vinum ſanguinem, ſicut fractio panis, & ſeparatio vini à pane fracto, eſt vulneratio corporis, & effuſio ſanguinis ex vulnerato corpore Chriſti in cruce; nempe non rei veritate, ſed ſignificante myſterio, id eſt, nō quia reipſa ſit paſsio Chriſti, ſed quia ſignificat eam. Ergo ſecundùm Auguſtinum, etiam panis & vinum ſunt corpus & ſanguis Chriſti, non rei veritate, ſed ſignificante myſterio; & ſumtio panis & vini eſt manducatio & potio ſanguinis Chriſti, non rei veritate, ſed ſignificante myſterio: Quomodo autem corpus Chriſti fractum, & ſanguis eius effuſus ſit, & quomodo fractum illud corpus edendum, & ſanguis effuſus bibendus ſit, hoc non aliùnde, niſi ex Euangelio diſcendum & ſtatuendum eſt.

Serm. 2. *Sic de verbis Apoſtoli*: Tunc vita vnicuique erit corpus & ſanguis Domini, ſi quod in Sacramento viſibiliter ſumitur, in ipſa veritate ſpiritualiter manducetur, ſpiritualiter bibatur.

De Trinitate lib. 8. *Sic Hilarius:* Nos verè ſub myſterio carnem corporis ſumimus, & per hoc vnum erimus.

Hom. 83. in Matth. *Et Chryſoſtomus*: Chriſtus in ſenſibilibus inſenſibilia nobis tradidit.

Hæc & ſimilia oſtēdunt, Patres his loquutionibus, nihil aliud velle, niſi quod In vel Sub Sacramentis accipiamus res cœleſtes, ſicut in ſigno, imagine, repræſentatione, verbis. Ideò Auguſtinus dicit,

dicit, Sacramentum eſſe verbum viſibile, & Paulum prædicaſſe Chriſtum, aliter per linguam, aliter per Scripturam, aliter per Sacramentum corporis & ſanguinis Chriſti: non certè rem prædicatam, ſed prædicandi modum faciens diuerſum.

Hanc verborum ſanam ſententiam ſi retinerent noſtri aduerſarij, ſublata eſſet diſcordia, & reſtituta ſalutaris & optata pax Eccleſiis, & nos ab his & ſimilibus loquendi formis tam non abhorreremus, quàm non abhorruerunt Patres. Nunc autem propter ambiguitatem, quam in illas inuexerunt humana ſomnia, ad vitandam abſurdæ ſententiæ ſpeciem, cogimur quaſi illis abſtinere, aut non ſine diſerta declaratione vti: ſicut hæc oratio, Chriſtus eſt creatura, per ſe & rectè intellecta, tam vera eſt, quàm hæc: Chriſtus eſt homo: & tamen veteres propter Arianorum prauam interpretationē, ea non libēter ſunt vſi. Nec obſtat, quod dicitur, VERVM *corpus Chriſti adeſſe & ſumi. Non enim alterius, niſi veri corporis Chriſti hæc ſunt ſymbola: neque illud, quod dicitur,* VERE *adeſſe & ſumi. Veriſſimè enim Chriſtus ſuo Spiritu in nobis perficit, quod hac viſibili ſumtione nobis ſignificat & promittit.*

Ex his patet, nulla Auguſtanæ Confeſſionis editione, illorum ſententiam ſtabiliri, aut noſtram euerti.

Sed etiam hoc ſuo teſtimonio confirmant Theologi. Editiones emendatas Confeſſionis ex nouo ſuo doctrinæ corpore eiiciunt: primam poſtliminio reuocant: Qua de cauſſa? quia ex illis nihil aduerſus nos ſe obtinere poſſe ſentiunt: Ex prima autem ſperant aliquid præſidij. Ergo ipſorum Confeſſione, poſteriores editiones noſtræ ſunt. Quod dant, accipimus: quod negant, ipſis vel inuitis auferemus. III. *Aut enim conſentit editio prima cum poſterioribus,* IIII. *aut non conſentit. Si conſentit, nobis tam non aduerſatur, quàm poſteriores, vtcunq; obſcuriùs loquatur. Sin editiones differre ſententiis dicunt, ſicut in præfatione ſuſpectas eas diſſenſionis faciūt, viderint ipſi, quid reſpondeant Pontificiis, qui fraudis accuſabunt Ordines Imperij Proteſtantes, vt qui geminam Confeſſionem pro*

vna obtruſerint, aliud ſint confeſſi, aliud ediderint: Quid item reſpondeant omnibus Auguſtanæ Confeſſionis ſociis, quibus hanc litem cum aduerſariis creant, & quos omnes hactenus omnes editiones amplexos tanquam vnam, aut ſtultitiæ non diſcernentis eandem & diuerſam Confeſſionem, aut falſæ doctrinæ, illis nobiſcum communis, inſimulant.

V. *Quantò autem nos honeſtiùs, quàm Theologi iſti, de Confeſſione Auguſtana, & piis prudentibusq́; maioribus ſentimus, quos non dubitamus voluiſſe de ſua ſententia non ex prima, ſed ex emẽdatis editionibus iudicari, & has illius interpretationem eſſe, tanquam clariores obſcuris? Videbãt enim hoc rem ipſam poſtulare. Nam ſi vrgeãtur verba Confeſſionis non emendatæ, mutationem panis Papiſticam ſonabunt: præſertim accedentibus aduerſariorum noſtrorum gloſſis. Si verè, id eſt, corporaliter, ſubſtantia carnis & ſanguinis Chriſti adeſt & ſumitur, ſub ſpeciebus, id eſt, ſub accidentibus, figura, colore, ſapore panis & vini latens; quid illis deerit ad Papiſmum? Liber tamen Bergenſis Transſubſtantiationem ferit anathemate. Ergo non poteſt retinere* τὸ ῥητὸν *primæ editionis; & fruſtrà eam nobis opponit. Nam cùm neceſſitas cogat eos à proprietate verborum diſcedere, nemo ipſorum interpretationi debet fidem habere, niſi eam ex Confeſſione & Apologia euincant. Porrò Pontificios ſimpliciter accepiſſe verba illa de Tranſſubſtantiatione, teſtatur Apologia, quæ dicit, aduerſarios probaſſe decimum articulum, quod nunquam feciſſent, niſi ſuam in eo ſententiam contineri exiſtimaſſent. Teſtatur idem hiſtoria Confeſſionis Auguſtanæ à Theologis edita. Rectè igitur & piè mutata ſunt illa verba, quæ rudiores poterant in opinione Papiſtica detinere; & Antagoniſtæ noſtri non plus ex prima, quàm ex poſterioribus editionibus aduerſus nos obtinent.*

Liber Bergenſis condemnat Trãsſubſtantiationem: Ergo primam quoque Auguſtanæ Cõfeſſ. editionẽ, in qua illa nõ obſcurè aſſeritur, condemnat.

VI. *Neq́; eſt mirandum, in exemplari Confeſſionis Imperatori exhibito hunc næuum hæſiſſe. Metuebatur Caroli offenſio, quem dixiſſe, ex ipſis Confeſſionis autoribus audiuimus: Aliorum omnium, quæ à nobis taxantur in Papatu, reprehen-*

ſionem

ſionem ſe faciliùs ferre poſſe: Miſſam verò, Miſſam eſſe cor ſuum; hanc ſe non paſſurum ſibi eripi. Et ſuprà indicauimus cauſſas, propter quas fatendum potiùs eſt ingenuè, languidiùs quàm oportet illo tempore quædam dicta fuiſſe, ſtudio ſe accommodandi opinionibus & loquutionibus Papiſticis, quàm ea defendenda, quæ autores Confeſſionis ipſi repudiarunt. Et con- VII. *tendunt ipſi Theologi in ſua Confeſſionis hiſtoria, mutationibus iſtis Confeſſionem non deteriorem, ſed meliorem eſſe factam. Quo igitur ore in libro Bergenſi vituperant tanquam corruptelam, quod alibi tanquam correctionem vtilem & iuſtam laudarunt? Quid, quòd Lutheri quoque, quem, quoties volunt, Prophetam* VIII. *faciunt, autoritatem hîc planè abiiciunt, & conculcant, non minùs, quàm omnium Theologorum, qui cum ipſo vixerunt? Mutationes etenim iſtæ ſunt factæ, viuo, vidente & conſentiente Luthero. Itaque magna eſt illorum impudentia, qui optimi & modeſtiſsimi viri Philippi Melanthonis fraude illas obtruſas eſſe calumniantur: & nimia credulitas eorum, qui ſuſpicantur Confeſſionem publicam tot Eccleſiarum, in omnium oculis & manibus verſantem, vnius priuato conſilio & arbitrio mutari aut corrumpi impunè potuiſſe. Id oſtẽdit multiplex correctionum approbatio & confirmatio publica. Anno* XXXVI *non certè ex prima, ſed ex recognita formula Confeſſionis, Lutherus iniit Concordiam VVitebergenſem cum Helueticis & Sueuicis Eccleſiis: Anno* XL *&* XLII *Confeſſio recognita & aucta multorum articulorum neceſſariis declarationibus, in conuentibus VVormatiæ & Ratisbonæ, non à Philippo, ſed ab omnibus Auguſtanæ Confeſſionis ſociis exhibita & aduerſariis oppoſita eſt. Poſt omnes mutationes in formula Auguſtana factas, vixit Lutherus annos quatuor, nec vnquam quicquam in illis improbauit. Anno autem* LI *ſcripta eſt Saxonica Confeſſio, offerenda Tridentino Concilio, cum Auguſtana conſentiens, & ab omnibus Auguſtanæ Confeſſionis ſociis agnita & approbata. Inſerta deinde eſt emendata Con-*

feſsio Corpori doctrinæ, quod Eccleſiæ Saxonicæ & pleraq; aliæ hactenus ſunt amplexæ: quod anno LVIII *Principes Electores Francofurti vno conſenſu probarunt. Anno* LXI *in conuentu Naumburgenſi, communi ſcripto Principum ad Ferdinandum Imperatorem, grauibus de cauſsis approbatæ ſunt omnes Confeſsionis editiones, priùs oblatæ Imperatori & aduerſariis. Manifeſtum eſt ergo, ab iſtis ſex Theologis, dum primum exemplar ſolum volunt eſſe authenticum, Lutherum & omnes Confeſsionis ſocios, Principes, Theologos & Eccleſias, erroris aut ſtuporis & leuitatis accuſari.*

Poſtremò, hanc nouam, ſcripta diiudicandi & comparandi regulam, mirum vnde Theologi ſumſerint, quòd primi exemplaris autoritatem cæteris omnibus anteponunt: quaſi non id quod rectius, puriùs, clariùs, veritati & verbo Dei magis congruenter, ei quod priùs ſcriptum eſt; & bona recentia malis veteribus ſint anteferenda.

Sed quicquid tergiuerſationis quærant in diuerſitate editionum; tamen omnia alia loca Confeſsionis & Apologiæ, in quibus de Sacramentis & de Cœna Domini agitur, noſtram ſententiam confirmant; illorum autem interpretationem excludunt. Articulo XIII. *docetur,* Sacramenta eſſe ſigna & teſtimonia voluntatis Dei erga nos, ad excitandam & confirmandam fidem in his, qui vtũtur, propoſita. Si ſunt ſigna & teſtimonia; *differunt à rebus, quas ſignificant & teſtantur: Et,* Si ſunt ſigna propoſita ad excitandã & confirmandã fidem; *ſunt externa & viſibilia, propoſita & ſubiecta ſenſibus hominum, quos de rebus ſignificatis & inuiſibilibus admonere & confirmare debent; non autem res inuiſibiles & miraculoſæ, quæ ipſæ teſtimonia requirerent, non autem rerum credendarum teſtimonia eſſe poſſent. Corporalis ergo præſentia & manducatio carnis Chriſti, neque ſignum eſt; quia nihil habet, quod ſignificet; neque teſtimonium confirmans fidem, quia non eſt viſibilis. Si* ſunt ſigna volunta-

tis

tis Dei erga nos; *Ergo ſunt ſigna gratiæ in Chriſto nobis præſtitæ, id eſt, ſpiritualis communionis Chriſti, non autem oralis manducationis.*

Additur, Vtendum eſſe Sacramentis ita, vt fides accedat, quæ credat promiſſionibus, quæ per Sacramenta exhibentur & oſtenduntur. *Eſt ergo legitimus vſus Sacramenti, qui eſt coniunctus cum fide, ſine qua non vſus, ſed abuſus Sacramenti eſt. vſurpatio ſignorum, & abutentibus nihil promittit rerum ſignificatarum, atque ita reſpectu illorum, Sacramenti rationem amittit, vt præter externa ſigna & iram Dei, ex illis nihil auferant. Sed quæ fides debet accedere?* quæ credat promiſſionibus diuinis: *quibus promiſſionibus?* quæ oſtenduntur & exhibentur per Sacramenta: *Ergo fides promiſſonis gratiæ, hoc eſt, communionis Chriſti & beneficiorum eius: hæc eſt enim quæ exhibetur & oſtenditur per Sacramenta. Hic rurſus docetur, qualia ſigna ſint Sacramenta, nempe quæ oſtendant promiſſiones: Sunt ergo viſibilia, quæ analogia & ſimilitudine viſibili res inuiſibiles nobis ob oculos ponant, quæ continentur in promiſſione gratiæ.*

Hinc eſt manifeſtum, nihil in Sacramentis poni præter hæc duo: Primum, Externum & viſibile ſignum, oſtendens promiſſiones: Alterum, ipſas promiſſiones, ſeu res & beneficia promiſſa in Euangelio omnibus & ſolis credentibus. Hic manducationi orali nullus relinquitur locus, vt quæ neque ſignum eſt, neque res per ſignum oſtenſa & exhibita: Oſtenduntur enim his ſignis & exhibentur res promiſſæ, quæ non niſi per fidem in Chriſtum accipiuntur. Sic ergo ſecundum x. articulum, in Cœna Domini In & Sub & cum ſymbolis pane & vino, verè adeſt, & verè exhibetur verum Chriſti corpus & ſanguis, vt oſtenſum viſibili ſigno verè exhibeatur fidei ſeu credentibus in Chriſtum. Panis enim non oſtendit quid exhibeatur ori veſcentium (huic enim ipſe panis exhibetur) ſed quid exhibe-

Oralis mãducatio, cùm neque ſignũ ſit, neque res per ſignum oſtenſa & exhibita, in Sacramẽto nullum habet locum.

atur Fidei promiſſionum Euangelij: Et hæc oſtenſio & exhibitio ſpiritualium beneficiorum hic tribuitur omnibus Sacramentis: Ergò hic articulus, inuiſibilem & corporalem, & etiam impijs communem, rerum per ſigna viſibilia exhibitionem & perceptionem, tam in cœna Domini, quàm in Baptiſmo, & omnibus Sacramentis veteribus, funditus euertit; & decimum Articulum ſecundùm noſtram ſententiam accipi cogit, niſi quis manifeſtam & abſurdam horum duorum Articulorum repugnantiam velit conſtituere.

Capite de abuſu Miſſæ, ſic dicitur: Sed Chriſtus iubet facere in ſui memoriam: quare cœna inſtituta eſt, vt fides in iis, qui vtuntur Sacramento, recordetur, quæ beneficia accipiat per Chriſtum, & erigat & conſoletur pauidam conſcientiam. Nā id eſt meminiſſe Chriſti, beneficia meminiſſe, ac ſentire, quòd verè exhibeantur nobis.

Hic etiam duo tantùm ponuntur: Id, quod faciendū eſt in Chriſti memoriā; quod eſt ſumtio ſeu vſurpatio Sacramenti, vt Paulus inquit: quoties de PANE *hoc ederitis, mortem Domini annunciabitis: Et id, cuius debet fieri memoria, videlicet, omnia Chriſti beneficia. Signum ergo viſibile, datum nobis à Deo per manus miniſtrorum, admonet fidem de rebus à Deo promiſſis; & fides admonita, accipit ea, de quibus admonetur à Deo per ſigna, & ſentit ea ſibi verè exhiberi.*

1. Cor. 11. 26.

In Apologia, in reſponſione ad argumenta aduerſariorum, dicitur: Sic in Eccleſia, inſtituta eſt Cœna Domini, vt recordatione promiſſionum Chriſti, quarum in hoc ſigno admonemur, confirmetur in nobis fides, & foris confiteamur fidem noſtram, & prædicemus beneficia Chriſti, ſicut Paulus ait: Quotieſcunque feceritis, mortē Domini annunciabitis. *Eſt ergo Cœna Domini ſignum admonitorium & viſibile: admonens fidem noſtram de promiſſionibus & beneficijs Chriſti. Hic rurſus excluditur eſus corporalis carnis Chriſti: quia is neq; admo-*

admonet promiſsionum Chriſti, neq; eſt res, de qua admonemur. Hæc enim nihil eſt aliud, niſi quod per veram fidem in Chriſtum accipitur, & non eſt quiddam commune fidelibus & infidelibus.

In capite de Eccleſia ſæpiſſimè nominantur Sacramenta, res externæ, ritus externi, notæ & ſigna externa: & infideles ac hypocritæ dicuntur habere in Eccleſia tātùm ſocietatem externorum ſignorum. *At manducatio corporis Chriſti non eſt res externa, ſicut nec in Baptiſmo ablutio per ſanguinem Chriſti eſt res externa. Ergo impij, ſicut in Baptiſmo tantùm aquæ, ſic in Cœna tantùm panis & vini participes ſiunt.*

Eodem capite dicitur: Verbum & Sacramenta diuinitùs tradita, eſſe inſtrumenta, per quæ Deus mouet ad credendum. *Verbum autem & Baptiſmus ſunt inſtrumenta externa & ſenſibus expoſita: Ergo etiam in Cœna Domini, viſibilis ſumtio panis & vini eſt inſtrumentum Spiritus ſancti, quo mouet corda ad credendum, non autem inuiſibilis ſumtio corporis & ſanguinis Chriſti. Manducatio panis, eſt id, per quod Spiritus ſanctus mouet ad credendum; manducatio Chriſti eſt illud, ad quod credendum mouemur; vel, quod eodem redit, manducatio panis eſt inſtrumentum mouens corda ad manducandum fide corpus Chriſti pro nobis traditum.*

Eodem capite dicitur de decimo articulo, quòd ſit approbatus à Pontificiis*: Ergo ab illis fuit intellectus de Transſubſtantiatione: alioqui eum non approbaſſent. Fuit ergo à noſtris corrigendus, & ab iſto prauo intellectu vindicandus, mutatione loquutionis, quæ occaſionem erroris præbebat. Addunt enim, ſe in eo articulo, non quod Papiſtæ intelligebant, ſed hoc,* Confiteri & ſentire, quòd in Cœna Domini verè & ſubſtantialiter adſint corpus & ſanguis Chriſti, & verè exhibeantur cum illis rebus, quæ videntur, pane & vino, his qui Sacramentum accipiunt. *Idem & nos confitemur, & ſentimus. Nō enim poſſumus* beneficiorum Chriſti *participes fieri, niſi &*

ſubſtantiæ *totius Chriſti ſiamus participes, hoc eſt, niſi ipſe in nobis habitet, & nos corporis ſui membra faciat, carnem ſuam & oſſa ſua, vt ex ipſo tanquã membra ex capite, & palmites ex vite, iuſtitiam & vitam æternam hauriamus. Sed inde non ſequitur, neq; hic dicitur, Corpus Chriſti eſſe ſubſtantialiter* In pane, *& oraliter manducari: aliud enim eſt, verè & ſubſtantialiter exhiberi cum rebus viſibilibus, aliud, vnà cum illis ingredi in ora & corpora fidelium & infidelium. Satis enim luculenter ſuprà definita eſt iſta exhibitio Chriſti in verbo & Sacramentis, vt ad mãducationem oralem carnis Chriſti nullo modo detorqueri poßit.*

Quod autem additur: Romanam & Græcam Eccleſiam affirmare præſentiam corporalem Chriſti*: Id etiam vel ſimpliciter de Transſubſtantiatione Romanenſi intelligendum, ac propterea repudiandum erit, atq; ita non ſubleuabit cauſſam aduerſariorum noſtrorum: vel erit intelligendum de vera & ſubſtantiali communicatione etiam corporis & ſanguinis Chriſti, non tantùm de Spiritus & beneficiorum communione, ſicut nos calumniantur Theologi.*

Et ſanè, niſi Apologiam in hoc ipſo loco ſecum pugnare velint, aliud hinc nihil extorquebunt. Nam confirmatur & declaratur iſta præſentia teſtimonio Cyrilli: De eadem igitur præſentia & cõmunicatione corporis Chriſti intelligenda eſt Apologia, de qua Cyrillus loquitur. Hanc autem certiſsimum eſt, non eſſe niſi ſpiritualem. Nuſquam enim dicit Cyrillus, carnem Chriſti ore manducari, ſed nobis rationem coniunctionis, non tantùm ſecundùm Spiritum, ſed etiam ſecundùm carnem cum illo eſſe contendit. *Sed quæ eſt iſta ratio coniunctionis? Reſpondet Cyrillus;* Chriſtum etiam ſic, id eſt, ſecundùm carnem, vitem eſſe, nos verò palmites, qui vitã inde nobis acquirimus: Audi Paulum dicentem, quia omnes vnum corpus ſumus in Chriſto, quia etſi multi ſumus, vnum tamen in eo ſumus. Omnes enim vno pane participamus. *Item:* Neſcitis quòd membra

De dicto Cyrilli, quod in Apologia recitatur.

membra veſtra ſint membra Chriſti. Saluator etiam: Qui manducat carnem meam, in me manet, & ego in illo. *Sic Cyrillus declarat, quo ſenſu dicat Chriſtum in nobis corporaliter habitare, & in nobis eſſe participatione naturali, nempe, ſicut caput in membris, vitis in palmitibus eſt & habitat; non per exiſtētiam intra membrorum & palmitum ſubſtantiam, ſed per eorū adhærentiam & viuificationem. Quid autem hæc ad eſum oralem? An vt naturæ humanæ Chriſti cōiungamur, ipſius corpori tanquam capiti & viti, membra & palmites inſeramur, vnum cum ipſo & in ipſo corpus ſimus, vitam ex ipſo hauriamus, caro ipſius, ore comedenda eſt? Quid ergo fiet de vita & ſalute omnium ſanctorum, qui inde ab initio mundi non potuerunt, & non poterunt ad Cœnam Domini accedere, vt Chriſti carnem ore comedant? An hæc communicatio corporis Chriſti, quam Cyrillus ex Iohanne & Paulo definit, tantùm in Cœna ſit? Quis eſt fidelium, qui neſcit, eam in verbo, in Sacramentis, & quandocunq; credit, ſibi contingere? Atqui non aliam, ſed hanc ipſam corporis Chriſti communicationem, quæ non fit niſi per fidem, & Spiritū ſanctum in nobis habitantem, & nos Chriſto capiti noſtro vnientem, & conformantem, vt non tantùm Chriſtus in nobis, ſed etiam nos in ipſo ſimus & maneamus, aſſeuerat Cyrillus nobis contingere & confirmari in Cæna, quam allegat, tanquam illius communionis argumentum, dicens:* An fortaſſe putat, ignotam nobis myſticæ benedictionis virtutem eſſe, quæ cùm in nobis fit, nónne corporaliter quoque facit, communicatione carnis Chriſti, Chriſtum in nobis habitare, & non habitudine ſolùm, quæ per caritatem intelligitur, in nobis eſſe, ſed etiam participatione naturali? *Euchariſtiam nominat myſticam benedictionem, per quam nimirum myſticè, id eſt, ſignificando, Chriſtus nobis benedicit, ſe & ſua beneficia nobis exhibendo; & nos ipſi viciſſim benedicimus fide & gratiarum actione. Huius vim, id eſt, Spiritus ſancti per eam effectū, dicit eſſe Chriſti*

corporalem in nobis habitationem, id eſt, ſubſtantialem etiam corporis Chriſti communionem, & naturalem participationē, quæ in vnione & conformitate membrorum cum capite conſiſtit, non autem eſt ingreſſus, aut exiſtentia carnis Chriſti intra noſtra corpora. Præterea Cyrillus tantùm dicit de Chriſti præſentia in nobis, quam deſcribit ex 6 & 15 cap. Ioh. & 1 Cor. 10: nihil autem de præſentia corporis in pane. Illam verò ſpiritualem Chriſti communionem ait in nobis fieri, non per inuiſibilem & oralem eſum corporis Chriſti, ſed per myſticam, hoc eſt, viſibilem, & ignota mundo Euangelÿ beneficia ſignificantem ſumtionē panis & vini.

Sed non opus eſt hîc pluribus, cùm tam multa & perſpicua extent Cyrilli teſtimonia, quibus oſtendit, quid de præſentia Chriſti nobiſcum & in nobis ſentiat, vt ſine manifeſta ipſius iniuria, aduerſus nos allegari non poſſit.

L.11. ca.21. *In Iohann*. Putabant enim diſcipuli, abſentiam Chriſti, vt hominis dico (Deus enim vbique adeſt) multorum eis incommodorum cauſſam futuram, cùm non adeſſet, qui eos poſſet ab omnibus malis eruere. Sed oportebat (dicam enim, etſi luminaria orbis poſtea facti ſunt) non ſolùm in carnem Chriſti, verùm etiam in Deitatem reſpicere: quæ quamuis oculis non cernatur, adeſt tamen ſemper ſumma cùm poteſtate, nec quicquam eſt, quod prohibere poſſit, quin omnia repleat, & quod velit peragat. Non enim loco aut dimenſionibus circunſcriptibilis natura diuina eſt. Quare cùm Deus & homo Chriſtus verè ſit, oportuit eos intellexiſſe, ineffabili Dei poteſtate, vnà cum eis ſemper futurum, etiamſi carne abeſſet. Iccircò etiam ipſe quoque in ſuperioribus dicebat, Pater ſancte, ſerua eos in nomine tuo, quos dediſti mihi; apertè ſignificans, Deitatis ratione, non carnis præſentia eos poſſe ſeruari.

L.9. ca.21. *Et in alio loco.* Credere autem oportet fideles, quamuis à nobis corpore abſit, virtute tamen ſua & nos gubernari,

bernari,adeſſeque ipſum ſemper omnibus,qui eum diligunt.Propterea dicebat: Amen amen dico vobis, vbicunque ſunt duo aut tres congregati in nomine meo, ibi ſum in medio eorum. Nam quemadmodum,quando vt homo in terra conuerſabatur,tunc etiam cœlos implebat, & angelorum conſortia non relinquebat: Eodem nunc modo cùm ſit in cœlis cum carne,terram tamē replet, & cum eis eſt,qui eum diligunt. Obſeruandum autem eſt, quia, quanuis ſecundùm carnem ſolummodò abiturus erat (adeſt enim ſemper virtute Deitatis, vt diximus) modico tamen tempore ſe cum diſcipulis futurum dicebat, apertè ſe ipſum nominans, ne quis in duos filios diuidere Chriſtum audeat.

Et poſtea: Cum diſcipulis,etſi non corpore,virtute tamē Deitatis vnà ſemper & fuit,& futurus eſt. Cap.22.

Idem: Nam etſi abeſt corpore,patri pro nobis apparens, ac à dextris eius ſedens,habitat tamen in ſanctis per Spiritum,neque patitur illos orphanos eſſe. *Et:* Nihil ergo mali vobis accidere poteſt,ait,etſi carne abfuero, cùm Deitatis meæ poteſtas,quæ vos hucuſque ſeruauit, in poſterum etiam ſeruatura ſit. *Ibidem:* Cùm ergo Deitati ſeruatio attribuatur,non debetis carnis præſentiam propter hoc deſiderare. lib.11. ca.3. Cap. 22.

Idem: Vnde dicebat Filius, Non relinquam vos orphanos,venio ad vos: Poſtquam autem aſcendit ad Patrem,& ex mortuis reuixit,in nobis eſt per Spiritū. Proprius enim ipſius eſt, & non extrinſecus ſuſceptus Spiritus eius, ſicut ſcilicet & hominis humanus. *Hæc & ſimilia multa Cyrillus.* De Trin. lib.6.

Eant iam Theologi,& Cyrilli teſtimonio confirment corporalem præſentiam & manducationem carnis Chriſti in pane.

Sequitur in Apologia cap. de numero & vſu Sacramentorum:

Si Sacramenta vocamus ritus,qui habent mandatum Dei,

& quibus addita eſt promiſſio gratiæ, facilè eſt iudicare, quæ ſint propriè Sacramenta. *Hic rurſus manducationi orali non eſt locus, quia neque ritus eſt, cùm non ſit viſibilis, neq; hominum actione perficiatur; neq; promiſſa in promiſſione gratiæ, quia hæc ſola fide percipitur, & ad ſolos fideles pertinet. Nihil autem hic ponitur in Cœna, ſicut & in omnibus Sacramentis, præter ritum, & non eſui orali carnis Christi, ſed huic ritui additam promiſſionem, non eſus corporalis, ſed gratiæ, quæ eſt* κοινωνία *Christi ſpiritualis per fidem. Et additur:* Hi ritus(*non autem oralis mãducatio corporis Christi*) habent mandatum Dei & promiſſionem gratiæ, quæ eſt propria noui Teſtamenti. *Non ergò eſt promiſſio corporalis manducationis, quæ etiam infidelibus cõmunis eſſe dicitur, ac proinde non eſt propria noui Teſtamẽti, cuius participatio non niſi per fidem cuiquam contingit. Sequitur:* Et corda ſimul per verbum & ritum mouet Deus (*non per oralem manducationem carnis Christi*) vt credant & concipiant fidem, ſicut ait Paulus; fides ex auditu eſt. *Ergo per ritum Cœnæ non mouet nos Deus ad credendum eſum oralem, ſed ad credendum illud idem, quod in toto Euangelio promittitur, quam fidem dicit Paulus eſſe ex auditu verbi Dei; Et eadem eſt præſentia & communicatio Christi in verbo & in Sacramentis. Id clariſſimè exponunt verba Apologiæ ſequentia:* Sicut autem verbum incurrit in aures, vt feriat corda; ita ritus ipſe incurrit in oculos, vt moueat corda. Idem effectus eſt verbi & ritus, ſicut præclarè dictum eſt ab Auguſtino, Sacramentum eſſe verbum viſibile; quia ritus oculis accipitur, & eſt quaſi pictura verbi, idem ſignificans, quod verbum. Quare idem eſt vtriuſque effectus.

Non poſſemus noſtram de Cœna Domini & Sacramentis ſententiam, clariùs exponere, quàm hîc in Apologia expoſita eſt. Ritus dicitur eſſe res incurrens in oculos, vt moueat corda. Idem eſt mouendi modus, idem eſt effectus verbi & Sacramenti. Eadem

igitur

igitur communio Chriſti vtrobique. Eſt verbum viſibile, quod oculis accipitur: At corporalis manducatio Chriſti, non accipitur oculis, non eſt ritus incurrens in oculos. Eſt pictura verbi: idem ſignificat quod verbum: at cuius rei pictura, vel ſignificatio eſt inuiſibilis & corporalis eſus carnis? aut per quam rimam hic in Apologiam irrepet? Oramus Deum, vt tandem aperiat aures & oculos bonorum virorum in Germania, vt videant, nos aliud prorſus non docere, niſi quod hîc docet Apologia, & non ſinant ſe perpetuò faſcinari clamoribus & ſophiſmatibus ſuorum Theologorum, qui vociferantur, nos eſſe hæreticos, impios, blaſphemos, Scripturæ & antiquitatis Eccleſiaſticæ, & Confeſſionis Auguſtanæ aduerſarios: nec dubitamus, Deum reſponſurum votis noſtris, & tandem audituros lapides, ſi audire homines recuſent.

In eodem capite ſic dicitur: Ita nos docemus, quòd in vſu Sacramentorum fides debeat accedere, quæ credat illis promiſſionibus, & accipiat res promiſſas, quæ ibi in Sacramento offeruntur. Et eſt ratio plana & firmiſſima: Promiſſio eſt inutilis, niſi fide accipiatur: At Sacramenta ſunt ſigna promiſſionum: Igitur in vſu debet accedere fides, vt ſi quis vtetur Cœna Domini, ſic vtatur; Quia id eſt Sacramẽtum Noui Teſtamenti, vt Chriſtus clarè dicit; Ideò ſtatuat ſibi offerri res promiſſas in Nouo Teſtamento, ſcilicet, gratuitam remiſſionem peccatorum: Et hanc rem fide accipiat, erigat pauidam conſcientiam, & ſentiat hæc teſtimonia non eſſe fallacia, ſed tam certa, quàm ſi Deus nouo miraculo de cœlo promitteret ſe velle ignoſcere. Quid autẽ prodeſſent illa miracula & promiſſiones non credenti? Et loquimur hîc de fide ſpeciali, quæ præſenti promiſſioni credit, non tantùm, quæ in genere credit Deum eſſe, ſed, quæ credit offerri remiſſionem peccatorum. *Iterum hic expreſſè docetur, nullum eſſe legitimum vſum Sacramenti, ſine fide, non quæ corporalem præſentiam corporis Chriſti, ſed quæ re-*

miſſionem peccatorum credit propter traditum in mortem Chriſti corpus: & non os corporis, ſed fidem accipere res in Sacramento oblatas: Et ſicut in promiſſione nihil accipitur, ſine fide promiſſionum, niſi verba, non autem res verbis ſignificata: ſic in Sacramento nihil accipi ſine fide, niſi ſigna, non autem res ſigno ſignificatas: Sacramēta enim ſigna eſſe promiſſionum, id eſt, eaſdem res, eodem modo accipiendas, ſignificare, quas Euangelium promittit: Loquutionem Chriſti non, vt cauillantur Theologi, obſcuram, ſed claram eſſe, cum cœnam vocat Nouum Teſtamentum, intelligens Sacramentum Noui Teſtamenti: offerri in cœna non oralem eſum carnis Chriſti, ſed res promiſſas in Nouo Teſtamento; & has res eſſe gratuitam remiſſionē peccatorum, cum qua Chriſti & omnium eius beneficiorum communio inſeparabiliter cohæret: Et has res ſignificatas & oblatas in Sacramentis accipi fide.

Capite de vtraq; ſpecie Cœnæ Domini, dicitur: Sacramentum inſtitutum eſt ad conſolandas & erigendas territas mentes, cùm credunt, carnem Chriſti, datam pro mundi vita, cibum eſſe, cùm credunt ſe coniunctos Chriſto viuificari. *Hic rurſus in Sacramento Cœnæ, nulla oralis, ſed ſola ſpiritualis manducatio Chriſti ſtatuitur.*

In capite de Miſſa, vt ſepè, dicunt ſe ſentire, quòd Cœna Domini non conferat gratiam ex opere operato. *At ſepiſſimè teſtatur Apologia, ſe nullam Chriſti manducationem agnoſcere, præter eam, quæ cōprehēditur in promiſſione gratiæ. Ergo nō manducāt corpus Chriſti, qui ſeruāt ritū ſine vera fide in Chriſtū.*

Capite de Sacrificio & eius ſpeciebus dicitur: Theologi rectè ſolent diſtinguere Sacramentum & Sacrificium. Sit igitur genus horum vel ceremonia vel opus ſacrum. Sacramentū eſt ceremonia vel opus, in quo Deus nobis exhibet hoc, quod offert annexa ceremoniæ promiſſio, vt Baptiſmus eſt opus, nō quod nos Deo offerimus, ſed in quo Deus nos baptizat, videlicet, miniſter vice Dei, & hîc offert & exhibet

bet Deus remiſſionem peccatorũ &c. iuxta promiſſionẽ: Qui crediderit & baptizatus fuerit, ſaluus erit. Econtra, Sacrificium eſt ceremonia vel opus, quod nos Deo reddimus, vt eum honore afficiamus. *Quid diſertius dici poteſt, quàm Genus Sacramenti eſſe ceremoniam: & huic ceremoniæ annexam eſſe promiſſionem remiſſionis peccatorum & ſalutis? Sicut ergo in Baptiſmo tantùm duplex ablutio fit, corporalis & viſibilis, quæ fit aqua; ſpiritualis & inuiſibilis, quæ fit ſanguine Chriſti; ſic etiã in Cœna tantùm duplex potio, Corporalis & viſibilis, quæ eſt vini: ſpiritualis & inuiſibilis, quæ eſt ſanguinis Chriſti. Corporalis autem lotio & potio inuiſibilis nulla eſt.*

Ibidem dicitur Ceremonia eſſe memoriale mortis Chriſti. *Eſus ergo oralis, neq; memoriale, neq; res memorata eſt. Eodem capite dicitur;* Docentur homines de vero vſu Sacramenti, quòd ad hoc inſtitutum ſit, vt ſit ſigillum & teſtimonium gratuitæ remiſſionis peccatorum; ideoque debeat pauidas conſcientias admonere, vt verè ſtatuant & credãt, ſibi gratis remitti peccata. *Hic nullum admittitur inuiſibile ſignum, ſed tantùm ſigillum & ſignum viſibile, quale erat Circunciſio; & cum illo coniuncta non manducatio corporalis, ſed remiſſio peccatorũ, quæ totã κοινωνίαν Chriſti ſpirituale complectitur.*

Tandem capite de vſu Sacramenti & de Sacrificio: Sacramenta ſunt ſigna voluntatis Dei erga nos, non tantùm ſigna ſunt hominum inter ſeſe. Et rectè definiunt Sacramenta in Nouo Teſtamento eſſe ſigna gratiæ. Et quia in Sacramento duo ſunt, ſignum & verbum; verbum in Nouo Teſtamento eſt promiſſio gratiæ addita ſigno. Promiſſio Noui Teſtamenti eſt promiſſio remiſſionis peccatorum, ſicut textus hîc dicit: Hoc eſt corpus meum, quod pro vobis datur. Hic eſt calix Noui Teſtamenti, in meo ſanguine, qui pro multis effundetur in remiſſionem peccatorum. Verbum igitur offert remiſſionem peccatorum: Et ceremo-

nia eſt quaſi pictura verbi ſeu ſigillũ, vt Paulus vocat, oſtendens promiſſionẽ. Ergo ſicut promiſſio inutilis eſt, niſi fide accipiatur, ita inutilis eſt ceremonia, niſi fides accedat, quæ verè ſtatuat, hîc offerri remiſſionem peccatorum: Et hæc fides erigit contritas mentes. Et ſicut verbum ad hanc fidem excitandam traditum eſt; ita Sacramentum inſtitutum eſt, vt illa ſpecies incurrens in oculos moueat corda ad credendum. Per hæc enim, videlicet per verbũ & Sacramentum, operatur Spiritus ſanctus. Et talis vſus Sacramẽti, cùm fides viuificat perterrefacta corda, cultus eſt Noui Teſtamenti: quia Nouum Teſtamentum habet motus ſpirituales, mortificationem & viuificationem. Et ad hunc vſum inſtituit Chriſtus, cùm iubet facere in ſui cõmemorationem. Nam meminiſſe Chriſti non eſt otioſa ſpectaculi celebratio, aut exempli cauſſa inſtituta; ſicut in Tragœdiis celebratur memoria Herculis aut Vlyſſis: ſed eſt meminiſſe beneficia Chriſti, eaque fide accipere, vt per ea viuificemur; Ideò Pſalmus ait: Memoriam fecit mirabiliũ ſuorum, miſericors & miſerator Dominus: Eſcam dedit timentibus ſe: ſignificat enim voluntatẽ & miſericordiam Dei, agnoſcendam eſſe in illa ceremonia.

Quid ad hæc Theologi? Adhùc ne diſſentit à nobis Confeſſio Auguſtana? Dicit, ſicut omnia Sacramenta, ſic Cœnam Domini eſſe ſignum voluntatis ſeu gratiæ Dei erga nos: Tantùm duo hæc eſſe in Sacramento: Signum, quod eſt, non inuiſibilis eſus corporis Chriſti, ſed viſibilis eſus panis, nempe ceremonia, pictura verbi, ſigillum oſtendens promiſſionem, ſpecies incurrens in oculos, mouens corda ad credendum; Et verbum, quod eſt promiſſio, non manducationis oralis, ſed gratiæ, promiſſio Noui Teſtamenti, promiſſio remiſſionis peccatorum, voluntatis & miſericordiæ Dei erga nos. Et ne vllum pateat effugium, Textum hunc: HOC EST CORPVS MEVM, QVOD PRO VOBIS DATVR: HIC EST

CALIX

CALIX NOVI TESTAMENTI, IN MEO SANGVINE, QVI PRO MVLTIS EFFVNDETVR IN REMISSIONEM PECCATORVM: *eſſe promiſſionem gratiæ & remiſſionis peccatorum additam ſigno: Et hanc promiſſionem neque additam eſſe orali manducationi, ſed ceremoniæ, quæ eſt ſumtio panis & vini, neq; promittere aut adiungere ceremoniæ talem eſum, ſed gratiam Dei: Et huius promiſſionis picturam ſeu ſigillum eſſe ceremoniam. Et ſicut, niſi promiſſioni auditæ credatur, non accipiuntur res promiſſæ: ſic niſi ſigno viſo & accepto credatur, nihil accipi rerum ſignificatarum, & non eſum corporis Chriſti oralem, ſed ceremoniam, ceremoniã eſſe inutilem, niſi fides accedat; Et quidem illa fides, quæ ſtatuat hic offerri remiſſionem peccatorum: Et hanc fidem, non autem fidem corporalis præſentiæ & manducationis, ſicut comminiſcuntur Theologi, erigere contritas mentes: Et hanc eandem fidem excitari verbo & ſigno viſibili: & per hæc duo operari Spiritum ſanctum, non autem per eſum oralem: Et vſum cum hac fide coniunctum eſſe cultum Noui Teſtamenti: Nouum porrò Teſtamentum eſſe, non eſum corporalem carnis Chriſti, vt illi aures hominũ concionalibus clamoribus obtundunt, Teſtamentum, Teſtamentum, Teſtamentum Chriſti à nobis reſcindi & violari vociferantes; ſed remiſſionem peccatorum, ſpirituales motus mortificationis & viuificationis, & totam Chriſti gratiam & cõmunionem: Non fieri commemorationem Chriſti ſine fide viuificãte corda, & accipiente Chriſti beneficia, ac proinde ſine hac fide nullum eſſe legitimum vſum Sacramenti, nec vllam Sacramenti rationem, quantum ad eos, qui hac fide carent: Simile eſſe hoc memoriale nouum veteri, videlicet agno paſchali. Ibidem ſæpiùs inculcatur,* Ceremonia eſſe vtẽdum ad laudem Dei, ceremoniam fieri ſacrificium laudis, ceremoniam non eſſe gratiarum actionem ex opere operato, ceremoniam non prodeſſe ſine fide.

Ex his iudicandum relinquimus omnibus piis, nóſne an ad-

uerſarÿ noſtri torqueant Auguſtanam Confeſsionem in alienum ſenſum. Nec eſt, quòd nobis dicant, nos velle interpretes eſſe alienæ Confeſsionis: Ipſa enim ſic ſe interpretatur, vt nullam niſi noſtrã in ea Confeſsionem poſsimus deprehendere. Nihil videmus, quid deſit, niſi quòd non expreſſe dixit, Corpus Chriſti non edi oraliter. Præmiſſas omnes, quibus nobis opus eſt, diſertiſsimè poſuit. Nobis nihil addendum reliquit, præter concluſionem neceſſariò ex illis ſequentem.

Sed conſideremus etiam alios interpretes authenticos & exceptione maiores.

Quotquot ſunt aut fuerunt Auguſtanæ Confeſsionis ſocÿ, fatentur, nec eſſe, nec ſe admittere aliam ſententiam ſuæ Confeſsionis, niſi quæ in Scriptura ſacra, in ſymbolis, & ſcriptoribus antiquis Eccleſiæ continetur. Cum his verò iam oſtendimus ſuprà, nos in doctrina de Perſona & Cœna Chriſti per omnia conſentire. Hoc igitur niſi priùs refutent, id quod hactenus facere non potuerunt, nunquam nos ſegregabunt ab Auguſtanæ Confeſsionis doctrina, niſi Confeſsionem Auguſtanam à Scriptura & veteri Eccleſia ſegregent. Conſentimus nos, & Confeſsio Auguſtana cum Scriptura & veteribus: Ergo & inter nos conſentimus.

Confeſſio VValdenſium à Luthero edita.

Edidit Lutherus ipſe Confeſsionẽ VValdenſium, cum ſua præfatione, qua teſtatur illam cum Auguſtana conſentire. Conſtat autem VValdẽſes retinuiſſe ſemper & retinere doctrinam VVicleſi & Huſsi, quæ non fuit diuerſa à noſtra: Conſtat ex ipſa Confeſsione VValdenſium, præſertim recognita, & ex eorum Apologia, eandem eſſe noſtram & ipſorum de perſona Chriſti & de Cœna ſententiam & Confeſsionem, vtcunque in veteri editione Confeſsionis obſcuriùs quædam dicant, propter vitandas Papiſtarum calumnias & inuidiam, quæ apud ipſos flagrabant, & retinendam fortaſſe Lutheri gratiam, ne vtrinque exciderent: quæ tamen ſatis luculenter explicant in Apologia. Si igitur iſti conſentiunt cum Auguſtana Confeſsione, qui ſentiunt nobiſcum, qui fit, quòd

quòd nos eam oppugnare dicimur?

Circa idem tempus anno XXXII, *in conuentu Principum Schvuinfurtenſi, Argentinenſis ciuitas, & ceteri Auguſtanæ Cõfeſſionis ſocij, mutuũ cõſenſum de vniuerſa religione teſtati ſunt, & vtrique alterorum Cõfeſſionem, tanquam cum ſua congruentem, ſic approbarunt, vt neutri à ſua recederent. Laudabile Chriſtianæ pacificationis exemplum; quod vtinam hodie ſequerentur pij Principes, & alij Cõfeſſionis Auguſtanæ Ordines, potiùs, quàm auſcultarent malis Theologorum iſtorum conſiliis, qui prætextu ſanationis vulnera Eccleſiæ deteriora faciunt. Noſtram in ea Cõfeſſione quatuor Ciuitatum doctrinam de Cœna Domini, à Bucero expreſſam eſſe fatentur, qui eam Confeſſionem inſpiciunt, fatentur etiam Theologi nobis aduerſarij, quos lucem tenebras, & tenebras lucem dicere ſaltem ex profeſſo pudet, quicquid alij, qui hoc vulnus vellent tegere, propter ſuas priores aſſeuerationes, contrà dicant.* Confeſſio quatuor ciuitatũ.

Apparet hinc falſiſſimum & iniquiſſimum Anathematiſtarum præiudicium, quo Eccleſiam Catholicam, excluſis noſtris Eccleſiis, intra pomeria ſua includere conantur, cùm dicunt, noſtros inde ab initio repurgati Euangelij, ab Auguſtana Cõfeſſione alienos fuiſſe, quia propriam Confeſſionem Imperatori obtulerint. Oſtendit enim res ipſa, & mutua vtrorunq; conſenſio, non fuiſſe illas in fundamento religionis Chriſtianæ diuerſas Confeſſiones: ſed noſtros ideò ſeorſum ſuam Confeſſionem obtuliſſe, quia videbant à ceteris Euangelium profitentibus quædam dici aduerſus errores & dominationem Pontificiam, obſcuriùs, quæ cùm ipſi nõ probarent, clariùs & apertiùs de his ſuam ſententiam profiteri, præſertim autem de Cœna Domini pleniùs & puriùs ſe explicare, & fortè ſuarum etiam actionum rationes reddere voluerunt. Si autẽ hoc ſeparat Confeſſiones & Eccleſias, ſecundùm horum Dictatorum ſentẽtiam, etiam Bohemicæ, etiã VVirtembergicæ, etiã Mansfeldicæ Eccleſiæ erunt ab Auguſtana Confeſſione, & ab Ec-

cleſia Catholica per peculiares ſuas Cõfeſsiones editas auulſa. Si propter ſuas cauſſas priuatas, hoc ſibi permittunt ſine periculo hæreſeos, cur noſtris idem non licuiſſet aut liceret? Sanè cùm oralem manducationem carnis Chriſti palàm repudiarent noſtri, quam Papiſtis concedebant alteri, neceſsitas coëgit ipſos ſtatim in principio teſtatum hoc apud omnes relinquere, ne ſi ſubſcribentes Auguſtanæ Confeſsioni ſimulaſſent de hoc capite cum illius autoribus conſenſum, vel inconſtantiæ & leuitatis, vel fraudis ab aduerſariis, & deſertæ veritatis à conſciẽtiis ſuis deinceps accuſari poſſet.

Reſtabat iam, vt ex aliis Confeſsionis Auguſtanæ, fide dignis, publicis, & apud intelligẽtes veritatem, imò apud multos etiam, qui libro Concordiæ ſubſcripſerunt, adhuc autoritatem inconcuſſam retinentibus interpretationibus, oſtenderemus, non alio, quàm quo nos accipimus, ſenſu eam accipiendam eſſe, vtpote, ex Confeſsione Saxonica, Examine Theologico, Locis communibus, Articulis Bauaricis, ex quibus libris conſtat Corpus doctrinæ Eccleſiarum Saxonicarum, à Philippo Melanthone collectum; ex commentariis item eius in priorem Epiſtolam ad Corinthios, in Epiſtolam ad Coloſſenſes, & aliis eiuſdem ſcriptis publicis & priuatis; niſi hac laboris parte nos leuaſſent Bergenſes Theologi, qui hac de cauſſa vetus doctrinæ Corpus, & omnes Philippi libros exautorant, quòd euidenter noſtram de Chriſto & de Euchariſtia doctrinam confirmant, illorum verò dogmata confutant. Sunt autem & erunt libri Philippi in manibus hominum, cùm illos vituperantium chartæ exoleuerint, & eſca blattarum ac tinearum factæ fuerint: & extant noſtrorum ſcripta, in quibus, quid vir ille de Vbiquitate, & orali eſu corporis Chriſti, ſenſerit, ac ſuo & publico Eccleſiarum nomine ſcripſerit, collectum & mõſtratum eſt. Vitandæ igitur prolixitatis non neceſſariæ cauſſa, illud hîc non repetemus.

Scripta Philippi exautorãtur à Theologis Bergenſibus.

Paucis dũtaxat admonuiſſe hoc loco ſatis eſſe putamus, fruſtrà ponere iſtos Theologos ſpem ſuæ victoriæ in exautoratione Corporis

poris doctrina & librorum Philippi. Oſtendimus enim iam, non aliam de Chriſto & ipſius Cœna doctrinam ex Confeſſione & Apologia Auguſtana poſſe elici, præter eam, quæ eſt in ceteris libris Corporis. Aut igitur illa cum his eiicienda ex Eccleſiis, & excutienda ex manibus hominum eſt, aut hi cum illa retinendi. Neq; difficile erit iudicare omnibus piis & prudentibus, multò iuſtius libros Corporis & Philippi agnoſci pro veris & idoneis interpretationibus Confeſſionis Auguſtanæ, atq; adeò pro ſana doctrinæ formula, quàm librum Bergenſem aut ſimiles, nec debere Confeſſioni Auguſtanæ poſtponi, aut ab ea diuelli. Cùm enim ab eodem autore, eâdē virtute, fide & pietate prædito, ſcriptæ ſint Confeſſio & Apologia, à quo reliqui libri Corporis; cur illarū erit maior autoritas, quàm horum? Si reſpondent, quia publico nomine ſcriptæ ſunt, receptæ & approbatæ à ſociis Confeſſionis, & præſertim à Luthero: Eadem de reliquis libris reſpondemus. Certè omnium Eccleſiarum nomine ſcripta eſt Confeſſio Saxonica, offerenda Cōcilio Tridentino, & in frequenti Synodo VVitembergenſi examinata & approbata. Loci communes lecti, correcti, laudati, & toti Eccleſiæ commendati à Luthero, elogio minimè ignoto: videlicet, Inde à tempore Apoſtolorum non eſſe ſcriptum librum de doctrina Eccleſiæ, meliorem locis communibus Philippi.

Confeſſio Saxonica.

Loci communes Philippi.

Et viuunt adhuc, qui audiuerunt, præcipuos ex Theologis Bergenſibus, prælegentes in Scholis publicis, libros Philippi inſertos Corpori, & dictantes in eos prolixa ſcholia. Ceteri libri cum his congruentes, eodem conſenſu docentium recepti ſunt, & cum Principū edictis publicati, vt eſſent deinceps forma doctrinæ in ipſorum Eccleſiis. Non ergo ampliùs iam ſunt Philippi, ſed Eccleſiarum libri, confeſſiones & declarationes: & in illis non Philippi priuata, ſed tot Eccleſiarum publica doctrina & Confeſſio abiicitur.

Ex his patet, non clàm obtruſam eſſe Eccleſiis Philippi doctrinam de Chriſti perſona & de Cœna, vt importuni iſti Theologi

cauillantur; ſed publicè traditam, examinatam, probatam, receptam, ac multos annos contra omnium maleuolorum morſus defenſam, & nondum vel ab iſtis nouis Theologis, vel à quoquam alio falſitatis conuictam eſſe. Neq; potuit hactenus à quoquam demonſtrari aliorum Philippi librorum à confeſſionis Auguſtanæ fundamento diſcrepantia. Cumq; ſint ſcripti & recepti poſt annorum circiter XL *meditationes, lectiones, diſputationes, collationes cum amicis & aduerſarijs, non iniuria tanquam* δεύτεραι φροντίδες σοφώτεραι *infra Confeſſionem & Apologiam non ſunt abijciendi.*

Non igitur poteſt excuſari audacia Theologorum, his declarationibus Confeſſionis abrogatis librum Bergenſem ſubſtituentium. Corpus doctrinæ Saxonicum, in articulis de Chriſto & de cœna, continet ſe intra limites Scripturæ, Symbolorum, Patrum, & Confeſſionis Auguſtanæ: Liber Bergenſis noua de his & abſurda dogmata in Eccleſias inuehit: ideoq; non eſt declaratio, ſed deprauatio veræ Confeſſionis, ædificium non quadrans ad fundamentum, & gloſſa repugnans textui. Corpus doctrinæ dignum eſt nomine corporis: quia omnium doctrinæ Chriſtianæ capitum iuſtam explicationem complectitur, proprio, vſitato, & perſpicuo ſermonis genere, & ad docendum accõmodata methodo, partium analogia & conſenſu ſcriptam: Liber Bergenſis mutila, rudis, indigeſtaq; moles, obſoletas quaſdam hominum turbulentorum rixas, ἀκυρολογίας, θαύματα ῥημάτων, & ſententias, neque inter ſe neque cum veritate conſentientes propinat: Ideò Corpus doctrinæ ab omnibus Auguſtanæ Confeſſionis ſocijs, & alijs Eccleſiis probatũ eſt, & conſenſum earum fouit; Liber Bergenſis, iuſtiſſimis de cauſſis, à pluribus exploditur quàm recipitur, & eſt μῆλον ἔριδος in Eccleſiis.

Liber Bergenſis non declaratio ſed deprauatio eſt veræ Confeſsionis.

Neq; ſane id mirabitur, qui cogitat, Corpus doctrinæ ſcriptum eſſe ab eo viro, cuius excellens virtus & ſapientia, integritas, doctrina & pietas, ſanctitas, candor, modeſtia, patientia, φιλησυχία, εὐταξία, ſingularis naturæ bonitas, & omnibus benefaciendi ſtudi-

Philippus Melanthõ

ſtudium, in ipſius ſcriptis, conſiliis & actionibus, tota denique vita & moribus ſpectata, ac bonorum & prudentum omnium, etiã Principum & aliorum ſummorum virorum teſtimonio ornata fuere & cõtra omnium inuidorum & liuidorum latratus & conatus ſubſtitere: Qui propter exploratã eruditionem & fidem, iuſſus à ſociis Auguſtanæ Confeſsionis, ſcripſit & Confeſsionem & Apologiam, omneſq́ eius Repetitiones & Declarationes, & puritatem doctrinæ defendit cum laude, & cum ſalute Eccleſiæ contra omnes aduerſarios, quibus, dum vixit, terrori fuit, non metuẽtibus clamoſos iſtos theologaſtros: Qui apud omnes Eccleſias domi foris in gratia & pretio fuit; tolerantia, labore non imitabili, vocationi ſuæ incubuit, nunquam ingeſſit ſe alienis negotiis, gloriæ aut lucri ſtudio: ſæpe autem euocatus ad Eccleſiarum & Scholarũ conſtitutionem, controuerſiarum diiudicationem & compoſitionem, veram pietatis & prudentiæ felicis laudem reportauit: Qui commendatus eſt Eccleſiis à Luthero, non ignorante ipſum à ſe diſſentire de Cœna Domini, & tamen agnoſcente ipſum Orthodoxum, nec patiente à ſe diuelli, vtpote quem ſentiret ſibi adiũctum eſſe à Deo, vt Euangelium latiùs & feliciùs propagaretur, & per ipſum ad diſputandum & ſcribendum aptiorem, totum Syſtema doctrinæ Chriſtianæ in Eccleſiis Germanicis explicaretur, & ſuo nitori reſtitutum quaſi conſpectui ſubiiceretur; quod ex Lutheri libris non tam facilè fuiſſet colligere: & opus repurgationis & inſtaurationis Eccleſiarum in Germania, per Lutherũ incoatum, per ipſum perficeretur & expoliretur; Qui deniq́ etiam iſtorum ſcriptis laudatus, præceptor & interpres Auguſtanæ Confeſsionis eſt agnitus, qui nunc tam immani odio in ſcripta & autorem exarſerunt, & quem viuum contueri non fuiſſent auſi, in eum nunc mortuum hoſtiliter incurrunt & ſæuiunt.

Libri autem Bergenſis fabricatores, quàm ſint illi ſimiles aut diſsimiles, ipſorum ſcripta & actiones & tota Germania teſtari poſſunt; vt non opus ſit à nobis adiungi hic antitheſin. Cur igitur,

cùm de Auguſtanæ Confeſſionis ſententia quæritur, hos potiùs audiamus, quàm illum, doctiſsimum, optimum, fidiſsimum, & fide digniſsimum interpretem?

Scimus, quid excipiant: Cùm Confeſſionem ſcriberet, erat adhuc in ſententia Lutheri de Cœna Domini, à qua poſtea defecit: Itaque ſcripta ipſius poſteriora non pari ſunt cum prioribus puritate & autoritate. Itáne verò? Quiſquis à Lutheri opinione defecit, à Confeſſione Auguſtana defecit? Cur igitur in libris poſterioribus nihil eſt de Cœna Domini ab ipſo ſcriptum, quod non in Confeſſione & Apologia verbis aut iiſdem, aut idem valentibus, comprehenſum eſſe, paulò antè demonſtrauerimus? Cur, excepto ſolo decimo articulo in Confeſſione & Apologia nullus eſt locus, qui Lutheri ſentētiam confirmet, inter tam multos, qui noſtram luculentiſsimè explicant & ſtabiliunt, vt non ſit nobis opus aliis armis, ad Lutheri opinionem euertendam? Cur etiam ipſe x articulus tam conciſè, ieiunè, obſcurè & ambiguè ſcriptus eſt? Cur adeò cum ceteris de Cœna Domini locis non congruit, ſi ſecundùm Lutheri ſententiam exponatur?

Ipſa ſcilicet res clamat, hæſiſſe eum tunc in Lutheri opinione, ſed autoritatem potiùs Lutheri, quàm ſuum iudicium ſequētem: fundamenta veræ doctrinæ de Sacramentis habuiſſe, ſed totum ædificium nondum ſuperſtruxiſſe: viam veritatis ingreſſum fuiſſe, ad metam autem tum nondum perueniſſe. Nōdum enim Deus aperuerat ipſi oculos. Hinc illa vacillatio non ſatis ſibi conſtans: Hinc factum, vt quamuis Luthero nondum repugnans, illius tamen ſententiam non acriter expreſſerit, ſed verbis ambiguis, & generalibus, & Pontificios quàm minimùm offendentibus ſcripſerit, vt tam Papiſtæ & noſtri, quàm Lutherus in ſuam ſententiam ea poſſent accipere. Ideò nec admiſcuit ſe Lutheri bello Sacramentario. Teſtimonia Patrum duntaxat collegit, pro Lutheri ſententia: Verùm poſtquam ei de illis reſpondit Oecolampadius, nihil poſthac ſimile ſcripſit, ſed in iactis feliciter Apologiæ fundamentis

mentis ſe continuit. Contentio igitur Lutheri de Cœna Domini priuata & propria illius lis ſeu cauſſa fuit potiùs, quàm publica Confeſſionis Auguſtanæ: & ab illius veſtigiis Lutherus potiùs, quàm Philippus diſceſſit, qui ex certaminum conflictu, & veterum accuratiori inſpectione, meliùs rem cognoſcens, non à veritate defecit, ſed in ea profecit. Accidit idem multis præſtantibus & doctis viris, qui Lutheri ſententiam acriter defenderunt; & tamen, cùm viderent, ſe veris argumentis vinci, non grauatè ab ea diſceſſerunt. Hic ergo Philippi profectus, non imminuit, ſed magis confirmat autoritatem ſcriptorum poſteriorum, apud amantes veritatis, vtpote, quæ à iudicio meliori ſint profecta.

Sed alios tamen ſocios Confeſſionis aliter eam intellexiſſe dicunt, vt magis quid illi ſenſerint, quàm quid Philippus, videndum ſit. Reſpondemus primùm, etiamſi omnes vnà cum Luthero bene vel ambiguè dicta malè intellexiſſent; non tamen inde conficitur, non licere aliis eadem intelligere meliùs. Ipſam quoq; Scripturam, Cyrillum, & reliquam antiquitatem, Lutherus, & cum ipſo ſentientes, malè in hoc articulo intellexerunt; nec tamen illorum error quicquam præiudicat Eccleſiis. Sic etiam, quæ ab ipſis rectè dicta ſunt, & perſpicuè, cur abiiceremus, aut in partem deteriorem cum ipſis manifeſta violentia detorqueremus? quæ autē dixerūt impropriè, obſcurè, ambiguè, cur non ſecūdùm illa interpretaremur, & quæ prauè, ſecundùm illa corrigeremus? An non omnium rectè & prudenter diſputantium eſt officium, ſi quas veras hypotheſes concedit aduerſarius, quibus ipſius euertatur opinio, his ad illum conuincendum vel inprimis vti? Sæpe enim accidit humanæ infirmitati & ignorantiæ, vt rectè ſentientes de principiis, tamen errent de concluſionibus, quæ ex illis ſequuntur; dum earum conſequutiones non intelligunt, aut non conſiderant. Sic illi non viderunt, & aliqui ne nunc quidem vident, decimum ſuum articulum, eo ſaltem, quo ipſi volebant, ſenſu acceptum, non

congruere cum iis, quæ alibi in confeſſione & Apologia, veritatis euidentia & robore coacti, probabant, & profitebantur.

Quantò igitur honeſtiùs, prudentiùs, & magis piè faciunt, qui rectè à maioribus dicta, rectè accipiunt, & vel ex his incommodiùs dicta interpretãtur, vel relinquunt, quàm qui peruicaci erroris defenſione vel bene & verè dicta, per malè & perperam dicta corrumpunt aperta violentia, vel eos, qui vtraq; illa dixerũt, ſecum committunt, & ipſorum, quem honeſtè tegere poterant, lapſum traducunt?

Secundò etiam hoc nos veriſſimè dicere publicè notum eſt; Quòd nequaquam omnes Confeſſionis ſocij ſemper eam intellexerunt ſecundùm Lutheri opinionem. Conſtat, pleroſque doctos & præſtantes viros in Germania, non ſic eam intellexiſſe, vt Caſp. Crucigerum, Vit. Theodorum, Andr. Hyperium, Alex. Aleſium, Mart. Bucerum, Capitonem, Fagium, Hedionem, & plurimos alios, imò quoſdam etiam ex ipſis illis Ordinibus Imperij, qui primi eam obtulerunt Imperatori; qui tamen Cõfeſſionis autores & ſocij fuerunt agniti, etiam ab ipſo Luthero, licèt ſciret eos diſſentire à ſuo dogmate, & videret, eos paruam ipſius Confeſſionem, & alia de hac re contentioſa ſcripta vehementer improbare.

Nec eam ſic intellexerunt Brentius, & quæ cum eo ſenſerunt, Sueuicæ Eccleſiæ, vſque ad promulgationem libri INTERIM, *vt oſtendit Exegeſis Brentij in Iohannem, qua ſic loquitur:* Corpus & ſanguinem Chriſti per verbum & Sacramenta, tanquam per inſtrumenta exhiberi fidei: Panem & vinum ore corporis; corpus & ſanguinem Chriſti verò accipi ore fidei, & cõmunicari nobis per panem, ſicut per verbum & per Baptiſmum: Panem & vinum non mutari in corpus & ſanguinem Chriſti, nec in pane & vino carnaliter ſubſiſtere corpus & ſanguinem. *Quòd autem ad vitandam Lutheri offenſionem, videtur improbare has loquutiones: Panis ſignificat corpus, vel, Eſt ſignum corporis: id cum Lutheri ſententia eos non conciliat.*

ciliat. Non enim ſimpliciter negat, panem eſſe ſignum; ſed docet, eſſe ſignum & ſimul inſtrumentum, per quod FIDEI *communicatur corpus Chriſti. Hæc autem* λογομαχία *eſt. Nam neque noſtrum quiſquam negauit, Sacramentum eſſe verbum viſibile, ac proinde inſtrumentum, quo Deus interuentu fidei, verè nobis exhibet & impertitur ſua beneficia, non minùs, quàm per verbum Euangelij. Et tamen hi omnes ſemper ſunt habiti Auguſtanæ Confeſſionis ſocij, etiam antequam Vbiquitatis vllam mentionem feciſſent.*

Neque ſic intellexerunt eam quatuor Ciuitates, vt teſtatur earum Confeſſio, Auguſtæ exhibita: neque qui approbarunt formulam Concordiæ VVitembergenſis: In vtraq; enim noſtra doctrina continetur. Et tamen, qui has amplectebantur, & ſciente Luthero eiusq; collegis retinebant earum ſententiam, quam hodie profitemur; pro ſociis Auguſtanæ Confeſſionis ſunt habiti.

Neq; ſic intellexerũt eam Eccleſiæ fratrum Bohemicorum; quorum tamen Confeſſionem priùs editam Tiguri, aliquoties VVitẽbergæ edidit Lutherus, & præfatione ſua teſtatus eſt, ſe illos aliquando habuiſſe pro hæreticis, ſed poſtea deprehendiſſe Orthodoxos, & ſe cum illis in vnum ouile fidei Chriſtianæ ſub paſtore Chriſto perductum eſſe.

Neque ſic intellexit eam Eccleſia Francofurtenſis, cùm Bucerus non ſecundùm ſententiam Lutheri, ſed ſecundùm formulam Concordiæ cum Luthero, ſecundùm Confeſſionem Ciuitatum, & ſecundùm ſuas retractationes, cõpoſuit ibi ortam controuerſiam de Cœna: Et tamen ea nunquam à ſocietate Confeſſionis Auguſtanæ excluſa eſt.

Denique non ſic intellexerunt eam, qui continuerunt ſe intra metas decreti Principum Francofurtenſis & Naumburgenſis, repetitæ Confeſſionis, atq; adeò totius Corporis doctrinæ & ſcriptorum Philippi. In his enim omnibus ij tantùm improbantur, & à ſocietate Confeſſionis excluduntur, qui in Cœna Domini nuda ſi-

gna ſtatuunt, ſine vera & viuifica corporis & ſanguinis Chriſti communione: Hanc verò qui agnoſcunt, etiamſi præſentiam & eſum corporalem non admittant; nec reprehenduntur, nec refutantur: Imò recitantur ea fundamenta, quibus horum ſententia confirmatur, contraria verò euertitur. Et tamen hi omnes, ſicut reuerà fuerunt & ſunt, inter ſocios Confeſſionis Auguſtanæ ſemper ſunt habiti, donec noui iſti interpretes paulatim coëuntia Eccleſiæ vulnera, velut vngues in vlcere denuò refricarunt.

Ex his manifeſtum eſt, nos Confeſſionem Auguſtanam nequaquam torquere in alienum ſenſum, vt nos accuſant Theologi, ſed quod in ea deſideramus, liberè reprehendere, & veram eius ſententiam, ex ipſius verbis, & interpretibus multò melioribus ac fide dignioribus ſumere, quàm eſt liber Bergenſis. Nullus eſt veterum Scriptorum Eccleſiæ, in quo non aliqua occurrunt obſcurè, impropriè, quædam etiam perperam dicta, quædam ambiguè, quæ ab aduerſariis arripiuntur, ad veram doctrinam obſcurandam. Talia dicta veterum, etſi liceat oppoſito illis verbo Dei reiicere: tamen homines pios, modeſtos & candidos, imò etiam prudentes decet, ea potiùs commoda ex verbo Dei, & aliis eorundem & aliorum ſcriptorum locis clarioribus & purioribus petita interpretatione lenire, & corrigere, & ex manibus aduerſariorum extorquere, quàm præter neceſſitatem ipſis veterum teſtimonia concedere, quæ in ſpeciem ſanæ doctrinæ repugnãt. Idem nos in Confeſſione Auguſtana, ſalua pietate, veritate & conſcientia, facere poſſe ac debere exiſtimamus. Demonſtrauimus ergo nos prætextu Confeſſionis illius damnari nõ poſſe: cùm quia verbo Dei, & veteri Eccleſiæ conſentanea; tum quia ne confeſſioni quidem Auguſtanæ repugnantia docemus.

CAPVT

Capvt vi.

De autoritate Lutheri.

Hic verò nobis Theologi poſtremam ſuam machinam admouent, in qua ſpem omnẽ victoria collocant, cùm alia ipſorum tela omnia iam ab aliquot annis, ſic ſint excepta, cōfracta, repulſa, & in ipſos retorta, vt etiam in puerorum fabellas abierint.

Quicquid alij Confeſsionis Auguſtanæ ſocij ſenſerint; Doctorem Lutherum tamen aiunt aliter eam intellexiſſe, qui ſit habendus præcipuus autor Confeſsionis, & omni exceptione maior interpres: Et cuius libri debeant eſſe norma & commentarius, & intelligendæ Confeſsionis & doctrinæ in omnibus Eccleſiis, & deciſionis controuerſiarum: Ab huius ergo ſententia de corpore Chriſti & Cœna Domini cùm diſcedamus; etiam à Scriptura & Confeſsione Auguſtana & Eccleſia Catholica nos diſſentire, ac proinde hæreſeos iuſtè condemnari concludunt; ſuumq; librum, quia cum Luthero faciat, Auguſtanæ Confeſsioni congruere, nos autem à Luthero diſſentientes cum ea pugnare, ſubinde inculcant. Atque iccircò cùm libri Bergenſis dogmata, ſine valido aliquo ferrumine, cum Auguſtana Confeſsione & Apologia connecti & cohærere non poſſe animaduerterent, exciſis ex Corpore doctrinæ libris à Philippo ſcriptis, Catechiſmos & articulos Schmalcaldicos Lutheri, in locum eorum repoſuerunt, vt per illos libro ſuo aditum in Confeſsionem, & nouum doctrinæ Corpus facerent.

At hîc poſſumus rurſus vno verbo reſpondere, fruſtrà Deo opponi homines. Antequam igitur Theologi oſtendant, nos à Deo diſſentire & condemnari; nihil agunt opponentes nobis opinionem & condemnationem Lutheri. Sed propter illos, quibus fucum faciunt, de autoritate ſcriptorum Lutheri de Cœna Domini, coëgerunt, & nunc iterum cogunt nos admonere viros pios & corda-

tos in Germania,quæ cautione opus ſit in lectione librorum Lutheri,quandoquidem Lutheri nomen præcipuum,imò ſolum eſt ipſorum doctrinæ fundamentum:quæ enim alia eius firmamenta afferunt,ea dicis cauſſa potiùs prætexunt, quàm quòd illorum robore confidant.

Reſpondemus igitur huic Theologorum argumento, quod antehac toties reſponſum eſt,ſententiam & ſcripta Lutheri,præſertim de humana natura Chriſti,& de Euchariſtia, nequaquam oportere normam eſſe exponendæ vel Scripturæ, vel Auguſtanæ Confeſſionis,vel iudicandi de doctrinæ veritate, & diſcernendi Orthodoxos ab hæreticis. Teſtamur autem coram Deo & Eccleſiis,nos Lutheri nomen neq; odiſſe neque contemnere,ſed eum tanquam virum ſanctum,& inſignem Dei ſeruum, quanquam grauiter & immeritò in nonnullis ſcriptis ab eo diffamatos, amare & venerari;neq; hoc agere, vt veras ipſius laudes minuamus aut obſcuremus,verùm illud potiùs,vt honorem ipſi debitum & conuenientem afferamus,aduerſus illorum importunitatem, qui immodicis & falſis elogiis, ipſum in locum non ſuum extollentes, etiam de ſuo deiiciunt,& non modò Lutherum ignominiis, ſed etiam Eccleſiam Dei iniuriis grauibus afficiunt.

Lutherus. *Nec controuerſum eſt,nec id vel Eccleſiæ vel pij omnes & prudentes diffitentur,ornatum fuiſſe Lutherum à Deo multis excellentibus donis & virtutibus;ingenio,luce doctrinæ cœleſtis, eruditione,eloquentia,prudentia & ſapientia, zelo gloriæ Dei, magnitudine animi aduerſus omnes impetus inuicta; diuinitúsque formatum & excitatum ad Eccleſiam Chriſti, his poſtremis temporibus,tyrãnide ac tenebris Antichriſti horribiliter oppreſſam, in libertatem & lucem Euangelij vindicandam, & deſtruendam magnam partem regni Antichriſtiani: Multæ res maximæ, Eccleſiaſticæ & politicæ,ipſius conſilio gubernatæ & geſtæ feliciter; & haud dubiè ardore fidei & precum ipſius magna ex parte, ſucceſſus proſperi & pax,dum vixit,à Deo impetrata eſt, quæ ſtatim*

poſt eius mortem turbari cœpit, mundo pœnas ingratitudinis luente. Hæc Dei beneficia, ingrati & impij ſimus, ſi non agnoſcamus & celebremus.

Ceterùm ex his omnibus non poteſt nec debet colligi, Lutherum & ipſius ſcripta pro norma doctrinæ Eccleſiaſticæ habenda eſſe, cum qua quicquid congruit, Orthodoxum, à qua quicquid diſcrepat, hæreticum pronuncietur.

Principio enim, ad intelligendum rectè articulum fidei: Credo Eccleſiam Catholicam: *ſcitu & obſeruatu neceſſarium eſt ingens diſcrimen, quo differunt à Prophetis & Apoſtolis, omnes alij miniſtri & doctores Eccleſiæ. Nulli prorſus alteri doctori, præter Apoſtolos & Prophetas, competit autoritas illa iudiciaria, vt ipſius doctrina ſit regula fidei & Religionis. Cùm ergo Lutherus non fuerit Propheta vel Apoſtolus; non ſunt ad dogmata & verba ipſius alligandæ Eccleſiæ & conſcientiæ, mentes & linguæ omnium, quaſi ab illis diſcedi non poſcit, ſine diſceſſione à Deo, à veritate, & ab Eccleſia.*

De diſcrimine inter Prophetas & Apoſtolos: & alios Eccleſiæ doctores.

Diſcrimen hoc, ſi plerisque in Germania, etiam non malis hominibus, eſſet magis in conſpectu, aut ab ipſorum concionatoribus diligentiùs explicaretur, minùs fortaſsè laboraretur ſchiſmatibus.

PRIMVM *enim Prophetæ & Apoſtoli, ſunt doctores immediatè edocti & illuminati à Deo, ſiue per Dei aut Angelorum colloquia, ſiue per viſiones & reuelationes diuinas, & Spiritus ſancti inſtinctum; & vocati ac miſſi à Deo ad genus humanum, vt nunciarent hominibus mandata immediatè ab ipſo Deo accepta, quorum mentes, linguæ & manus ſic à Spiritu Dei gubernatæ fuerũt, vt nihil neq; voce neque ſcriptis, Dei nomine credendum aut faciendum Eccleſiæ propoſuerint & præceperint, quod non ſit oraculũ diuinũ, tã quod ad verba, quàm quod ad ſentẽtias attinet. Ceteri autẽ doctores, mediatè, hoc eſt, per homines, & præſertim per vocẽ Propheticã et Apoſtolicã, inſtituti, delecti et vocati ſũt ad docendũ,* 1.

ideoq́ loquuntur & ſcribunt non immediatè ſibi dictata à Spiritu ſancto, ſed lecta vel audita, & explicata verbis, quæ humano ſtudio & meditatione iudicantur idonea, ad Prophetarum & Apoſtolorum doctrinam declarandam, & accommodandam ſibi & aliis: Et propterea hæc explicatio fit ab aliis feliciùs, ab aliis infeliciùs, pro diuerſitate & menſura donorum, vnicuiq́ à Deo conceſſa.

Huc pertinent omnes narrationes in Scriptura, de patefactionibus diuinis, quæ factæ ſunt Patribus & Prophetis, & de vocatione Apoſtolorum: Et illa dicta: Factum eſt verbum Domini ad
a Ieſ.38.4. *a Ieſaiam, ad b Ieremiam &c: c Spiritus Domini loquutus eſt per*
b Iere.1.2. *me: d Poſui verba mea in os tuū: e Omnis Scriptura eſt à Deo inſpi-*
c 2. Sam. 23.2. *rata: f A Spiritu ſancto impulſi loquuti ſunt ſancti Dei homines:*
d Ieſ.51.16. *g Non vos eſtis, qui loquimini, ſed Spiritus Patris veſtri, loquens*
e 2. Tim. 3. 16. *in vobis: h Noui hominem raptum in tertium cœlum &c: i Loque-*
f 2. Pet. 1. 20. *bantur, ſicut Spiritus illis dabat eloqui.*
De Timotheo autem, & aliis miniſtris Eccleſiæ, dicitur: k A
g Matth. 10.20. *puero ſacras literas noſti, quæ poſſunt te ſapientem reddere ad ſa-*
h 2. Cor. 12.2. *lutem &c. Et de Apollo: l Vir potens in Scripturis, ſciens tantùm*
i Act.2.4. *Baptiſma Iohannis; Aquila autem & Priſcilla, accuratiùs ei expo-*
k 2. Tim.3. *ſuerunt viam Dei: Item de omnibus docentibus; m Attende le-*
l Ac.18.24. *ctioni: n Hypotypoſin tene ſanorum ſermonum, quos à me audi-*
m 1. Tim. 4.13. *uiſti: o Quæ audiuiſti à me multis teſtibus, hæc committe fidis ho*
n 2. Tim. 1.13. *minibus, qui idonei ſint etiam ad alios docendos.*
o 2. Tim. 2.2. *Prophetæ & Apoſtoli habent teſtimonia diuina ſuæ doctrinæ, miracula & vaticinia, quæ non poſſunt aliunde niſi à Deo profi-*
2. *ciſci, & quorum euentu teſtatur Deus, illos per quos iſta eduntur, verè ſuos legatos eſſe, & verè ſuam voluntatem & vocem eſſe eam doctrinam, quam Dei nomine perferunt ad homines: Hæc te-*
p Marc.16.20. *ſtimonia in hunc finem à Deo edita, non habent alij doctores. p A-*
poſtoli egreſſi prædicabant vbiq́, Domino cooperante & ſermonē
q 2. Cor. 12.12. *confirmante per conſequentia ſigna. Et Paulus inquit: q Signa*

Apo-

Apoſtoli peracta ſunt inter vos in omni potentia, in ſignis & prodigiis & virtutibus. Et Micha: Si reuerſus fueris in pace, Dominus non ſit loquutus per me. 1. Reg. 22. 28.

3. *Propter hunc vocationis & inſtructionis modum, & propter hæc teſtimonia, certa eſt Eccleſia de veritate doctrinæ Propheticæ & Apoſtolicæ; Et omnes homines obligati ſunt ad eam, tanquam ad ipſum* DEVM *loquentem cœlitus, audiendam, eiq; credẽdum & obtemperandum, ſine exceptione, quàm primùm veram eius ſententiam cognouerint. Hæc ſola eſt norma omnis doctrinæ de Deo & eius cultu, à qua quicquid eſt alienum, expungendum eſt ex albo dogmatum Eccleſiæ, & de cuius veritate, ſcientibus eam eſſe Propheticam & Apoſtolicam, dubitare nefas eſt. Aliorum verò doctorum omnium dicta & ſcripta omnia, ſubiecta ſunt examini ac cenſuræ, vt non tantùm, quid dicant, ſed etiam an verum dicant, quæri oporteat, hoc eſt, an cum Scriptura Prophetica & Apoſtolica congruat, & ſi congruit, recipiatur, ſi non congruit, repudietur. Non enim ſemper, nec omnia loquuntur aut ſcribũt inſtinctu Spiritus ſancti, ſed poſſunt aliquando errare, & errant, quoties vel ignorando aliqua, vel incommodiùs loquendo, vel humanis cogitationibus indulgendo, à Scriptura deflectunt.*

Hoc diſcrimen tradit Apoſtolus: Tanquam ſapiens architectus fundamentum poſui, præter quod nullum poni poteſt; alius autem ſuperſtruit ſuper hoc, aurum, argentum, lapides pretioſos; alius ligna, fœnum & ſtipulam. Item: Sumus ædificati ſuper fundamentum Prophetarum & Apoſtolorum. Item: Habemus firmum Propheticum ſermonem: Probate Spiritus an ex Deo ſint. 1. Cor. 3. 10 Eph. 2. 20. 2. Pet. 1. 19. 1. Ioh. 4. 1.

Manifeſtum eſt etiam hoc diſcrimen in exemplis. Soli Prophetarum & Apoſtolorum libri, nullius neque rerum, neque verborum erroris aut vitij, nullius contradictionis poſſunt conuinci: Sicut dicitur: Eloquia Domini, eloquia munda, argentum igne examinatum in vaſe teſtaceo, purgatum ſepties. Omnes autem alij doctores veteres & recentes, aliquid interdum habent, Pſ. 12. 7.

quod reprehendi poſsit, ſiue in dogmatibus, ſiue in verbis, ſiue in explicatione aut accommodatione locorum Scripturæ. Itaq; ſine omni ipſorum iniuria aut contumelia, leguntur ſcripta, & audiuntur ſermones eorum, cum iudicio, nec plus eis creditur, quàm è Scriptura confirmant; & in cuiuſque rei explicatione aliis alij præſcrũtur, prout ad veritatẽ & ſcopũ propiùs acceſsiſſe videtur;
1. Cor. 14. 29 30 *vt Paulus præcipit: Prophetis loquẽtibus, ceteri diiudicent: quòd ſi alteri fuerit reuelatum, prior taceat: nam Spiritus Prophetarũ*
Epiſt. 48. *ſunt Prophetis ſubditi. Et Auguſt.* Epiſcoporum ſcripta non ſic leguntur, tanquam ita teſtimonium ex eis proferatur, vt contrà ſentire non liceat, ſicubi aliter ſapuerint, quàm veritas poſtulat: In eo quippe numero ſumus, vt non dedignemur etiam nobis ab Apoſtolo dictum accipere: Et ſi quid aliter ſapitis, id quoque Deus vobis reuelabit.

An Lutherus ſit Propheta.

Scimus iſtos Theologos, qui malunt ſubſiſtere in Catechiſmo Lutheri, quàm ſcrutari Scripturas, magnis clamoribus regerere; Lutherum eſſe Prophetam, quia & ipſe ſit immediatè, & extra ordinem à Deo excitatus ad officium Propheticum, videlicet, repurgationem Eccleſiæ; quia miracula fuerint res ipſius geſtæ & ſucceſſus, & multa futura prædixerit; ideoq; ſine exceptione tanquam Prophetam audiẽdum, qui errare non potuerit; nec deſunt, qui Lutheri vaticinia collecta ediderint.

Prophetæ propriè dicti qui.

Ne illudant nobis ambiguitate vocabuli; Prophetæ in veteri Teſtamẽto fuerunt doctores, vt dictum eſt, immediatè & extra ordinariam vocationem, miſsi à Deo ad declarandam & repurgandã doctrinã Legis, & illuſtrandam nouis oraculis promiſsionẽ de Meſsia; habentes teſtimonia diuina, quòd non errarent in doctrina. Sed etiam in Nouo Teſtamento nominantur Prophetæ,
1. Tim. 4. 1. *qui habebant donum prædicendi res futuras, quale eſt Pauli vaticinium de poſtremis temporibus, & ſecundo aduentu Chriſti:*
1. Theſſ. 4. 13. *quale item Agabi de captiuitate Pauli: aut qui habent donum ex-*
Act. 21. 11. *plicandi, & ad vſus Eccleſiæ accommodandi doctrinam Prophe-*

tarum,

tarum, non autem accipiunt à Deo noua oracula, quibus aliquid patefactionis diuinæ addatur olim traditis & confirmatis, ſed ad vocem Prophetarum & Apoſtolorum alligati ſunt: De hoc dono Prophetiæ dicitur 1 Cor. 14.3. Qui prophetat, loquitur hominibus ad ædificationem, exhortationem & conſolationem.

Si hoc tertio ſenſu nominant Lutherum Prophetam, loquuntur quidem cum Scriptura: ſed hoc genus prophetiæ habuerũt & habent, & noſtræ & ipſorum Eccleſiæ, vt ad ſolum Lutherum nõ ſit reſtringendum; neq; hoc donum eximit doctores cenſuræ & periculo erroris. Sed hic eſt quæſtio de prima vocis ſignificatione, quæ ſola facit doctrinam irreprehenſibilem. Hanc prophetiam qui Luthero arrogant, ſe & alios fallunt.

Teſtantur libri ipſius, teſtatur hiſtoria vitæ ipſius, in ſcholis inſtitutum fuiſſe, didiciſſe linguas & bonas artes, & qualis tunc erat, Theologiam: Legiſſe autem diligenter Scripturam, & Auguſtini atq; aliorum libros; ex quibus hauſit initia illius lucis, quæ poſtea diſputationum vſu & ſtudio, aucta in ipſo paulatim, & cõfirmata ſunt. Fuit etiam vocatus ad docendum ordinariè à Principe ſuo, & ab Academia VVitembergenſi. In hac vocatione debuit veritatem agnitã non reticere. Etſi autem Deus ipſi oſtendit corruptelas Pontificias, quas pleriq; tum nondũ videbant; tamen hanc lucem in eo accendit, non immediato inſtinctu, ſed per media ordinaria, lectionem ſacræ Scripturæ, meditationem, & ſententiarum collationem. Lutheri vocatio.

Miraculum autem quod ediderit, nullum audiuimus: Nam fortunatio & defenſio curriculi ipſius, fuit beneficium Dei ordinarium, ſecundùm promiſſiones datas ipſum timentibus, ipſi fidentibus, & ipſum inuocantibus in labore vocationis. Quæ autẽ prædixit de pœnis ingratitudinis pro luce Euangelij donata, vel ſimilia, non ſunt noua oracula, ſed veterum oraculorum Scripturæ, ad noſtra tempora accommodatio, quam facere poſſunt & debent etiam alij fideles & prudentes Eccleſiæ doctores & miniſtri; Miracula. Prędictiones.

Functio prophetica.

pertinet enim ad prophetiam tertio modo dictam, ſicut & quod de functione prophetica dicunt: Nam eſt omnium fidelium doctorum, ſi doctrinæ & cultus diuini corruptelas ex verbo Dei deprehenderint in Eccleſiam irrepſiſſe, illas detegere, & ſuo loco dare operam vt corrigantur.

Doctrina examini nō exēta.

Hinc tertium quoque patet, quòd ipſius doctrina examini non eſt exemta: Nunquam enim Lutherus ſibi arrogauit hoc priuilegium Propheticum, & officium aliquid addendi Scripturæ, neq; vllum aliud argumentum protulit, aut proferre debuit, quare ipſius doctrinæ credendum ſit, niſi quia cum voce Prophetarum & Apoſtolorum congrueret: Non igitur ipſe eſt norma, ſed ad normam Scripturæ examinandus, non minùs quàm alij doctores.

Neque verò eſt æquum, anteponi & opponi Lutherum ſolum omnibus ſcriptorib⁹ antiquis & recētioribus, & ex ipſius ſcriptis de omnibus ferri ſententiam, nedum hæreſcos damnari omnes, qui cum illis non conſentiunt. Veteres enim tot ſeculis, ante quot vixerunt, orthodoxos agnouit Eccleſia vniuerſa: nec recentium veteribus, ſed potiùs veterum conſenſus recentibus autoritatem conciliat: ideoq; veteres etiam aduerſariis opponi poſſunt, non autem Lutherus vel alij Neoterici. Habuerunt, & habent alij quoque ſua dona, alij alia, quæ variè Deus diſtribuit, nec Luthero vel cuiquam alteri dedit omnia: Fuerunt etiam alij inſtrumenta Dei inſignia, & Eccleſiæ ſalutaria; nec minora, & noſtræ ſaluti minùs neceſſaria certamina, pro Chriſti gloria ſuſtinuerunt olim pij & ſancti illi viri, qui furores Samoſatenicos, Arianos, Neſtorianos, Eutychianos, Macedonianos, Pelagianos, Manichæos & Donatiſticos, & ſimilia monſtra profligarunt ab Eccleſia; quos omnes, quia nobiſcum de Chriſto, & de Cœna cōtra Lutherum ſentiunt, ex Eccleſia, quam Chriſtus per illos conſeruauit, tanquam hæreticos eiicere, quàm portentoſa fuerit audacia?

Etiam his temporibus pugnando contra Papatum & alias hæreſes, Scripturam & controuerſias explicando, Eccleſias conſtituendo,

tuendo, ſunt aliqui non minùs bene meriti quàm Lutherus. Extant Eccleſiæ ipſorum opera conſtitutæ, quæ nec multitudine, nec ordine & pietate, nec intelligentia & puritate doctrinæ Euangelicæ (abſit inuidia) cedunt iis, quæ Lutheri opinionem de Cœna Domini ſequuntur. Extant eorum ſcripta, de omnibus doctrinæ Chriſtianæ partibus, explicationes Scripturæ & controuerſiarũ. Hæc omnes ingenui, & non ſtolidi æſtimatores agnoſcunt, & agnoſcet tota poſteritas, nequaquam eſſe ſcriptis Lutheri poſtponenda. Quin etiam non eſt obſcurum, quàm tenuia futura ſint reliqua in illorum libris, qui nunc illos condemnant, ſi auferantur inde, quæ à Philippo aliisq́; noſtris mutuati ſunt, quibus, poſtquam eorum compilarunt plumas, gratitudinis ergò ſtrenuè maledicunt. Notum eſt & Lutheri de ſcriptis Philippi iudicium: notum eſt illius dictum: Contemtibilem animam eſſe, quæ contemneret Philippum. Nec tam ingratus & amens fuit Lutherus, quàm ſunt nunc illius degeneres diſcipuli, vt non agnouerit, & libenter faſſus ſit, non ad ſe ſolum pertinere gloriam repurgationis doctrinæ & Eccleſiarum, ſed magnam eius partem pertinere ad Philippum.

Quòd ſi etiam inter iſtos omnes nullus eſſet, qui cum Luthero conferri debeat, ſaltem plures vel omnes cõiuncti non erunt ipſo minoris ponderis. At neq; ſinguli, neque omnes ſimul iuncti, tam veteres quàm recentes doctores Eccleſiæ, ſunt norma iudicandi de veritate doctrinæ: Multò minùs ergo ſolius Lutheri hæc erit autoritas, vt ipſius ſcripta non ſint ſubiecta fidelium cenſuræ, ſecundùm normam Prophetarum & Apoſtolorum, de illis, ſicut de aliorum ſcriptis, agendæ.

Diſcrimẽ Doctorũ in Eccleſia neceſſariò retinendũ eſſe.

Diſcrimen hoc Doctorum in Eccleſia diligenter eſt retinendũ, & notum eſſe oportet populo Chriſtiano, propter cauſſas grauiſſimas. Si enim prærogatiua Prophetarum & Apoſtolorum, qua omnibus Eccleſiæ doctoribus antecellunt, tollatur aut obſcuretur, dicta & ſcripta hominum, ſæpe à vero, & à ſe ipſis diſsidentia, pro

dogmatum norma recipiantur; fieri non poterit, quin multis modis corrumpatur doctrina, confuſo verbo Dei cum verbo hominum, & vniuerſa certitudo cœleſtis doctrinæ conuellatur. Si enim eſt autoritas Prophetica & Apoſtolica, Lutheri vel cuiusquam alterius doctoris Eccleſiæ, præter Canonem Sacrum; hi autem deprehenduntur alicubi erraſſe; quid obſtabit, quo minùs & ſcriptores librorum Veteris & Noui Teſtamenti, erraſſe alicubi quiſpiam ſuſpicetur? Et ſi non ſunt maiora ac certiora teſtimonia Prophetis & Apoſtolis à Deo tributa, vnde ipſos inſtinctu diuino loquutos eſſe & ſcripſiſſe ea, quæ reliquerunt Eccleſiæ, ſtatuamus, quàm alijs doctoribus & ſcriptoribus Eccleſiaſticis; quodnám erit fundamentum, cui tutò inſiſtat Eccleſia in certaminibus contra hæreticos & infideles, & quo nitatur vniuscuiusque conſcientia in tentationibus, quibus certitudinem veritatis diuinæ, conatur Diabolus, animis hominũ excutere? Deniq; ſi, vt iſti voci ferantur, Prophetica eſt ſcriptorum Lutheri autoritas; cùm hæc alicubi à Scriptura, alicubi ab alijs ſcriptoribus, alicubi à ſe ipſis etiam diſſentiant; vtri parti erit aſſentiendum? Manifeſtum eſt ergo, illos peſſimè de tota Chriſti Eccleſia mereri, et ſe ſuasq; Eccleſias aduerſarijs iugulandas & deridendas propinare, qui Lutherum in Catalogum Prophetarum referunt, tertium Eliam faciunt, examini & cenſuræ Eccleſiarum eximunt, & libros ipſius regulam iudicandi de veritate dogmatum Eccleſiaſticorum conſtituunt.

2. *Neq; illi tantùm in Eccleſiam & ſe ipſos, ſed etiam in Lutherum ſunt iniurij, quem contra ipſius voluntatem, ijs laudibus euehunt, quas nemo hominum, ſine inſigni contumelia Dei & ſui ipſius, poſſit expetere, vel admittere, quasq; ſibi tribui, dum in terris vixit, Lutherus minimè paſſus fuit, & ſi nunc ſibi tribui ab iſtis, qui ſoli ipſius diſcipuli videri volunt, in vita cœleſti cognoſceret, haud dubiè præpoſterum illorũ ſtudium execraretur. Audiant, ſi alios audire nolunt, oraculum Lutheri de ſe & ſuis*

libris

libris clamantis, & grauiſſimè obteſtantis vniuerſam Eccleſiam & poſteritatem his verbis, in præfatione ſuorum operum. Ante omnia oro pium lectorem, & oro propter Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, vt iſta legat cum iudicio, imò cum multa miſeratione, & ſciat me fuiſſe aliquando Monachum. *Audiant eum in actis apud legatum Apoſtolicum, dicentem:* Nihilominus tamen ſum homo, potens errare: ſubmiſi me, etiam nunc ſubmitto, iudicio & determinationi legitimæ ſanctæ Eccleſiæ, & omnibus meliùs ſentientibus. *Quid exiſtimabimus, ô Domini & Fratres, nunc dicturum Dominum Lutherum, ſi reuiuiſceret, his, qui ipſum tertium Eliam facientes, nec Monachum, nec hominē fuiſſe meminerunt? Quid item his Theologis, qui libros Lutheri ſolos in pretio, & normam dogmatum in omnibus Eccleſiis eſſe volunt, abolitis libris Philippi tanquā impuris & hæreticis, cùm conſtet, Lutherum optaſſe, vt omnes ſui libri ſint aboliti, ſuperſtitibus vel ſolis Locis communibus Philippi? Quomodo hoc Lutheri iudicium de ſuis libris & de interpretatione Confeſſionis Auguſtanæ, cōgruit cum decretis libri Bergenſis, qui in articulo de Cœna Domini, veram ſententiā Confeſſionis, ex nullius, quàm ex Lutheri ſcriptis, rectiùs ac certiùs definiri poſſe ac debere contendit?*

Fatetur ipſe liber Bergenſis, Solum Dei verbum eſſe veram normam, ad quam omnis doctrina ſit examinanda: Confirmat hoc verbis Lutheri, ex præfatione ſuorum operum, quibus illam iudiciariā autoritatem ſoli Scripturæ debitam, ſuis & omnium Patrum, omniumq́ adeò hominum ſcriptis detrahit. Quomodo igitur ſibi conſtat? quomodo non reipſa euertit, quod in ſpeciem, inuidiæ vitandæ cauſſa, profitetur, dum etiam ſua placita, dum etiam ſcripta Lutheri, vult eſſe normam dogmatum? Quomodo non iniuria ſumma afficit Lutherum, & omnes veteres orthodoxos, lumina Eccleſiæ, dum vnum Lutherum vult eſſe regulam doctrinæ, quod priuilegium ne quidem vniuerſo veterum choro

concedit? Aut quæ tandem cauſſa eſt, cur veteres omnes, vbi vno ore illis contradicunt, tam audacter abiiciant; Lutherum verò, qui ipſis placentia, quamuis inconſtanter, aſſeruit, adorari ab omnibus velint? An putant hoc ſatis eſſe rationis, quòd ipſis ſic ſit collibitum?

3. *Plurimæ extant apud vetuſtos doctores, præſertim qui multa volumina ſcripſerunt, vt Auguſtinus, Hieronymus, Ambroſius, Chryſoſtomus & aliï, ἀκυρολογίαι, multæ hyperbolæ, multa ambiguè & obſcurè dicta, quæ illis partim feruore diſputationum, partim vitio ſuorum temporum, partim opinione, incogitantia & infirmitate humana ſunt elapſa; qualia ex ſuis libris multa collegit & correxit ipſe Auguſtinus in Retractationibus. Si hæc omnia ſint æquanda oraculis, & habenda pro norma fidei, quid nõ poterit probari aut labefactari productis teſtimoniis Patrum? aut quæ tandem lux & certitudo doctrinæ manebit in Eccleſia? Docet hoc experientia. Quis hæreticus non ſtudet ſuis erroribus autoritatem veterum prætexere? Horum malorum non eſt aliud remedium, niſi libertas & candor in lectione veterum adhibendus. Libertas hæc eſt, vt eatenus illis aſſentiamur, quatenus verbo Dei congruentia dicunt; aurum & gemmas ab illis ſuper fundamentum Propheticum & Apoſtolicum exſtructas, grati accipiamus; ligna, fænum, ſtipulas, relinquamus. Candor hic eſt, vt incommodiùs per commodiùs dicta, obſcuriora, per clariora, impropria per propria, pauciora per plura, infirmiora per firmiora, ſingularia per vniuerſum & perpetuum ipſorum, ſecum & cum aliis Orthodoxis conſenſum, ad ſcopum ſcribentium directa, intelligantur & exponantur. Eãdem in Lutheri libris legendis cautionem neceſſariam eſſe, docet idem, quod in illis, periculum. De ſententia Confeſſionis Auguſtanæ, exigui libelli, quantum diſſenſionis eſt? Quid futurum, ſi librorum Lutheri ingens ſylua, conſtituatur fidei regula? Quotusquiſque comparare? quotus euoluere poteſt? quotus omnia dextrè accipere?*

Libertas & candor in lectione Patrũ adhibendus.

Etenim

Etenim cùm in libris illius non minùs, quàm in Patrum, ſæpe occurrant impropriè & hyperbolicè dicta, quanta ſeges naſcitura eſſet diſſenſionum, & nouorum ſubinde certaminum, inter tot ambitioſa, inquieta, & contentioſa Theologorum ingenia, & in hac indies creſcente indoctorum concionatorum multitudine, ſi allegatio dictorum Lutheri ſufficiat ad probāda dogmata? Quid enim? An non omnes controuerſiæ inter Confeſsionis Auguſtanæ ſocios exortæ, vtrinq; defenſæ ſunt ex libris Lutheri? Nunquid & Flacius, contendens, peccatum Originis eſſe de ſubſtantia hominis, & qui ſe iuſtè huic oppoſuerunt, teſtimoniis, ex Luthero prolatis pugnarunt? Nunquid qui de conuerſione, An homo ſe in illa habeat purè paſsiuè? Nunquid qui de diſcrimine Legis & Euāgelij? Nunquid qui de neceſsitate bonorum operum? Nunquid qui de libero arbitrio contenderunt, vtriq; voluerunt videri Lutherani? 4.

In his ipſis controuerſiis de perſona & Cœna Chriſti, quæ nunc turbant Eccleſias Germaniæ, an non vtrinq; producuntur teſtimonia Lutheri, & ea quidem eiuſmodi, quæ conciliari ſe inuicem non patiūtur? Et quàm facilè plures id genus diſputationes, prætextu librorum Lutheri poſſent moueri, ſi modò duces inuenirēt? Fatentur Theologi Bergenſes, & excuſant Lutherum, quòd vocabulum Mixtionis, de vnitate perſonali non ſatis propriè vſurparit. Sanè & nos candida interpretatione adhibita, cenſemus eum hîc vindicandum eſſe à calumnia. Sed eodem iure ab ipſis flagitamus, vt etiam in aliis ipſius dictis, quæ diuerſum à Scriptura ſenſum præ ſe ferunt, eadem libertas concedatur Eccleſiæ, illa ſecundùm Scripturam, & alia Lutheri loca, interpretandi: & ex iis quæ non ſatis inter ſe congruunt, ea retinendi quæ cum Scriptura cogruunt, repudiandi quæ cum ea pugnant.

Non difficile eſſet ex libris Lutheri proferre non pauca, in 5.
quibus hallucinatio tam eſt manifeſta, vt & ipſe Lutherus ea deinde retractauerit, & iſti immodici ipſius laudatores ea non poſsint defendere.

Tomo 7. VVitẽberg. fol. 402. a. ſic ſcribit: Nos in Deum fiduciam noſtram ponimus, qui à Maria corporaliter & Spiritualiter in lucem hanc eſt editus: nec tamen corporaliter nec ſpiritualiter ab ea manducari & bibi voluit. *Quis vnquam dixit, Chriſtum ſpiritualiter eſſe in lucem editum à Maria? Quis poteſt aſſeuerare, Mariam nunquam in congreſſibus Eccleſiæ poſt aſcenſionem Filij ſui in cœlum, vſam eſſe Euchariſtia, eiq́; pro ſuis in ipſam ſingularibus beneficiis egiſſe gratias? At ſecundùm hanc Lutheri ſententiam, aut nunquam communicauit cum Eccleſia, aut hoc faciens, non manducauit Chriſtum corporaliter. Cur igitur tota Eccleſia manducat carnem eius corporaliter? quæ cauſſa diſcriminis? Cur ſoli Matri non vera fuiſſent verba: Hoc eſt corpus meum? Sed verum eſt, quòd eum non manducauerit corporaliter; cùm ſic eum manducet nemo: Quòd autem non ſit manducatus à Maria ſpiritualiter, quomodo excuſa-*
Ioh. 6. 53. *ri poterit, Domino dicente: Amen amen dico vobis: niſi ederitis carnem Filij hominis, & biberitis eius ſanguinem, non habetis vitam in vobis?*

Eodem folio b. Quocunq; in loco Scripturæ, ſibi inuicem opponũtur Caro & Spiritus, ibi caro nõ poteſt de corpore Chriſti intelligi, ſed ſemper de veteri carne, quę de carne nata eſt. *Si vera eſt hæc Lutheri regula (qua ille ſperauit ſe poſſe ex di-*
Ioh. 6. 63. *cto illo Chriſti expediri: Caro non prodeſt, Spiritus viuificat) quid fiet illis dictis: 1 Tim. 3. 16 Deus eſt manifeſtatus in carne, iuſtificatus in Spiritu. Rom. 1. 3. 4 De Filio ſuo facto ex ſemine Dauidis ſecundùm carnem, & declarato Filio Dei ſecundùm Spiritum ſanctificationis. 1 Pet. 3. 18 Chriſtus mortificatus eſt carne, viuificatus Spiritu?*

Tomo Ienenſi 3 in prima parte contra cœleſtes Prophetas: Primùm dico, ſecundùm legem Moſis, nullam aliam imaginem prohibitam eſſe præter imaginem Dei. Crucifixi autem vel alterius ſancti imaginem habere non prohibitum eſt.

eſt. Sicut Gallia non curat ius Saxonicum, ſic ne ingeratur nobis Moſes. Nos in nouo Teſtamento Moſen nec videre nec audire volumus. *Item:* Mandatum de ſtatuis & Sabbatho, ſunt ceremoniæ, quæ ſuo modo ſunt ſublatæ. *At quomodo conueniunt hæc cum toties repetitis ſeueriſſimis Dei præceptis. Exod. 23. 24. & 34. 13. Numer. 33. 52. Deut. 7. 25. & 12. 3. Altaria eorum deſtruite, ſtatuas confringite, lucos ſuccidite? Quomodo cum exemplo Hizkijæ, confringentis ſerpentem æreum? An idololatriam vnà cum idolis, obiectis, inſtrumentis, occaſionibus & ſignis eius, quales fuerunt, & ſunt ſtatuæ proſtātes in templis, ex Eccleſia Chriſti eiicere, eſt præceptum ceremoniale, abolitum, tantùm ad Iudæos pertinens? An non experientia docuit & docet, idem eſſe periculum abuſus in Dei, & in aliis imaginibus, in loca, diuino cultui dedicata, receptis?*

In explicatione Euangelij Dominicæ 1. poſt Trinit. Cùm neſciamus, an de animabus defunctorum lata ſit ſententia, non peccas pro illis orans. *Quómodo cōgruit hoc cum Apoſtolo dicente: Illud ſtatutum eſt hominibus, vt ſemel moriantur, poſtea verò iudicium.* Heb. 9. 27. *Sed hoc in eo non eſt mirandum, cùm aliquot annis poſt cœptam oppugnationem Papatus retinuerit Purgatorium, Miſſam, Circungeſtationem panis theatricam, & opinionem de geſtatione in ea veri corporis Chriſti, vſum vnius ſpeciei, & alia.*

In magna Confeſſione palàm defendit & laudat Papam Nicolaum, & Palinodiam, ad quam is adegit Berengarium, quòd corpus Chriſti atteratur dentibus. Tomo Ienenſi 2. folio 28 defendit adorationem Sacramenti: Expreſſè concedit & approbat adorationem Chriſti in pane. De captiuitate Babylonica: Si accidentia, *inquit,* non adorant, ſed latētem ibi Chriſtum, cur adorarent panem? *Et in magna Confeſſione:* Credimus, quòd in Spiritu debeamus adorare, ſiue Chriſtus ſit in cœlo, ſiue in terra, ſiue in Sacramento, ſiue vbicunque velit. *Contra cæ-*

leſtes Prophetas: Non docemus adorare ſpeciem panis, metuere aut colere, neque obliuiſci mortis Domini, ſed corpus & ſanguinem Chriſti adoramus in pane. *In Confeſſione parua:* Retinebam eleuationem VVitembergæ, vt ægrè facerem diabolo Caroloſtadio, ad quam tamen omittendam inclinabam propter Papiſtas. *An autem hoc non erat affectibus plus tribuere, quàm gloriæ Chriſti? Contra cœleſtes Prophetas:* Mentiuntur Papam tanti facere panem, vt memoria Chriſti tradatur obliuioni. *Item:* Papa non reddit paſſionem Chriſti inutilem eo, quod docet, Chriſtum in ſpecie panis remittere peccata, & nos redimere. *Tomo Ienenſi 2. fol. 100.* Si venis in locum, in quo tãtùm vna ſpecies datur, ſume tantùm vnam ſpeciem, ſicut ipſi faciunt. *Et in Captiuit. Babylon:* Non quòd peccent in Chriſtum, qui vna ſpecie vtuntur, cùm Chriſtus non præceperit vlla vti, ſed arbitrio cuiuſlibet reliquit, dicens: Quotieſcunque hæc feceritis, in mei memoriam facietis.

An hoc non eſt manifeſtè ſtabilire adorationem Papiſticam Chriſti in pane, eamq́; fateri tam licitam, & neceſſariã eſſe, quàm fuit illa Thomæ, qua adorabat Chriſtum reſuſcitatum coràm ſe ſtantem in conclaui? An non eſt confirmare oblationem Chriſti in pane, hoc eſt, petitionem & expectationem remiſſionis peccatorum propter Chriſtum in pane hoc exiſtentem, geſtatum manibus miniſtrorum? An non eſt, præceptum Domini, de ſumtione integri Sacramenti, imo præceptam omnibus fidelibus conſociationẽ cum Chriſto per vſum Cœnæ ipſius, facere rem adiaphorã?

Plura huius generis poſſent colligi: ſed non delectat nos collectio. Mallemus iſta ſepeliri ſilentio, niſi aduerſariorum improbitas cogeret nos, quædam piis hominibus, quos ſuis clamoribus faſcinant, monſtrare, ex quibus conſtaret, non omnia ſua Lutherum ſcripſiſſe Spiritu prophetico, ſed fuiſſe hominem, qui & errare potuerit, & errauerit, & ſuper fundamentum Apoſtolicum

non

non ſemper aurum & argentum; ſed aliquando etiam ſtipulam & fœnum ſuperſtruxerit, cuius alias partes citiùs, alias ſeriùs, alias in fine demum vitæ depoſuerit.

5. Damnant hæc Theologi Bergenſes; & tamen ad libros Lutheri tanquam ad regulam doctrinæ aſtringi volunt omnes Eccleſias. Magis autem probandum eſſet exemplum Theologorũ, quòd à Luthero diſcedunt, vbi cauſſa diſcedendi manifeſta eſt, ſi libertatem hanc, quam ipſi licentiùs, quàm nos, vſurpant, nobis non adimerent; & non Lutherum, vbi placet ipſis, Deum facerent, vbi nõ placet, æquè ac ceteros cõculcarent. Si quis de hac re dubitat, conferat articulum Bergenſem de libero Arbitrio, & prædeſtinatione, cum libro Lutheri de Seruo arbitrio: Conferat loca Lutheri contra Vbiquitatem, à noſtris citata, cum articulo Bergenſi de perſona Chriſti, & cum aliis libris Theologorum de hac re ſcriptis.

Dominus dixit: Nolite vocari Rabbi: Quia vnus eſt magiſter 6.
veſter, nempe Chriſtus. Et Paulus reprehendit Corinthios, quòd Matth. 25. 8.
alius profiteretur ſe eſſe Pauli, alius Apollo, alius Cephæ, alius Chri- 1. Cor. 1. 12.
ſti. Quocunque modo hæc eludere conentur, certè ſe non expediunt, qui Lutherum, aut quemcunque doctorem Prophetis & Apoſtolis æquant; quin alium magiſtrum adiungant vnico Magiſtro, Chriſto, qui ſuo Spiritu per Prophetas & Apoſtolos eſt loquutus, & ad ſolam eorum vocem nos alligatos eſſe voluit. Et qui nullum agnoſcunt germanum Chriſti diſcipulum, niſi qui iuret in verba Lutheri, & non minùs Lutheranus, quàm Chriſtianus dici velit; quid tandẽ ab illis differunt, qui illos demùm Chriſtianos agnoſcebant, qui Paulini aut Petrini videri & audire vellent? Niſi quòd iſti noſtri peccant grauiùs, quàm illi, eoq; nomine magis in reprehenſionem Paulinam incurrunt, quòd hos ſolos Chriſtianos eſſe volunt, qui per omnia Lutherani ſint; alios verò doctores Eccleſiarum, eorumq; auditores, quantumuis fideliter eundem Chriſtum cum Luthero profiteantur, & eidem funda-

mento, & quidem minùs, quàm Lutherus ſtipularum & fœni ſuperſtruant, omnes in hæreticorum gregem relegant.

Ipſe Lutherus in Tomo 2 VVitemberg. German. folio 4. ſic ſcribit: Non ſic, ô fatue; audi aduertens animum. Primùm oro, vt meũ nomen taceatur, & nemo Lutheranus, ſed Chriſtianus appelletur. Quid eſt Lutherus? Atqui doctrina non eſt mea, neque pro quoquam ſum crucifixus. S. Paulus 1 Cor. 3 nolebat pati, vt Chriſtiani dicerentur Paulini & Petrini, ſed Chriſtiani. Vnde igitur mihi fœtido vermium ſacco hoc accideret vt filij Chriſti à meo viliſſimo nomine denominentur? Abſit, ô amici. Deleamus ſchiſmatica nomina, & denominemur à Chriſto, cuius doctrinam habemus.

7. *Non eſt vberior ſcaturigo, non maior occaſio ſchiſmatum & hæreſium, quàm nimium tribuere, & nimis addictum eſſe ſuis magiſtris & autoritati hominum. Docent hoc omnium ætatum exempla. Cur igitur illis moniti nobis non cauemus? Cur nõ diſcimus nulli deferre illud* αὐτόπιστα, *niſi ſoli Deo?*

8. *Toties decreuerunt, toties aſſeuerantiſſimè proteſtati ſunt Ordines Imperij, Confeſſionis Auguſtanæ ſocij, aduerſus Pontificios, nullius Patris, nullius concilij, nullius decreti humani, ſed ſolius Scripturæ ſacræ autoritate, in fidei dogmatibus, ſeſe niti ac ſtare velle. His proteſtationibus & decretis, quomodo non ex diametro repugnat decretum Bergenſe, de Lutheri ſcriptis habendis pro fidei regula? De ſuo certè & Eccleſiarum, & tot Illuſtriſſ. Principum, Procerũ, Optimatũ, & aliorum honore, diligentius cogitare debebant Theologi, quàm vt Pontificijs tantã occaſionem præberent confirmandi ſuas illas accuſationes veteres Staphyli, & ſimilium Sophiſtarum, quòd iactetur quidem nomen Scripturæ, ſed interea Lutherus in Idolũ conuertatur, quòd abiecta tot Sanctorum Patrum & Conciliorum autoritate, vnius Lutheri autoritas illi ſubrogetur.*

9. *Cogitare debebant, quantam ſibi aduerſariam conſtituant apud Papiſtas, quantoq́; ſcandalo concutiant infirmorum animos, dum illis non minori iure, nec minùs ſpecioſo titulo Papiſtæ opponunt Patres, Decreta, Concilia, quàm iſti nobis nomen Lutheri, tanquam Gorgonem putant ſe poſſe opponere.*

10. *Expendere etiam debebant, vtrum iuſtius ſit, ſcripta doctorũ priuata, publicis Eccleſiarum Cõfeſſionibus, an verò publica ſcripta priuatis confirmari, & vtra debeant eſſe alterorum regula. Certè ſicut Eccleſiæ Catholicæ maior eſt autoritas, quàm Eccleſiarum particularium; ſic Eccleſiæ particularis conſenſus præferri debet iudicio vnius viri, qui illius Eccleſiæ ciuis eſt, & Confeſſionem eius approbare ſe profitetur; niſi validiſſimis rationibus, ſuam, quàm Eccleſiæ ſententiam meliorem eſſe oſtenderit. Sic autem præfertur, cùm, quæ dicunt aut ſcribunt priuati, ſecundùm publicam, & ab ipſis probatã Confeſſionẽ intelliguntur. Lutheri ergo ſcripta potiùs ad Auguſtanam Confeſſionem erant reuocanda, quàm Confeſſio ad ſcripta Lutheri. Poſito enim in confeſſo inter Lutherum & Eccleſiam, quòd Confeſſio Auguſtana verbo Dei ſit conformis; ipſe ſibi legem dicit, vt intra eius limites ſe contineat, & ſi quid ab ea diuerſum doceat, id non recipiatur, niſi Scripturæ certis teſtimoniis ab ipſo confirmatum. Hoc ſi Lutherus feciſſet, æquè ac Philippus fecit; multò minus ſequutum fuiſſet mali. Nunc autem Theologi viderint, quid reſpondeant Turriano Ieſuitæ, qui in ſuo de Eccleſia tractatu nuper ſcripſit, quòd ipſimet oſtendant Auguſtanam Confeſſionem non eſſe Catholicam, dum eam reuocant ad Lutheri doctrinam, & Lutheri Confeſſionem vocant: & citat dictum Athanaſii, ex quæſtionibus ad Antiochum; Fidem Dei non eſſe, quæ de hominibus nomen accipit. Sed cùm illi hoc nullius penſi habeant; Conſiderabũt viri prudentes, ſi vnus aliquis Theologus priuatam ſuam opinionem cum Eccleſiæ ſuæ Confeſſione publica non ſatis congruentem, vel præter vel contra collegarum & fratrum iudicium & voluntatem, edat*

Turrianus Ieſuita.

& defendat pertinaciter, an iuſtum & ferendum ſit, omnes alios doctores & Eccleſias ad illã adigi & examinari. Hæc ratio omnes Lutheri libros non ſinit eſſe normam doctrinæ publicæ, ad quam omnes alij ſint alligati: Præſertim verò adimit hanc autoritatem libris ipſius Polemicis de Cœna Domini.

De ſcriptorũ Lutheri Polemicorum autoritate.

1. *Conſtat enim, conſtat, etiam aduerſariis cum indignatione cõfitentibus, libros iſtos, ab ipſius collegis, niſi paucis adulatoribus, & flabellis diſcordiarum, partim propter dogmatum & phraſiũ abſurditatem, partim propter ſtyli acerbitatem & intemperiem, minimè probatos, ſed ipſis inuitis & dolentibus, priuato & pertinaci conſilio Lutheri eſſe extruſos. Qua ergo fronte à Theologis hæc ſcripta poſſunt conſtitui regula & interpretatio illorum librorum, qui communi conſenſu Lutheri & collegarum ſunt ſcripti, editi, approbati tanto tempore, quosq́; non vnius priuatam, ſed publicam ſuam & ſuarum Eccleſiarum Confeſſionem eſſe voluerunt?*

2. *Sed ſunt in his libris Lutheri, etiam aliæ rationes, propter quas opinio ipſius de Cœna, & falſæ diſſentientium ab ipſo criminationes, nemini præiudicare debeãt. Ne quidem politia honeſta permittit, vt quis Iudex & accuſator ſit in cauſſa propria, multò etiam leuiori, quàm eſt hæc cauſſa, ad gloriam Dei, ſalutem Eccleſiæ & ſingulorum conſcientias pertinens, de qua Lutherus litem nobis mouit. Nec igitur ipſe debet ſibi ſumere, nec ei quiſquam deferre partes iudicis; nec atroces eius condemnationes, quas aduerſus nos detonauit, quẽquam mouere aut lædere, aut à cordatis hominibus, pro norma iudicandi de nobis, & de ſenſu Scripturarum haberi debent.*

3. *Vindicaret nos hæc ratio à condemnationibus Lutheri, etiam ſi cauſſam aduerſus nos habuiſſet optimam. Ideoq́; & nos, qui cauſſam aduerſus ipſum iuſtam tuemur, nunquam nobis vel ipſum, vel quenquam condemnandi, & ex Eccleſia eiiciendi poteſtatem ſumſimus, aut ſumere debemus, dum legitimo Eccleſiæ iudicio lis*

non

non eſt deciſa. Quantò igitur minus præiudicare nobis debet Lutheri ſententia, cùm litem hanc iniuſtè mouerit, iniuſtiùs perſequutus ſit?

Cùm Lutherus poſt Comitia Vormatienſia abeſſet VVitemberga, latens propter periculum, Caroloſtadius interea remouit ſtatuas è templis, docere cœpit de libertate Chriſtiana, præſertim in cibis, de electione diuina ad vitam æternã, de abolitione Miſſæ, & reſtituenda Cœna Domini, & rituum mutationem fecit. Hæc tametſi per ſe non erant mala; tamen actiones Caroloſtadij malè ſuſceptas nequaquam probamus: non tam quia quædam vera, falſis & ineptis rationibus defendit, & obſcurauit potiùs, quàm illuſtrauit; quàm quòd multa intempeſtiuè, conſilio & autoritate propria, & cum periculo ac ſcandalo teneræ Eccleſiæ fecit, quódque non plus detulit Luthero, quem donis & vocatione Deus ipſi prætulerat. Sanè vituperanda hæc fuerunt in Caroloſtadio; ſed magis illa in Luthero, quòd is VVitembergam reuerſus, cùm ſine ſe mutationes factas videret, quæ priùs improbarat, probare, & quæ probarat, improbare non dubitauit, motus ipſe quoque ſuæ autoritatis zelo, & ira impulſus aduerſus hominem, à quo ſe neglectum putabat; quòd non contentus improbato & correcto agendi modo, etiam res per ſe bonas abiecit & damnauit; quòd hominem iuuenili feruore & audacia extra oleas currentem, ſpiritu lenitatis & dilectionis in viam reuocare non ſtuduit; ſed illicò acerbis & contumelioſis ſermonibus & ſcriptis hoſtiliter laceſſiuit, prolato aureo nummo ad ſtyli certamen prouocauit; ſtatuas & eleuationem reſtituit, quæ teſtatur in Confeſſione parua, ſe voluiſſe abolere, ſed retinere ideò, ne videatur aliquid didiciſſe à diabolo. Minimè profectò conueniens Chriſtiano Theologo oratio, & magna infirmitas in Luthero; ſed maior quæ deinceps eſt ſequuta.

Nam circa illud tempus, quo hæc gerebantur VVitembergæ, Zvuinglius, qui & ipſe in Heluetia, nondum ſciens quicquam de

primis Lutheri diſputationibus contra indulgentias, puriorem doctrinam Euangelij profiteri cœperat, poſtquam aliquot annos diſcendo & docendo ſe & Eccleſiam confirmaſſet, publica Magiſtratuum & populi autoritate, abolita Miſſa, Cœnam Domini reſtituit, ac neq; Caroloſtadij cauſſam ſuſcipere, neq; Lutherum lædere aut oppugnare cogitans, rationem conſilij & ſententiam ſuam de Cœna Domini, moderato & placido ſcripto, ad ſe & Eccleſiam ſuam à calumniis infenſiſſimorum hoſtium vindicādam, in publicum edidit. Id cùm Lutherus intellexiſſet, indignans quenquam reperiri, qui cum Caroloſtadio præſentiam Chriſti corporalem in pane Euchariſtico negaret, eodē impetu, quo prius Caroloſtadium, eſt adortus Zvuinglium, ſcripſit in ipſum, & in Oecolampadium, vel ipſius Lutheri teſtimonio, excellentem doctrina & pietate virum, plus quàm iracundè & contumelioſè, & fortiſſimos fidiſſimosq; Chriſti milites, quos gnauiter contra communes hoſtes, Antichriſtum Romanum, & alios, non ſine magnis periculis & difficultatibus, pugnantes, fideliter adiuuare debebat, inclementiùs tractauit, quàm eos oppugnarunt ipſi Papiſtæ, quibus in ſtabiliendo Capite & fundamento Idolomaniæ Pontificiæ, nempe, Chriſto illo fictitio, ſub pane vel ſpecie panis latente, percommodam operam nauauit, & iucundiſſimum ſpectaculum, ſæuiendo in Chriſti viſcera, exhibuit. Adeò non potuit Lutherus in his ſuis inuectiuis celare ſuum affectum, vt nobis tacentibus res ipſa loquatur, illam vehementiam, qua in fratres innocentes exarſit, non ex aliqua ipſorum blaſphemia, impietate aut culpa, aut in ipſum iniuria, quorum nihil vnquam demonſtrare potuit, ortam fuiſſe, ſed ex indignatione aduerſus illos, qui ipſo non conſulto aliquid dixiſſent, aut egiſſent.

Eiuſmodi humanæ infirmitatis exempla, quandoq; proponit nobis Deus, in ſummis & ſanctiſſimis viris; ne homines in Idola, & organa Dei in Deum conuertamus.

Sic ille mouit cauſſam: at quomodo eam egit aduerſus optimos

& doctiſſimos viros? Ex verbo Dei petitis teſtimoniis aut argumentis, nunquã illos refutauit; conuitiis autem & ſubſannationibus eos coopertos reddidit, verborum ampullis & fulminibus populi in Germania aures repleuit & obtudit; cauſſam ſuam ſic defendit, vt qui non ex magni viri autoritate, ſed ex Dei verbo rem æſtimet, potiùs abſterreatur iis, quibus vtitur, argumentis, ab ipſius opinione, quàm ad eam alliciatur.

Probandum ipſi fuit, Corpus Chriſti ſubſtantialiter eſſe in pane. Clamauit perpetuò, Hoc eſt corpus meum: Hoc eſt corpus meũ. Reſpõſum eſt, non hunc eſſe ſenſum loquutionum Scripturæ de Sacramentis, Panis eſt corpus, id eſt, In pane eſt corpus; neque eſſe poſſe, ſine manifeſta antilogia Scripturarum, quæ nihil tale patiuntur cogitare de corpore Chriſti; de ſignis & rebus Sacramentorum. Ille vt haberet, quod diceret, excogitauit nobis præſentiã corporis Chriſti repletiuam in omnibus locis, & definitiuam in pane. Abſurdum & inauditum dogma confirmare voluit hoc argumento: Dextra Dei eſt vbiq;. Corpus Chriſti eſt collocatum ad dextram Dei; Ergo eſt vbique; Quaſi verò idem ſit dextra Dei, & collocatum ad dextram Dei; aut corpus Chriſti ſedere ad dextram Dei, idem ſit, quod eſſe vbique, aut in pane. Reſponſum igitur eſt, Scripturam docere, quòd Chriſti corpus etiam ad dextrã Dei ſedens, ſit in vno loco: Deum autem neque poſſe velle aut facere contradictoria, neque ſe facturum vnquam dixiſſe, vt idem Chriſti corpus ſit ſimul in vno loco & vbique. Hic ille tragicis clamoribꝰ implere omnes chartas & aures, noſtros negare omnipotentiam & veritatem Chriſti, ac propterea hæreticorum & blaſphemorum omnium eſſe maximè execrabiles.

Hæc fuerunt viuente Luthero, & nunc ſunt, fundamenta & cardines totius diſputationis Sacramentariæ, niſi quòd abſurda, & Scripturæ manifeſtè repugnantia dogmata, à defenſoribus VBIQVITATIS, *quam Lutherus ipſe coactus fuit abiicere, cumulata ſunt, vt ſolet in mala cauſſa ex defenſionis inopia, error errorem parere.*

Ex his pueriilibus, & populari facundia fucatis ſophiſmatibus, calumniarum, conuitiorum falſiſſimorum, & ſcommatum ſcurrilium plauſtris, conflati ſunt libri Polemici Lutheri de Cœna Domini, quos in doctrina Eccleſiaſtica Canonem referunt degeneres Lutheri diſcipuli, qui vitia magni viri ſuperare ſtudent, cuius virtutum nec vmbram æquare poſſunt. Qui autem his occaſionibus mouit, & his rationibus cauſſam ſuam defendit; quo iure poteſt conſtitui iudex ſui aduerſarij, vt eo à ſe condemnato, ipſe ſibi triumphum ante victoriam decernat? nedum poſtulari, vt ſententiæ ab ipſo latæ, totus applaudat mundus, eamq́; anathematibus, proſcriptionibus, carceribus & gladiis exſequatur?

4. *Non tam ea fuiſſe huius opinionis Lutheri fundamenta, quæ ipſe ſibi concinnauit, quàm radices longè alias, ex ipſius verbis apparet, in captiuitate Babylonica ſic ſcribētis:* Dedit mihi quondam, cùm Theologiam ſcholaſticam haurirem, occaſionem cogitandi D. Cardinalis Cameracenſis, in libro Sententiarum quarto, acutiſſimè diſputans, multò probabilius eſſe, & minus ſuperfluorum miraculorum poni, ſi in altari verus panis verumq́ue vinum, nō autem ſola accidētia aſtruerentur, niſi Eccleſia determinaſſet contrarium. Poſtea videns, quæ eſſet Eccleſia, quæ hoc determinaſſet, nempe Thomiſtica, hoc eſt, Ariſtotelica, audacior factus ſum, & qui inter Sacrum & ſaxum hærebam, tandem ſtabiliui conſcientiam meam, ſententia priore; Eſſe videlicet verum panem, verumq́ue vinum, in quibus Chriſti vera caro, veruſq; ſanguis, non aliter nec minus ſit, quàm illi ſub accidentibus ſuis ponunt; quod feci, quia vidi Thomiſtarum opiniones, ſiue probentur à Papa, ſiue à Concilio, manere opiniones, nec fieri articulos fidei, etiamſi angelus de cœlo aliud ſtatueret. Nam quod ſine Scripturis aſſeritur, aut reuelatione probata, opinari licet, credi non eſt neceſſe. Hæc autem opinio Thomæ adeò ſine Scripturis & ratione

quæſt 6. artic. 2.

tione fluctuat, vt nec philoſophiam, nec dialecticã ſuam nouiſſe mihi videatur. Longè enim aliter Ariſtoteles de accidentibus & ſubiecto, quàm ſanctus Thomas, loquitur, vt mihi dolendum videatur pro tanto viro, qui opiniones in rebus fidei, non modò ex Ariſtotele tradere, ſed & ſuper eum, quem non intellexit, conatus eſt ſtabilire, infeliciſſimi fundamenti infeliciſſima ſtructura. Permitto itaque, qui volet, vtranque opinionem tenere; hoc ſolùm nunc ago, vt ſcrupulos conſcientiarum de medio tollam, ne quis ſe reum hæreſeos metuat, ſi in altari verum panem, verumq́; vinum eſſe crediderit; ſed liberum ſibi eſſe ſciat, citra periculum ſalutis, alterutrum imaginari, opinari & credere, cùm ſit hîc nulla neceſſitas fidei. *Hæc ibi.*

At nobis dederunt quondam, cùm Theologiam Propheticam & Apoſtolicam hauriremus, neceſſitatem cogitandi, Euangeliſtæ & Apoſtoli, ſimpliciſſimè & conſtantiſſimè aſſeuerantes, certiſſimum eſſe, & nullum fictitium miraculum poni, ſi in menſa Domini verus panis, verumq́; vinum; non autem caro & ſanguis Chriſti in pane & vino, vel ſpeciebus panis & vini latẽs, aſtruatur, quicquid Eccleſia determinet contrarium. Præterea videntes, quæ eſſet Eccleſia, quæ hoc determinaſſet, nempe Papiſtica, & Lutherus cum ſibi applaudentibus, audaciſſimi facti ſumus, & non dubitantes ſtabiliuimus conſcientiam noſtram ſentẽtia Scripturæ & veteris Eccleſiæ, eſſe videlicet verum panem, verumq́; vinum, in quibus vera caro verusq́; ſanguis Chriſti, non occultetur ſubſtantialiter, ſicut Papiſtæ ſub accidentibus ſuis fingunt; ſed ſacramentaliter repræſentetur, & ſpiritualiter ſumatur: quod fecimus, quia vidimus, Papæ & Lutheri opiniones, à quibuſcunque probentur, manere figmenta hominum, & repugnare articulis fidei, etiamſi angelus de cælo aliud ſtatueret. Nam quod contra Scripturas aſſeritur, aut reuelationem probatam, ne opinari quidem, multò minus credere licet. Hæc autem opinio Papæ &

Lutheri, adeò Scripturis & veris rationibus eſt contraria, vt nec Philoſophiam nec Dialecticam ſuam nouiſſe nobis videantur. Longè enim aliter Euangeliſtæ & Apoſtoli, & Orthodoxa vetuſtas Eccleſiæ de Sacramentis, & cœna Domini, & de corpore Chriſti loquuntur, quàm Papa & Lutherus, vt ſeriò doleamus, pro tanto viro Luthero, qui ſuam opinionem de cœna Domini, non modo è Scholaſticorum lacunis impuriſſimis hauſtam, Eccleſiæ Chriſti propinare, ſed & ſuper Vbiquitatẽ corporis Chriſti, quam intellexit Scholaſticos repudiare, conatus eſt ſtabilire, ſuper infeliciſſimum fundamentum infeliciſſima ſtructura. Hortamur itaque, vt qui non volet vltrò ad lucem veritatis cæcutire & errare, vtranque opinionem, Papæ videlicet & Lutheri abijciat; hoc ſolùm ſemper agentes, vt Chriſto ſuam gloriam, & conſcientijs ſuam tranquillitatem aſſeramus, & Idola Pontificia è medio tollamus, ne quis ſe reum hæreſeos metuat, ſi vel à Papa, vel à Luthero, vel ab alijs condemnetur, ſed non liberum ſibi eſſe ſciat, citra periculum ſalutis, quando in conſcientia ſua de veritate diuina conuictus eſt, ei contrarium imaginari, opinari, aut credere, cùm hoc non ferat natura fidei, ſolo Dei verbo nitentis.

Ex his apparet, Lutherum non è Scriptura ſacra didiciſſe, ſed ex tenebris & facibus Papatus, & ſuperſtitione monaſtica, hunc næuum traxiſſe. Et cùm videret abſurditatem tranſſubſtantiationis, vt ea omiſſa, tamen opinionem inueteratam, & altiſſimis radicibus in ipſius animo hærentem, de Chriſti præſentia corporali, retineret, conſubſtantiationem ſubſtituit, errorem errore commutans, nec videns, ſuam opinionem non habere plus, imò etiam minus coloris, quàm Scholaſticorum & Papæ; panem enim, nõ autẽ in pane, corpus ſuum eſſe, Chriſtus dixit. Hoc inueteratum fermenti Monaſtici contagium alterum fuiſſe in Luthero fontẽ certaminis Sacramentarij, etiam ex alia Lutheri Confeſſione manifeſtè apparet, de qua ſic ſcribit Melanthon ad Ioannem Cratonem; Memini me Luthero

ante

ante annos x x in itinere, cùm & placidior & hilarior eſſet, recitare veterum Græcorũ & Latinorũ dicta, quæ expreſsè dicunt panem & vinum σύμβολα, item ἀντίτυπα eſſe, item ſignum, item figuram. Cumque adderem, recentem errorem eſſe, ponere τοῦ ἄρτου μεταβολὴν ἢ μεταστοιχείωσιν (ſic enim recentiores loquuntur) ibi ille hæc verba ſubiecit: Mirum eſſet, in Eccleſia recenti potuiſſe tantum errorem tam diu hærere, & tam latè recipi: Repreſſi me, ac mirabar, eum tẽpore in hac re moueri, cùm in aliis non moueretur. *Hæc ille. Cùm ergo Lutherus in controuerſia Cœnæ pro norma habuerit non verbum Dei, vt ipſe gloriatur; ſed inueteratam opinionem Papatus, & figmenta ſcholaſticorum, non debet ipſius ſententia eſſe norma Confeſsionis Auguſtanæ, aut doctrinæ de Cœna Domini.*

Ex hac autem fundamentorum, quibus nitebatur, infirmitate & mobilitate, cõſequuta eſt ipſius magna illa in hac tota diſ- 5.
putatione inconſtantia, & pugnantium ſententiarum aſſeueratio. Vbi de duabus naturis in Chriſto, extra ſuas pugnas Sacramentarias loquutus eſt, Orthodoxam Eccleſiæ ſententiam nobiſcum rectiſsimè eſt profeſſus. Vt in libro de poſtremis verbis Dauidis, præter ea, quæ ſuprà annotauimus, multa ſunt, quæ dogma Vbiquitarium prorſus euertunt; vt cùm dicit: Aeterna poteſtas complectitur omnia, & nihil ſinit eſſe aliud aut maius ſupra vel extra ſe: Oportet hoc Deum ipſum eſſe, & nihil aliud. *Item*: Ioh. 16. Omnia quæ Pater habet, mea ſunt: Et Ioh. 5. Sicut Pater ſuſcitat mortuos, & viuificat; ſic Filius, quos vult, viuificat, vt omnes honorent Filium, ſicut honorant Patrem. Hæc omnia de prima, æterna, diuina generatione ſeu natura dicta ſunt. Alteri autem in tempore natæ & humanæ naturæ, etiam data eſt æterna Dei poteſtas, ſed per COMMVNICATIONEM Idiomatum, vt homo Filius Mariæ ſit omnipotens æternus Deus, qui habet pote-

ſtatem æternam, omnia creauit & conſeruat, propter vnitatem perſonæ. *Hæc ſatis clarè communicationem realem Idiomatum refutant: quam Lutherus ponit eandem & parem in his propoſitionibus: Homo Chriſtus omnia creauit, & eſt Deus æternus; Homo Chriſtus omnia conſeruat. Vbiquitarij dicunt: Homo omnia creauit, & eſt æternus Deus, ſecundùm Deitatem; ſed omnia conſeruat ſecundùm Deitatem & ſecundùm humanitatem: Lutherus contrà: Et creauit & conſeruat omnia ſecundùm Deitatem tantùm.*

Serm. Natalis Domini ſuper Heb. 1. *Item*: Debemus hinc diſcere agnitionẽ Chriſti, quæ ſit in ipſo ratio vtriuſque naturæ, diuinæ & humanæ, de qua multi errant, & quidem fabulas extruunt ex ipſius verbis, tribuentes naturæ diuinæ, quæ tantùm debentur naturæ humanæ, excæcantes ſe ipſos in Scriptura. In verbis enim Chriſti præcipua eſt conſideratio, quæ diuinæ, quæ humanæ naturæ conueniant: ſic omnia ſunt expedita & clara.

Ibidem: Etſi enim duæ naturæ ſunt diſtinctæ; tamen eſt vna perſona, vt omnia quæ Chriſtus agit aut patitur, verè Deus egerit & paſſus ſit, etſi tantùm vni naturæ illud acciderit, vt in ſimili: loquens de crure hominis vulnerato, dico, hominem eſſe vulneratum; cùm tamen eius anima, vel totus homo non ſit vulneratus, ſed duntaxat pars corporis eius; idque ideò, quia corpus & anima ſunt vnum. Sicut iam de corpore & anima loquẽdum eſt diſtinctè; ſic etiam de Chriſto. *Item*: Rectè dicitur: Noui Solem etiam noctu, cùm tamen ſola mente eum agnoſco, non autem oculis. Sic Chriſtus ignorat diem nouiſſimum, & tamen nouit eum &c.

Ibidẽ: Super illud: Vnxit te Deus, Deus tuus &c. Neceſſe eſt, verum Deum eſſe, qui vngit: Eſt autem & is verus Deus, qui vngitur, quia ſolium Dei occupat & regnat in æternum. Iam verò Deus non poteſt ſe ipſum vngere, ſed is qui vngitur,

tur,eſt infra ſuum vnctorem. Vngi enim hîc ſignificat, Spiritum ſanctum cum ſuis donis alicui infundi, vt manifeſtũ eſt, quod ſoli creaturæ eſt proprium. Vides ergo hîc neceſſariò, hunc Regem eſſe verum Deum, per primam partem huius dicti: & tamen verum hominem, per ſecundam partem. Secundùm humanitatem enim habet cõſortes, cum ſit caput omnium fidelium, qui Spiritus ipſius fiunt participes, quem ille ſuperabundanter habet præ omnibus.

In Sermone de aſcenſione. Spiritus ſanctus concionatur, Chriſtum non manſiſſe in terris, ſed aſcendiſſe in ſublime. *Ibidem*: Habet autem Chriſtus poſt aſcenſionem ſuam verum corpus, quod carne & oſſibus conſtat, vt ipſe dicit: Luc.24. & eſt palpabile, & tamen eiuſmodi corpus, quod per naturam tam poteſt ſurſum in altum moueri, quàm deorſum. *Et paſſim habet ſimilia.*

Cùm autem ſudat in probanda corporali præſentia Chriſti in pane: ibi prorſus à ſe ipſo deficiens, prolabitur in ſuam repletiuam & definitiuam præſentiã corporis Chriſti, iam in omnibus, iam in aliquibus locis; ibi ſicut Deitatis, ſic & corporis Chriſti, omnia ipſi plena ſunt.

In Cœna verò Domini tam eſt varius, & ſibi diſſimilis, vt in ſcriptis ipſius tres vel quatuor de illa ſententias reperiamus. PRIMA *ex illis eſt noſtra, quam ipſi aliquando euidentia & vis veritatis extorſit, & in qua haud dubiè confirmatus fuiſſet, niſi occaſiones certaminis, de quibus diximus, interrupiſſent ipſius profectum. Super caput 6 Ieſa. ſic ſcribit*: Dicit Propheta, ſe vidiſſe Dominum: Et ſpecies Domini, & item Dominus, figura ſermonis rectè pro eodem accipiuntur: Sic corpus Domini, & panis Domini pro vno accipiuntur. *Item*: Turpiſſimum eſt, vel vnum inueniri Epiſcopum, qui neſciat Sacramentum à corpore Chriſti diſtinguere; quæ ſic differunt, vt nec oriens nec occidens tantum differant.

Variæ Lutheri de Cœna Domini opiniones.

Tom. 2. pag.31.b.

In Serm. ſup. Ioh. 6. anno 23.

Item: Panis ſuper altari tantùm eſt ſignum ſicut baptiſmus: & nihil prodeſt, niſi panis iam intus manducatus ſit.

Serm. in Nat. Domini ſuper Tit. 2.

Item: Iccircò vides, Chriſtum tibi non tradi in manum, non deponi tibi in ciſtam, non ingeri tibi in ſinum, non DARI TIBI IN OS, ſed offerri tibi tantùm verbo Euangelij, & per aures proponi tuo cordi, vt qui pro te, tua iniuſtitia & immunditia ſe tradiderit: propterea nec vlla alia re, præterquam CORDE potes eum accipere.

Dominica Septuag. ſup. 1. Cor. 10.

Itē: Hîc primò ſciendum eſt, ſicut ſæpe eſt dictum, Deum inde ab initio ſanctos ſuos duxiſſe, redemiſſe & ſeruaſſe, per duas res, nempe, per verbum ſuum corporale, & externa ſigna. *Ibid.* In omnibus eſt eadem fides, & idem Spiritus, etſi varia ſunt verba & ſigna. Signa & verba quidem aliis temporibus alia traduntur; ſed manet tamen eadem fides in vnum Deum, qui per diuerſa ſigna & verba diuerſis temporibus eandem fidem & Spiritum dat, & per hunc etiam eandem remiſſionem peccatorum, redemtionem à morte, & ſalutem in omnibus ſanctis operatur, ſiue in principio, ſiue in medio, ſiue in fine mundi. *Ibidem:* Bibebant autem ex Spirituali Petra, quæ erat Chriſtus, id eſt, Credebant in eũdem Chriſtum, in quem nos credimus, etiamſi nondum in carnem venerat, ſed poſtea demum venturus erat. Et huius ipſorum fidei ſignum erat corporalis Petra, ex qua bibebant aquam corporaliter: ſicut ſumendo corporalem panem & vinum in altari, edimus & bibimus verum Chriſtum SPIRITVALITER: id eſt, Edendo & bibendo externè, exercemus fidem internè. *Et multa ibi ſimilia.*

Tom. 2. Ienen. Latin. in aſſert. cõtra bullam. Leon. fol. 311.

Item: In omni Sacramento eſt verbum promiſſionis diuinæ. Sic in Sacramento panis, datur corpus Chriſti in verbo iſtius promiſſionis: Accipite, manducate: Hoc eſt corpus meum, quod pro vobis traditur. Oportet ergo manducantem omnino & firmiter credere, corpus Chriſti

non

non tantùm pro alijs,ſed etiam pro ſe datum eſſe,vt ſic verũ ſit illud:Nõ Sacramẽtũ,ſed fides Sacramenti iuſtificat.

Item: Hoc eſt corpus meum. Hîc ſignum & pignus promiſſionis apponitur. Ita habet conſilium diuinæ bonitatis,ſuas promiſſiones aliquo ſigillo ſignare. Sic circumciſio fuit ſignaculum pacti:ſic literis ſigilla appenduntur, ſtipulationes manuum fiunt.

Tom. 2. Ien. Lat. de abrog. miſſa priuata. An. 21.

Et: Sacramentum altaris habet tria,quæ oportet ſciri; Primum eſt Sacramentum ſiue ſignum; alterum eſt ſignificatio illius Sacramenti: Tertium eſt fides vtriuſque. Sacramentum oportet externum & viſibile eſſe, in corporali forma & ſpecie; ſignificationem oportet internam & ſpiritualem eſſe,in ſpiritu hominis; Fidem oportet horũ vtrunque ad fructum & vſum transferre.

Tomo 1. Ien. Germ. fol. 202. Serm. de Sacr. & fratern. Anno 19

Item: Deus in omnibus ſuis promiſſionibus, addidit verbo etiam ſignum ad maiorem certitudinem & confirmationem fidei. Sic Noæ dedit Iridem, Abrahamo circumciſionem. Sic Chriſtus in hoc Teſtamento fecit. Nos enim miſeri homines, cùm externis ſenſibus vtatur vita noſtra ,indigemus ſaltem aliquo ſigno externo,quod verbis annexum ſit; ſic tamen ,vt illud ſignum ſit Sacramentum,hoc eſt,vt ſit externum, & tamen res ſpirituales habeat,& ſignificet.

Tomo 1. Ien. Germ. folio 321. Serm. de Nouo Teſt.

Item: Sacramentum nihil eſſet abſque verbo:vrgent Sacramenta verbum : Quomodo acciperentur hæc niſi per fidem;corpus meum traditur ad remiſſionem peccatorum? Hîc ſitus eſt theſaurus. Abiice illam fatuitatem: Quomodo corpus Chriſti ſit ibi: de fructu ſis ſolicitus.

In Serm. Eccleſiaſticis in Serm de Sacram.

Haberemus plura : ſed hæc ſufficiunt, intra quæ ſi ſe continuiſſet Lutherus,nihil eſſet diſsidij. Atqui hæc Lutheri fuit doctrina de Sacramentis, & de Cœna Domini, ante contentionem motam cum Caroloſtadio, & cùm ex animo pacato, & ad Chriſtianã

Theologiam compoſito, loquutus eſt: ideoq; meritò pro vera & germana ipſius & Confeſsionis Auguſtanæ ſententia, amplectenda.

Cùm autem ex affectibus humanis & Monaſticis eſt loquutus, tanto impetu ab illis, quibus indignabatur, deflexit, vt etiam ad ipſam vſque Transſubſtantiationē, quam primò tenuerat, poſtea de ea dubitarat, tandem abiecerat, tanquam fluctus marinus ad ſcopulos alliſus, reuolueretur; quæ SECVNDA *eſt ſententia de Cœna, extans apud Lutherum. Nam in magna Cōfeſſione ſic ſcribit:* Non rectè igitur faciunt, tam Sacramentarij, quàm gloſſa Decretorum, cùm Nicolaum Papam reprehendūt, quòd Berengarium adegit ad hanc Confeſſionem, qua dicit, ſe atterere ſuis dentibus verum corpus Chriſti. Vtinam omnes Papæ tam Chriſtianè in omnibus partibus egiſſent, quàm hic Papa egit cum Berengario in hac Confeſſione. *Sic ſolent irati arripere tela, etiam quibus ſe ipſos lædunt. Itaque Papiſticæ ſententiæ abſurditas in* TERTIAM *ſententiam eum compellebat de Conſubſtātiatione, quam probabiliorem putabat, vt paulò antè vidimus, ex libro de Captiuit. Babylonica: quam etiam improbata Transſubſtantiatione deinceps defendit. Paulò ante locum iam citatum in Confeſſione maiori, inquit:* Docui hactenus, & adhuc doceo, certamen hoc non eſſe neceſſarium, & non multum referre, ſiue maneat panis, ſiue non. Quanquam ego cum VViglefo ſentio, manere ibi panem: rurſus etiam ſentio cum Sophiſtis, corpus Chriſti eſſe ibi: Et contra omnem rationem & acumen dialecticum, ſentio, duas diſtinctas ſubſtantias bene vnam ſubſtantiam eſſe & nominari poſſe.

Hanc autem præſentiam Lutherus volebat eſſe in ſola Euchariſtia, & niti ſolis verbis: Hoc eſt corpus meum, omiſſa VBIQVITATE *corporis. Tom. 8 Ienenſi Germ. f. 375:* Iam exurgit quæſtio: Quomodo corpus Chriſti poſſit eſſe in Sacramento,

cùm

cùm tamen corpus in multis locis ſimul eſſe non poſſit. Ad hoc ita reſpondeo: Chriſtus dixit, ſe velle ibi eſſe; Ergo eſt verè in Sacramento; & quidem corporaliter. Ergo verè eſt ibi. Neque debet alia cauſſa huius corporalis præſentiæ quæri, præter hanc: verba ſic ſonant; Ergo ſic oportet fieri, ſicut ſonant. Quod verò ad corpus attinet, poteſt Chriſtus, ſi modò velit, vbiq; ſiue in omnib. locis eſſe. Itaq; eſt alia ratio corporis ipſius & noſtri. De VBIQVITATE ſeu exiſtentia in omnibus locis, diſputari non debet. Longè alia res eſt in hoc negotio. Tum etiam Scholaſtici nihil dicunt de Vbiquitate, ſed retinent ſimplicem ſententiam de corporali præſentia Chriſti. *Cùm autem vrgebatur teſtimoniis de veritate corporis Chriſti, tum demum potiùs, quàm ſe victum fateretur, in mediam paludem vbiquitariam, dabat ſe præcipitem; atque ita in* QVARTAM *ſententiam impellebatur; quam nunc arripiunt, & pro Lutheri, & Confeſſionis Auguſtanæ propria & vera ſententia venditãt noſtri Antagoniſtæ.*

Hinc illæ voces Eutychianæ, & ſibi minimè conſtantes, quas tanquam Aiacis clypeum nobis opponit Liber Concordiæ. Implicitæ ſunt enim multæ contradictiones in his verbis: Corpus Chriſti eſſe vbique repletiuè, in pane definitiuè, & in cœlis localiter. Nullum eſt in his tribus, quod poſſit conſiſtere cum reliquorum alterutro. Et illa Marcionem olentia: In libro de firmitate verborum, Hoc eſt corpus &c. Non eſt neceſſe, vt adſit ſicut vinum in dolio. Leui erat in lumbis Abrahami: Omnis generis colores ſunt in oculo: Omnia ſunt in ſpeculo: Arbores ſunt in ſeminibus: *Et ibidem, quæ Schvuenckfeldij voces ſunt:* Nos ſic dicimus; quòd Chriſti caro pertineat ad dictum: Quod è Spiritu natum eſt, Spiritus eſt. Ipſius enim caro non eſt ex carne, ſed ex Spiritu ſancto genita, ſegregata eſt ex omni carne. *Et in maiori Confeſſione:* Poſtquam autem Chriſtus talis homo eſt, & extra hunc hominem nul-

lus eſt Deus; neceſſariò ſequitur, quòd etiam ſecundùm tertium illum ſupernaturalem modum, ſit & eſſe poſſit, vbicunque Deus eſt, & omnia in vniuerſum plena Chriſti eſſe, etiam ſecundùm humanitatem, non quidem ſecundùm primum corporalem circũſcriptiuum modum, ſed ſecundùm ſupernaturalem diuinum modum. *Et multa ſimilia in libris Polemicis.*

Manducatio impiorum. *De manducatione impiorum, tanquam pro aris & pro focis depugnauit: At in libro de firmitate verborum Chriſti ſic ſcribit:* Vtile & bonum eſt, elatos & impios blaſphematores ſic excludi, vt non fruantur S. Sacramento. Quia ſanctum nõ eſt obiiciendum canibus, nec margaritæ porcis. Cùm autem fanatici credant, eſſe ibi merum panem & vinum, certò etiam ſic eſt. Sicut credunt, ſic habent illud; atque ita comedunt merum panem & vinum; corpore Domini neque ſpiritualiter, neque corporaliter fruuntur. Hoc valde bonum & vtile eſt, vt bonum noſtrum non ſpargatur in indignos, ſed ſanctum & purum apud ſolos humiles conſeruetur.

Et Tomo 4. VVitemb. fol. 591 vocat in dubium, an corpus Chriſti vnà cum anima ſit in Sacramento: Quis nos certos reddet, *inquit*, quòd quia Chriſti corpus non eſt ſine anima ſua, propterea oporteat animam ipſius eſſe in Sacramento? *Contrà Tom. 1 Ienenſi Germ. fol. 329.* Viuere oportet omnia, quæ ſunt in hoc Sacramento: Ideò nobis non tantùm inanimata ſigna, ſed corpus & ſanguinem ſuum deſtinauit.

Locum Ioh. 6. Caro non prodeſt &c. extra pugnam paſſim interpretatur de carne Chriſti, vt ſuper epiſtolam Dominica Septuageſimæ: Non prodeſt caro Chriſti illis, qui non aduertunt animum ad verba, quæ de carne ſua dixit. *Cùm autem hic locus opponitur ipſi à noſtris; exponit eum de carnalibus affectibus hominum; vt contra cœleſtes Prophetas, & de firmitate verborum:*

verborum: Non dicit: Mea caro non prodeſt: ſed caro nihil prodeſt. Itaque Oecolampadium oportet obmuteſcere: Scriptum eſt enim: Caro, nō autem; mea caro.

Tomo 2. Ienenſi Germ. fol. 224. Communionē corporis Chriſti, in 1. Cor. 10 exponit de orali manducatione, ſicut paſſim: At in Sermone Eccleſiaſtico de ſumtione Sacramenti, dicit eam eſſe fructū Sacramenti. Sed non eſt opus plura colligere; cùm de ſumma totius cauſſæ tam diſſimilia egerit.

Probauit doctrinam Philippi de perſona Chriſti, & de Cœna, eamq́; commendauit Eccleſiis, ſciens, quàm vehementer ab ipſo Philippus diſſentiret. Nam adeò fuerunt aduerſati & offenſi Philippus & Crucigerus, editione paruæ Confeſſionis Lutheri, vt diſceſſionem VVitemberga molirentur, niſi violenter Lutherus obſtitiſſet. Viuunt adhuc, quibus hæc non ſunt incognita. At nos à Philippi de his capitibus doctrina, quam vidit, intellexit, probauit Lutherus, nō latum vnguem diſcedimus, fatentibus Theologis: Hæc enim ipſa eſt cauſſa inſtitutæ ſcriptionis Bergenſis.

Probauit etiam Syngramma Sueuicum anno 25, in quo multa ſunt ipſius polemicis planè contraria. vt: Caro mea verè eſt cibus: & ſanguis meus verè eſt potus; Cuius? fidei. Nam fides edit carnem Chriſti, & bibit ſanguinem eius, dum credit. Iam ſi fides edat carnē, & bibat ſanguinē: conſectaneū eſt, carnem & ſanguinē fidei præſentia eſſe; ſiquidē ſi nō eſſent præſentia, non poſſent edi aut bibi, aut ſi mauis, credi. *Item totus liber nihil aliud inculcat, niſi iſtam propoſitionem:* Panis nō eſt Chriſti corpus, quà panis eſt, ſed quà habet verbum: verbum autem non niſi fide accipitur. *Item:* Cùm datur clauis addito hoc verbo: En, habes hîc poteſtatem domus; clauis fit poteſtas domus, non quà clauis eſt, ſed quà verbum habet: Sic panis, quà verbum habet, eſt corpus Chriſti. *Item:* Cùm corpus Chriſti carne nos edere aſſeueramus, non aliter quàm candida interpretatione accipias:

non vt corpus Chriſti atteramus & frangamus, vt eſt in reuocatione Berengarij; ſed panem ipſum, quà panis eſt, tractamus, frangimus, edimus, & dentibus atterimus: Corpus autem accipimus, quà verbum accipimus, Hoc eſt corpus meum; vt pulcerrimè quidam dixit: Quod edimus intrat ventrem, quod credimus, intrat mentem.

Probauit item, & commendauit Confeſſionem VValdenſium, quæ noſtra eſt, & ſemper fuit. Et tamen, quod in Bohemis laudauit, tanquam Orthodoxum, in Heluetiis damnauit, tanquam hæreticum.

Concordiæ VVitebergēſis hiſtoria.

Cùm anno XXXVI *Paulus* III *promulgaſſet concilium celebrandum Mantuæ, prudentes & pij viri in Heluеticis, & aliis ſuperioris Germaniæ Eccleſiis, metuentes, ne prætextu diſsidij Sacramentarij, Pontificij impedirent curſum Euangelij; cupiuerũt communem extare vtriuſq; partis Confeſſionem, quam ſcriptam miſerunt ad Lutherum, per Martinum Bucerum, & VVolfgangum Capitonem, ſpe, aut conſenſum, aut pacem impetrandi. Eam Lutherus probauit, non inueniens, quod in ea reprehenderet. Sed vocans in dubium, an hæc eſſet ipſorum ſententia, quæ in Confeſſione erat expreſſa, petiuit eam ab ipſis redigi in certos articulos. Hanc tergiuerſationem & propoſitum retinendi ſuas formulas, in Luthero videntes Bucerus & Capito; petiuerunt à Philippo, ſcribi talem articulorum formam, quæ à veritate non recederet, & à Luthero non facilè poſſet reiici. In his, cùm quædam eſſent loquutiones, quibus Heluetici miniſtri non aſſueuerant, ne quid imprudentes probarent, quod non ſentirent; petiuerunt eas ſibi declarari à Bucero & Capitone. Declarationi libenter acquieuerunt: ac ne quid relinqueretur ambiguum; ſuam quoque declarationem adiunxerunt, & anno* XXXVII *miſerunt ad Lutherum Schmalcaldiam. Reſpondit Lutherus, ſe Confeſſionem & declarationem ipſorum approbare, tanquam verbo Dei conformem: ac ſæpe ſe referens ad declarationem Buceri & Capitonis, iurauit*

ſanctè,

ſanctè, ſe ex animo deinceps ſeruaturum hanc concordiam, pignori opponens animam ſuam, & his verbis vaticinans: Niſi pax vtrinq; ſeruetur, & corde & ore fiat coniunctio, hoc modo poſteriora fore deteriora prioribus. Extant hæc in epiſtola Concordiæ ad Heluetios anno XXXVIII *ſcripta à Luthero.*

Hîc noſtri Antagoniſtæ non habent, quod reſpondeant, niſi Lutherum anno XLIIII *Concordiam hanc retractaſſe, ſcripta parua Confeſſione. Scimus. Sed hoc modo non excuſant, ſed vel maximè traducunt Lutheri inconſtantiam in doctrina de Cœna Domini. Nihil enim in hac tota cauſſa deformius, ipſo indignius, Eccleſiæ toti perniciosſius, admiſſum eſt à Luthero, illa quàm parua, tam praua Confeſſione. Satis ipſi declarata erat noſtrorum ſententia: ab ipſo probata: ſanctè iurata concordia & pax: nihil à noſtris factum contra pacta conuenta: nulla offenſionis præbita cauſſa: Cõcordia optimis rationibus, & verbo Dei nitebatur: Et tamen ille, ſine vlla violationis pactorum iuſta cauſſa, præter omnium ſpem, quietas Eccleſias denuò condemnat, & inſectatur, magis quàm antea hoſtiliter, collegis ſuis, præſtantiſſimis viris, repugnantibus, bonis omnibus dolentibus. In eáne igitur cauſſa, & quidem grauiſſima, ad vniuerſas Chriſti Eccleſias pertinente, in qua tot modis vacillauit, tam varius, & tam ſibi ipſi contrarius fuit Lutherus, quam non Eccleſiarum, ſed ſuo priuatim nomine, tam inconuenienter egit, ſolus ipſe conſtituetur ſuorum aduerſariorum & omnium Eccleſiarum iudex? Et ipſius ſententia erit omnibus oraculum & norma doctrinæ & concordiæ? Inite conſilium, & non ſtabit, dicit Dominus, quia non ex me, neque ex Spiritu meo.* Ieſ.8.10.

Etiamſi cauſſa, quam Lutherus egit in libris Polemicis de Cœna, minus eſſet mala: tamen eam agendi modus peſſimus, eam faceret meritò ſuſpectam. Quàm enim multa ſunt in his libris Lutheri Eriſticis, ex feruore contentionis nimis inconſideratè effuſa ſophiſmata, calumniæ, conuitia, hyperbolicè præter pietatem 6

& modeſtiam, confidenter & arroganter dicta, ſcurriles in rebus ſeriis luſus, mimorum ſannæ & infacetæ facetiæ; quàm multa acerbè & iniurioſè ſcripta, non tantùm in Chriſti inſignes Eccleſias, & viros doctiſſimos, ſanctiſſimos, innocentes, & optimè de Eccleſia Chriſti meritos, ſed etiam in magnos Principes, vel poſteris ipſorum contumelioſa, ſi haberētur authentica; nulla, quàm Theologi Chriſtiani & tanti viri, perſona indigniora, etiamſi illi, quos ſic inſectatus eſt, fuiſſent omnium mortalium deterrimi? Hæc potiùs tanquam ingratitudinis noſtræ pœnas, & dura Eccleſiæ exercitia, nobiſcum deplorare, & tanquam patris turpitudinem, Semi & Iapheti pallio, hoc eſt, emendatione & perpetuo ſilentio, ſepelire debebant illi, qui hos magni viri lapſus, tanquam Chamæa ſoboles, non tantùm non patiuntur quieſcere, ſed etiam, vt habeant exemplum, quod impunè imitentur, pro iudicij Eccleſiaſtici, doctrinæ omnium Eccleſiarum & fidei Chriſtianæ regula, qua vi quáue iniuria obtrudere conantur.

7. *Sufficerent hæc de libris Lutheri Sacramentariis. Sed propter Theologorum nimiam in illis extollendis audaciam, eorumq́ tanquam faſcini, ad operiendos hominum oculos abuſum, repetere hîc viſum eſt ipſius Lutheri, paulò ante ſuam ad Dominum ex hac vita migrationem, de illis ſuis libris factum iudicium: quod etiamſi primò publicatum, quidam tribunicij Theologi, tanquam œſtro perciti, vociferabantur tragicè, mendacium eſſe à nobis confictum: tamen iis teſtimoniis firmatum eſt, quæ ſciunt multi in Germania viri honeſti, eſſe veriſſima, & quæ illi temerarij clamatores refellere nec potuerunt, nec poſſunt.*

Vixit in Academia Lipſenſi D. Alexander Aleſius Scotus, Profeſſor Theologus celebris & excellens; qui ſcripſit reſponſiones ad defenſionem articulorum Louanienſium, Ruardi Tapperi, quarum pars eſt edita. Is in reſpōſione ad articulum XIII. *Louanienſem, ſcripſit hæc verba, quæ ſubiecimus.*

ARTI-

ARTICVLVS XIII.

In Euchariſtiæ Sacramento eſt re ipſa verum corpus Domini noſtri Ieſu Chriſti, illud ipſum, quod de virgine natum eſt, & in cruce paſſum.

ALESIVS.

Dicturus ſum de iſtis quatuor:

I. Vtrum corpus Chriſti ſit vbique.

II. Vtrum ſimul & ſemel ſit in pluribus locis.

III. Vtrum ſit in Sacramento per Tranſſubſtantiationem, & quomodo panis ſit corpus Chriſti.

IV. Quale ſit corpus in Sacramento: ſenſibiléne an intelligibile, & qualiter adſit & diſtribuatur cum pane & vino veſcentibus in Cœna.

De Primo.

CVM *quæritur, vtrum corpus Chriſti ſit vbique; nemo ſuſpicari debet, hoc in dubium vocari, vtrum Chriſtus verus Deus & homo ſit vbique: vel vtrum hæc propoſitio ſit vera per communicationem Idiomatum: Chriſtus homo eſt vbique: Sed hoc diſertè quæritur: An ſicut Chriſtus ſecundùm diuinitatem eſt vbiq;, ſic oporteat huius humanitatem eſſe in omnibus locis. De tempore, quo hoc dogma Eccleſiæ primùm traditum eſt, & de eius autore mihi conſtat. De rationibus autem firmis, & quæ ſpeciem habeant aliquam, nunquam inueſtigare potui, etiamſi cum autore de eo diligenter contuli. Eſt autem natum me viuente, qui hoc anno ſexageſimo primo, ingredior ſexageſimum, & oppugnatum à me primò tanquam nouum nec vnquam antea auditum in Eccleſia. Anno* XXXI. *cum veniſſem VVitembergã, diſputaui contra illa, quæ mihi abſurda videbãtur in doctrina Lutheri, & felicis recordationis viro, D. Philippo Melanthoni ſignificaui, me nunquam hoc dogma de Vbiquitate corporis Chriſti, in vllo autore legiſſe; & cùm eius ſententiam audiuiſſem, quæſita occaſione,*

conueni D. Lutherum, & pauca præfatus, ad tollendam maleuolentiæ ſuſpicionem, quærebam: Quid interſit inter panem Sacramenti & communem, ſi Chriſti corpus eſt vbique. Reſpondit ille, & oſtenſo ſole ſereno: túne, inquit, dubitas Deum iſthic eſſe? Et cùm reſpondiſſem, nequaquam me dubitare; adiecit: Et tamen ad ſolem non vult agnoſci neque adorari: imò vocat eos idololatras per Prophetam, qui adorant Solem & Lunam. Sic, inquit, etſi Chriſtus eſt vbiq; tamē non vult vbique agnoſci & adorari, ſicut in Sacramento. Ad hoc cùm reſpondiſſem, me credere, Chriſtum Deum & hominem eſſe vbique; ſed me viciſſim ſcire, non inde ſequi, quòd corpus Chriſti aut humanitas ſit vbique: Subriſit dicens; Scire ſe has ſubtilitates, & conuenire de ſententia: Sed non potuit ſermonem abſoluere, quòd tunc ad ingreſſum templi perueniſſemus.

Multi verba Lutheri vrgent, quæ calor diſputationis φιλονικοῖς *exprimere ſolet, vt nunc aliqui colligunt* ἀκυρολογίας *ex Lutheri ſcriptis, contra Caroloſtadium & Oecolampadium, aut certè* ὑπερβολὰς καὶ παράδοξα, *ad probandam vbiquitatē corporis Chriſti, propter inſeparabilem naturarum in Chriſto vnionem & cōmunicationem Idiomatum; diſſimulantes, aut neſcientes forſan, vt æquum eſt de tantis viris credere, illa quæ valedicturus Collegio Theologico, priùs quàm proficiſceretur in patriā, in qua mortuus eſt, dixit Domino Philippo Melanthoni, & quæ is multis expoſuit, quæq; probari poſſunt teſtibus omni exceptione maioribus, videlicet, quòd ſpōte, non rogatus, in hac verba prorupit:* Lieber Philippe / ich bekenne es / daß der ſach vom Sacrament zuviel gethan iſt [*hoc eſt: Mi Philippe, fateor in negotio de Sacramento, nimium eſſe factum.*] *Et cùm Philippus reſpondiſſet; Ergo mi Domine doctor, vt conſulatur Eccleſiæ, edamus lene aliquod ſcriptū, in quo ſententiā noſtrā clarè explicemus; Lutherus ſubiecit; Mi Philippe, Ego de hac re quoq; ſolicitè cogitaui:* Aber alſo machte ich die gantze Lehr verdacht / So wil ich das dem lieben Gott befohlen

fohlen haben/ Thut jhr auch etwas nach meinem Tode/ [*hoc eſt, ſed ſic redderem totam doctrinam ſuſpectam. Itaq; hoc optimo Deo committam. Agite vos etiam aliquid poſt mortem meam.*] *Hæc ex ore Philippi excepta ſunt.*

Cùm hæc recitarentur Bremenſibus, à quodam nobili viro, Erhardo à Lingen; miſſus eſt ad D. Philippum, Mag. Iohannes Schlongrabe, vt ſciſcitaretur, an hæc vera eſſent. Reſpondit D. Philippus, ſe nunquam hæc negaturum eſſe: Et addidit: Imò iam publicè dicerem & ſcriberem, niſi cauerem turbas Eccleſiarum: ſed nolo ſciens mori, niſi hoc relatum à me ſit in Teſtamento meo. Neque dubium eſt, quin feciſſet, niſi mors in conſcribendo teſtamento calamum è tremula manu eripuiſſet. Lutherus negat, Sacramentum eſſe tantùm ſignum corporis & ſanguinis Chriſti, & docet, Perſonam velle iſthic agnoſci, non tantùm præſentem, ſed per miniſterium efficacem; ac certò ſtatuendum, quòd cum pane & vino verè exhibeantur corpus & ſanguis Chriſti, ſumãtur, edantur ac bibantur à fidelibus, qui obſeruant inſtitutionem iuxta eius mandatum. Nec ſi iam viueret, aliud doceret.

Ad quæſtionem primam hoc dico: Non tantùm ſophiſticum, ſed prorſus ineptum eſt, quòd dextram Dei, id eſt, diuinam potentiam Chriſto per reſurrectionem donatam, interpretantur de vbiquitate corporis. Deinde inanis eſt metus, ſomniare, humanam naturam diuellendã à Diuina, ſi illa non extendatur per omnia loca, in quibus eſt Diuinitas. Et ridiculum eſt affirmare, illum ſoluere Chriſtum, qui humanæ naturæ non tribuit diuinitatis proprietatem. Abſurdiſſimum eſt etiam, communicationem Idiomatum, interpretari non tantùm de communi prædicatione proprietatum vtriuſq; naturæ in concreto de Perſona, ſed etiam de commmunicatione proprietatum reali, qua natura diuina illa, quæ ſunt ei propria, creare ſcilicet, ſuſtentare, implere omnia, vel eſſe vbique, & eodem tempore in cœlo & in terra, ſupra omnes cœlos, & infra omnes inferos, communicet naturæ humanæ. Nititur

enim falſiſſima imaginatione, quòd Deus ſic ſit vbique, vt corpus in loco, & corpus ſic ſit in loco, vt locum non occupet, ſicut Deus.

Sed quæcunque ſit cauſſa huius dogmatis, conſtat nullum neque Scripturæ, neque veteris autoris habere teſtimonium; & vicinũ eſſe hæreſibus Eutychis, Valentini & Apollinaris, ſi non omnino idem. Notum eſt enim ex hiſtoria Eccleſiaſtica, & vetuſtiſſimis Scriptoribus, Irenæo, Ignatio & aliis, Valentinum & Apollinarem primò, deinde Manem ſuſtuliſſe veritatem naturæ humanæ in Chriſto: Poſteà verò Neſtorium diſtraxiſſe naturas, & negaſſe proprietates vtriuſque naturæ tribuendas perſonæ in concreto, iuxta regulam Eccleſiaſticam de communicatione Idiomatum. Poſtremò Eutychen cõfudiſſe naturas in Chriſto & earũ proprietates. Iſti verò, ne videantur confundere naturas, concedunt diuerſas eſſe οὐσίας*, id eſt, aliam eſſe eſſentiam diuinam, & aliam humanam in Chriſto, ſed confundunt proprietates, & contendunt, illa, quæ ſunt propria diuinæ naturæ, non nomine tantùm, vel prædicatione de perſona in concreto, ſed de humana natura in abſtracto dici, & hanc vbique eſſe, vbicunque eſt diuina natura; & ſimul atque Filius induiſſet humanam naturam in vtero virginis, illam etiam extra vterum fuiſſe, vbicunque erat eius Diuinitas, in cœlo & in terra, apud inferos, & in dextera Dei, ſi non circunſcriptiuè, tamẽ verè & realiter, propter vnionẽ perſonalẽ indiuiduã; quaſi verò cùm corpus Chriſti pẽderet in monte Caluariæ, idem in monte Oliueti, imò in montibus Armeniæ & Caſpiis, atque in toto orbe terrarum fuiſſet crucifixum, vel in vno tantùm loco paſſum, & in aliis minimè, cùm tamen verè eſſet vbique, &c.*

HAEC *Aleſius cùm Typographo Lipſenſi Iohanni Rhambauo excudenda iam tradidiſſet: reſciuit hoc D. Iohannes Pfeffingerus, paſtor Eccleſiæ Lipſicæ, & librum ex officina abſtulit, editionémque impediuit, grauem Eccleſiæ & Luthero per ignorantiam faciens iniuriam. Diuina tamen prouidentia, cùm Deus nollet hæc latère, factum eſt, vt vir honeſtus, Iohannes Pfulmannus, eo*

tem-

tempore auditor Aleſii, miſſus poſtea ad ſeruiendum Eccleſiæ in Palatinatu Bauarico, ex Aleſii libro, quem domũ deportandũ ab ipſo finita prælectione publica, acceperat, ea deſcripſerit. Ex Pfulmanni autẽ manu hæc deſcripta ſunt, teſtibus viris integerrimis, qui & Lipſiæ anno LXIII *die* VI *Aprilis ex* αὐτογράφῳ *Aleſii illum hæc deſcripſiſſe, & iſta ſic acta eſſe Lipſiæ, ſe ibi præſentibus, ſciunt & teſtantur. Neq; res, etſi quidam operam dabant, vt ſupprimeretur, ita occulta manſit, quin pluribus innoteſceret. Ex hoc enim facto D. Pfeffingeri, inter ipſum & Aleſium, & Typographum, extitit contentio, quæ non potuit omnes latêre. Cum autem hæc in Palatinatu etiam increbuiſſent, vt res penitiùs cognoſceretur, ex mandato Illuſtriſſimi Principis Friderici* III *Palatini, Electoris, feliciſſimæ memoriæ, ſcriptum eſt ad Conſulem tum Bremenſem, virum ſpectatiſſimæ fidei, & virtutis ac ſapientiæ fama clariſſimum in Germania, Dn. Danielem à Buren, quẽ honoris cauſſa nominamus, vt an iſta ſic acta eſſent Bremæ, ipſius & Erhardi à Lingen & Schlongrabij teſtimonio, Celſitudo illius edoceretur. Reſcripſerunt illi, omnia iſta eſſe veriſſima, nec ſe recuſare coram tota Eccleſia & mundo huius rei teſtes nominari, vt qui, quod autoritate publica eſſet geſtum, occultandi aut inficiandi neque poteſtatem, neque cauſſam vllam haberent. Parſum nihilominus tùm fuit ipſorum nominibus, propter crabronum, quos nõ dubitabant illi, qui hæc publicabant, ſicut etiam euênit, irritatum iri aculeos. Nos verò, poſtquã iſti bilẽ ſuã in alios effuderunt, ideò nominandos exiſtimauimus, vt omnes intelligerent, non ex falſis, & autore carentibus, & riſum excitaturis rumuſculis, ſicut nuper admodum fecerunt quidam ex Theologis Bergenſibus, ſed ex teſtimonijs, quibus fides derogari ſine impudentia non poterat, olim narrationem illam in lucem datam fuiſſe: & viderent veritatis cupidi, hoc certum eſſe, quòd Philippus iſta recitauerit: ſi qui autem ſanctam Philippi animam arguant mendacij, illos nihil aliud, niſi ſuam proteruiam traducere.*

His expoſitis patet, non audiendos eſſe illos, qui contendunt, Polemicos libros Lutheri, eſſe declarationem authēticam Confeſſionis Auguſtanæ; quandoquidem ipſe Lutherus ante mortem eos damnauit ſuo iudicio, & ſcriptionem illorum deplorauit; Philippi autem declarationem in eorum locum ſurrogauit. Quid ergo reſtat, niſi, vt ſi quos authoritas Lutheri in errorem induxit, hos eadem ad veritatem reducat: ſi Eccleſias & animos diſtraxit, eadem rurſus coniungat. Lapſus autem illius doceat nos, non ex hominum, ſed ex ſolius Dei ore pēdere; omnia probare, & quod bonum, hoc eſt, verbo Dei conſentaneum eſt, tenere; infirmitatis noſtræ agnitione, non confidentes, non arrogantes, non ſecuros eſſe; ſed in timore Dei cogitare, cùm talia etiam ſummis viris accidant, quid nobis poſſit accidere; veram intelligentiam diuinæ vocis, & in veritate concordiam, & conſtantiam à ſolo Deo petere & expectare: bonitatem item Dei agnoſcere, qui lapſus ſanctorum, ipſis & aliis ad ſalutē conuertit, dum ipſos erudit per hos ad modeſtiam, Eccleſiam exercet in precibus, patientia, ſcrutatione Scripturarum; & occaſione certaminum multas doctrinæ cæleſtis partes meliùs pleniusq́; illuſtrat.

Hæc ſi cogitauerimus, nullum erit periculum, ne propterea Lutheri reliqua doctrina ſancta & ſalutaris fiat ſuſpecta, aut veniat in dubium. Non enim, ſi falſum eſt, quod Lutherus ex Papatu traxit, aut ipſe ex humano ingenio addidit oraculis diuinis; propterea etiam illud falſitatis ſuſpectum redditur apud pios, quod verbi Dei teſtimoniis ſuffultū docuit. Sin autē ab hypocritis hoc prætextu veritas contemnitur; propter illos non eſt diſſimulanda veritas: ſatis eſt, ſi veris Chriſti ouibus non ſit periculum, quas nemo poteſt rapere ex manu paſtoris ſui: Neq; erroris agnitio & emendatio contemtum, ſed potiùs autoritatem conciliat piis doctoribus apud pios & non ſtolidos auditores: Eſt enim ingenuitatis, fidelitatis & curæ in docendo, argumentum. Ideoq; Auguſtinum non puduit libros Retractationum ſcribere, neq; vnquam

Agnitio & emendatio erroris non labefactat, ſed confirmat autoritatē piorum doctorum.

hoc diminuit,ſed confirmauit autoritatem eius in Eccleſia Chriſtiana. Conſulitur errorum detectione Eccleſiarum concordiæ piæ & ſolidæ,& conſcientiarum paci,quæ certante in animis rationum & autoritatis pondere,turbantur & cruciantur: hypocritis autem,& errorum defenſoribus adimitur facultas abutēdi magnorum virorum nominibus. Ob has rationes inanis eſt ille metus,ne concidat Lutheri & Euangelij autoritas, ſi fateamur eum erraſſe de Cœna Domini.

Dicunt Bergenſes Theologi,non propterea contemni vel abiici libros vtiles Philippi aut aliorum,etiamſi erroris in hac parte doctrinæ accuſentur. Si hoc in Philippo locum habet,cur non etiam in Luthero? cuius tamen libros nos multò minùs exautoratos, & ſublatos cupimus,quàm illi libros Philippi: Etiamſi plus in Philippi,quàm in ſuis libris iacturæ facturam Eccleſiam Lutherus iudicauerit. Multa cogimur in omnium veterum libris improbare;ſed ipſos propterea abiicere,non eſt nobis conſultum. Cùm abiiciuntur & comburuntur fœnum & ſtipula, non perit, ſed purgatur & pretioſius fit aurum.

Optandum quidem fuiſſet, vt obtemperaſſet Lutherus pio & ſalutari conſilio Philippi, de controuerſia perſpicuè explicanda,& placidè ſopienda,viuo adhuc Luthero: ſic nobis nunc non tanta eſſet ſuſtinenda inuidia, & minùs turbarentur Eccleſiæ. Sed quando ſic viſum eſt Domino nos exercere; non tam de Luthero, eximio ſeruo Dei,quieſcente in Domino, quod querantur habent Eccleſiæ,quàm de illis,qui erratorum Lutheri defenſione, & ſuorum figmentorum cumulatione,oſtendunt,ſe non de gloria Chriſti & veritate,quam obtendunt, nec tam de Lutheri, quàm de ſua autoritate pugnare. Cur enim volunt Lutherum Euangelicæ veritatis eſſe regulam? nempe vt ipſi ſoli veritatis cuſtodes, γνήσιοι *Lutheri diſcipuli & ſucceſſores,columnæ Eccleſiæ eſſe videantur, à quibus omnes Eccleſiæ pendeant, & ad quos, tanquam in Lutheri cathedra ſedentes, omnes reſeruati*

caſus referantur. Ideò Lutherus eſt illis tertius & poſtremus ELIAS, *vt illis liceat eſſe Eliſais, in qubus ſeptuplum Spiritus Eliani, qui fuit in Luthero, reſederit: & quidem poſt quos nullus alius Elias expectetur, qui ipſorum luminibus poſſit obſtruere. O rem miſeram, & deplorandam, quòd eò vſque hoc genus hominum proceſſit audacia & licentia, vt qui donorum, quæ Deus in Lutherum contulerat, non habent ſeptimam partem, in iis maledicentiæ, temerariæ ſibi aduerſantium condemnationis, &* φιλοπρωτίας *ſeptuagecuplum deprehendatur. His artibus, quo quiſque inter eos magis excellit, eò ſimiliorem ſe eſſe Lutheri, ipſe ſibi perſuadet, & alios perſuaſum vult habere. Hæc illis eſt religio, hæc conſtantia, hic zelus, ſi ſtrenuè proclament magnum illud nomen Lutheri, quemadmo-*
Act.19.27. *dum Demetrius ille argentarius cum ſua factione, mota Epheſi ſeditione, contra Paulum & Chriſtianos, magnam clamabant Epheſiorum Dianam.*

Dicunt quidem, ſibi fieri iniuriam, quoties illis hæc obiiciuntur. Sed ſi hunc ſcopum non haberent, non docerent ſuos auditores pendére ex Luthero; non eximerent illum cenſuræ; non facerent illius libros regulam dogmatum; non vellent ſoli à ſuis audiri; non interdicerent lectione & diſtractione noſtrorum librorum; non carceres & exilia intentarent iis, qui rationem eorum, quæ docent, ab ipſis poſtulant: ſed facerent, quod noſtrarum Eccleſiarum miniſtri & doctores faciunt, qui à ſe ipſis, & ab omnibus hominibus, ad Chriſtum, ad Scripturam ſacram ablegant auditores; ſe & ſuam doctrinam libenter ſubiiciunt examini Eccleſiæ; parati ſunt eius rationem reddere omni poſtulanti; non tantùm facilè ferunt, ſed etiam hortantur ſuos auditores, vt legant aduerſariorum libros, & illorũ fundamenta cum ſuis, & vtrorumque doctrinam cum verbo Dei conferant, & ſequantur, quod huic conforme deprehenderint. Hanc libertatem, qui in hominum dictis & ſcriptis iudicandis retinuerit,

nuerit, eum nec Lutheri, nec vllius doctoris autoritas facilè in tranſuerſum abripiet.

Veniam à lectore Chriſtiano petimus, quòd pluribus de Auguſtana Confeſſione, & D. Luthero, piæ memoriæ, diximus. Cauſſa enim eſt, quia videmus, diſſidium de Cœna Domini, in multorum animis, potiſſimùm niti opinione hac de Luthero, à ſuis concionatoribus ipſis inculcata, quòd Spiritu prophetico præditus, non potuerit errare.

CAPVT VII.

De iniuſta condemnatione noſtræ doctrinæ, in libro Concordiæ.

LIBRVM Bergenſem non oportere dogmatum & iudiciorum Eccleſiaſticorum eſſe regulam, tribus argumentis monſtrauimus; quia condemnat conſentientes cum Scriptura, Symbolis & veteri Eccleſia: quia damnat criminum, quæ illis obiicit, non reos: quia damnat conſentientes cum Auguſtana Confeſſione. Venimus ad quartum.

Quicunq; homines, Chriſtianam Religionem profitentes, ab Eccleſia non auditos, nec erroris cõtra fundamentum Religionis conuictos & damnatos, hæreſeos cõdemnat; eius ſententia nõ eſt

Ioh. 7. 21. Deu. 17. 8. Deut. 29. 15. iuſta de hæreticis pronuntiandi regula. Nam Lex Dei non condemnat quẽquam, niſi priùs audierit ab ipſo, & cognouerit, quid faciat. Cùm verò abſque vlla diiudicatione legitima ſcriptæ ſint condemnationes Bergenſes; non poſſunt eſſe regula Concordiæ Eccleſiarum & diſcretionis Orthodoxorum aut piorum ab hæreticis. Damnant enim nos tanquam hæreticos, quos hæreticos eſſe non poſſunt probare. Qui nimis præcipites ſunt, ad inferendum crimen hæreſeos, à ſe diſſentientibus, non rarò grauiſſimè in Deũ, in Eccleſiam, & in fratres, vel opinionis ſuæ errore, vel affectu peccant. Non enim omnes, qui errant de doctrina Chriſtiana, ſunt

Hæretici qui ſint. hæretici: ſed ij demum, qui verſantur in errore, vel qui apertè pugnat cum religionis fundamento, hoc eſt, præceptis Decalogi, aut articulis fidei, vel ex quo ſequitur partis alicuius fundamenti euerſio; de errore ſuo ſunt admoniti, & conuicti Scripturæ ſacræ teſtimoniis, non tantùm priuatim, ſed etiã publico Eccleſiæ iudicio & nomine; & poſt hanc admonitionem aliquoties adhibitam, errorẽ pertinaciter tuẽtur, & ſchiſmatibus Eccleſiam diſtrahũt. Sic Paulus definit hæreticos Rom. 16. 17. Qui diſſidia & ſcandala faciunt,

faciunt, contra eam doctrinam, quam didiciſtis. Et 1. Tim. 6.3. Si quis diuerſa docet, neque acquieſcit ſanis ſermonibus Domini noſtri Ieſu Chriſti, & ei, quæ ſecundùm pietatem eſt, doctrinæ; is turget, nihil ſciens, ſed inſaniens circa quæſtiones ac verborum pugnas, ex quibus naſcitur inuidia, lis, maledicentia, ſuſpiciones malæ, peruerſæ exercitationes hominum mente corruptorum, & qui priuati ſunt veritate, & quæſtui habent pietatem. Et 2 Tim. 3.13. Improbi homines & impoſtores procedēt in peius, tum ſeducentes alios, tum ſeducti ipſi. Tit. 3. 10. Hæreticum hominem poſt vnam atq; alteram admonitionem reiice; vt qui noris euerſum eſſe eum qui ſit eiuſmodi, & peccare vt qui ſuopte iudicio ſit condemnatus.

Hæc deſcriptio hæreticorum, niſi teneatur, hæretici fuiſſent diſcipuli Chriſti, qui multis magnis erroribus laborabant; item illi, qui in Eccleſia Apoſtolica edebant olera, & curabāt dies, aliis veſcentibus quibuſlibet, & dies non curantibus; item Corinthij, qui errabant de Idolothytis, de Cœna Domini, de vſu donorum Spiritus ſancti, de reſurrectione carnis; quos tamen Paulus appellat fratres, etiamſi dicat, inter eos eſſe hæreticos. Errabant ergo, & fratres, & hæretici, & quidem de iiſdem rebus, ſed non eodem modo. Errabant multi ex infirmitate, parati errorem corrigere, ſi meliora docerentur: de quibus dicitur: Infirmum in fide aſſumite: errabant fundamentum retinentes; & tamen ſuperſtruentes aliquid fœni & ſtipularum, qui nihilominus ſeruantur, etſi tanquam per ignem: errabant non ſcindentes Eccleſiam; quibus tamen, ſi quid aliter ſentiebant, Deus ſuo tempore retegebat. Item Apollos, qui feruens Spiritu, & potens in Scriptura, ſciebat tantùm doctrinam Iohannis. Rom. 14. 4. 1. Cor. 3. 15. Phil. 3. 15. Act. 18. 25.

Ex his patet, nos non eſſe hæreticos, & dignos anathemate. Nam fundamentum nos tenere, neque aliquid docere, ex quo dogma repugnans fundamento conſequatur, ſuprà oſtendimus. Erroris quidem nos arguebat Lutherus, & arguunt Bergenſes

Theologi: ſed errare nos non probant; neq; vnquã in vllo Eccleſiæ legitimo & publico iudicio, cauſſa noſtra audita, examinata, diiudicata & deciſa eſt. Pertinaciæ & ſchiſmatis culpa, nobis nulla ſpecie poteſt obiici: quia offerimus nos ad veritati cedendũ, ſi error nobis in doctrina noſtra mõſtretur, quod hactenus nõ eſt factum; offerimus nos ad fraternitatem colendam, etiam ſtante in doctrina diſſidio, à qua Theologi iſti nos excludunt, niſi contra conſciẽtiam, placitis ipſorum ſubſcribamus.

Ne quidem, ſi noſtra doctrina alicubi diſſentiret à Scriptura, nedum ab Auguſtana Confeſſione, eſſemus propterea rei hæreſeos, ante legitimam Eccleſiæ cognitionem & examen cauſſæ, erroriſq; refutationem. Nam poſt vnam atq; alteram demum admonitionem, autoritate & conſenſu publico Eccleſiæ factam, iubet Apoſtolus errantem vitari tanquam hæreticum, & αὐτοκατάκριτον: Tit.3.10.
Quantò igitur minùs, cùm diſſentimus à libro Bergenſi?

Sed hic illi nobis rem iudicatam obiiciũt: Iam dudum nos eſſe condemnatos: non igitur ſe denuò nos condemnare, ſed iam olim factã condemnationẽ repetere, & ratam habere, ſeu approbare.

Sanè condemnati iam olim ex verbo Dei, legitimo & conſentienti Eccleſiæ Chriſtianæ iudicio & teſtimonio, rectè pro condemnatis & hæreticis cenſentur, tam ab Eccleſiis, quàm à priuatis. Ideò qui veteres hæreſes, iuſtiſsimo Eccleſiæ iudicio olim cõdemnatas, reuocant ex inferis, vt, Samoſatenicam, Arianam, Macedonianam, Neſtorianam, Eutychianam, Manichæam, Pelagianam, aut ſimiles, meritò ſine noui iudicij interuentu, dum modò illos hoc facere, certum & manifeſtum ſit, non iniuria pro hæreticis cenſentur, accedentibus præſertim ceteris hæretici conditionibus. At maximum diſcrimen eſt, inter hos errores veteres, olim damnatos ab Eccleſia, & quæſtiones recens exortas, de quibus nondum aliqua legitima & certa cognitio ac deciſio in Eccleſia facta eſt. Nulla eſt neque vetus, neque noua Synodus legitima & libera, in qua vel cognitum, vel deciſum ſit, eos eſſe hæreticos.

ticos, & pugnare cum fundamento, qui corpus Chriſti negant in pane aut vbiq́ eſſe. Nec igitur Theologi, nec alij poſſunt nos iuſtè hoc crimine notare, ante diiudicationem. Nam quòd Lutherus, & ipſum ſequentes, nos condemnarunt, id nobis tam non praiudicat, quàm ipſis Papæ ſententia, qua condemnat eos nobiſcum, quòd non tranſſubſtantiemus panem: Imo etiam tantò minùs nos Lutheri quàm Papæ iudicium in hac cauſſa poteſt premere, quantò recentius commentum eſt Chriſti latentis ſub pane, quàm ſub panis ſpecie. Pars partem condemnauit & condemnat; ſed nullus vtriuſque iudex. Petunt igitur principium, dum rectè nos iam à ſe damnari volunt, quia iam olim ab ipſis damnati ſimus. Non magis enim viuo Luthero, quàm mortuo, vlla cauſſæ legitima cognitio inſtituta eſt. Contra verbum Dei à nobis oppoſitum, ſine vlla noſtræ doctrinæ refutatione, arbitrio priuato, tàm à Luthero, quàm ab ipſis damnamur. Ergo non rem iudicatam, ſed iudicandam agimus.

Aiunt nos in concionibus & libris noſtris, etiam quibuſdam congreſſibus doctorum, ſatis iam ab annis ferè ſexaginta auditos eſſe. Duo ſunt quæ reſpondemus. PRIMVM, *ſi noſtræ ſententiæ profeſſio ſatis eſt ad nos audiendos: etiam ad nos abſoluendos, & illos condemnandos ſatis erit, quòd multi pij, docti & cordati ex omnibus ordinibus hominum, & ex omnibus gentibus Europæ, approbarunt & probant noſtram ſententiam; plurimi etiam deſerta ipſorũ opinione ad nos acceſſerunt & accedunt. Atq́ hæc eſt cauſa, quare tantopere in hoc incumbant, vt ne vſquam exaudiamur, neq́ publicè; quia Synodum liberã diſſuadent; neq́ priuatim; quia homines lectione noſtrorũ librorum, & nobiſcũ ſuſcipienda collatione prohibent. Ab ipſis quidẽ condemnamur, ſed pertinaciter obſiſtentibus veritati, coccyſmos ſuos perpetuò iterantibus, ad obiecta nõ reſpondentibus, de ambitione & primatu ſuo certantibus. Illorum igitur approbatio & abſolutio, ſecundùm Dei verbum facta, horum condemnationi, contra verbum*

Dei facta, meritò præponderabit. DEINDE, *quas prætendunt auditiones, non fuerũt iudicia Eccleſiæ ordinaria & publica. Scimus, Dei beneficio, exaudiri noſtram Confeſſionem longè lateq́, & ferre fructus minimè pœnitendos: ſed aliud eſt audiri in iudicio, ad examen & diiudicationem cauſſæ: vbi coràm collatis ſententiis & argumentis, communi iudicio & autoritate publica, pronuntiatur, vtra pars litigantium, cum verbo Dei conſentiat.*

Libri etiamſi ſunt partis vtriuſq́, confeſſio & defenſio, coram Eccleſia: tamen non ſunt diſputatio in conuentu eorum, qui poſſunt & debent præſentes præſentibus, ſuas rationes & reſponſiones opponere, & his cum verbo Dei collatis, quid ſit tenendum, communi conſenſu pronuntiare.

Etiam congreſſus à Principibus inſtituti, fuerunt priuati; non autem publici Eccleſiarum conuentus, neque fuerunt iudicia Eccleſiaſtica. Non enim hoc ſibi ſumſerunt Principes, qui conuocarunt aliquos vtriuſque partis Theologos, vt ipſi præiudicarent vniuerſæ Eccleſiæ, vel tanquam iudices litem deciderent; ſed pio conſilio tentarunt diſſidentium conciliationem. Ideoq́, nec ipſi Principes alterutram, nec partes ſe inuicem ibi condemnarunt: ſed pacificè diſceſſerunt, promiſſa vtrinq́, fraternitate Chriſtiana, quam Lutherus poſtea non ſeruauit: Vbiquitatis autem defenſores adacti ſunt ad manifeſtas contradictiones, & principij petitiones. In publicis denique conuentibus Principum non fuerunt diſputationes de dogmatibus, neque iudicia Eccleſiæ, ſed deliberationes habitæ, & decreta facta de pace Reip. & Eccleſiæ, quæ liquidiſſimè refutant, prætextum Theologorũ de noſtri cõdẽnatione.

Si conſideretur hiſtoria horum temporum; & Pontificij, & alij ſæpe magno conatu moliti ſunt condemnationem noſtrorum, & excluſionem à pace religionis: Sed pro ſua pietate & ſapientia, nunquam hanc à ſe extorqueri Principes ſunt paſſi. In conuentu Spirenſi, anno XXVIII *propoſitum de nobis excludendis decretum, grauiſſima & iuſtiſſima reſponſione aboleuerunt. Idem fecerunt*

cerunt anno XXX *in conuentu Auguſtano: Idem anno* XXXII *in conuentu Schvuinfurtenſi, & Norimbergenſi factum eſt. In colloquio VVormatienſi anno* LVII *rurſus propoſita eſt hac condemnatio; ſed non potuit obtineri apud viros pietatis & pacis amantes. Eadem recuſatio condemnationis confirmata eſt anno* LVIII *in conuentu Francofurtenſi. Anno* LX *Ienenſes cùm noſtrorum condemnationem in Synodo ex ſuis tantùm coacta, peterent à Principibus, iuſtam repulſam paſſi ſunt. Eadem cōdemnatio anno* LXI *in conuentu Naumburgenſi; & anno* LXVI *in conuentu Auguſtano, vehementer flagitata, ſed nunquam eſt impetrata; his potiſſimùm de cauſſis, quòd in cæteris capitibus doctrinæ nulla eſſet diſſenſio: De Cœna autem Domini nulla adhuc legitima Eccleſiæ cognitio interceſſiſſet. Cùm ergo neq; auditi, neque conuicti, neque damnati ſimus, eo, quo in Eccleſia controuerſiæ dogmatum dirimi debent, modo; nulla eſt libri Bergenſis ad nos damnandos autoritas.*

II

CAPVT VIII.

Monſtratio falſarum aſſertionum in libro Concordiæ.

AD quintam rationem pergimus. Oſtenſum eſt ſuprà, librum Bergenſem condemnare in nobis doctrinam Scripturæ & Symbolorum, atq; adeò etiam Auguſtanæ Confeſſionis. Iam verò etiam demonſtrare eſt facile, quòd noua & falſa dogmata, Scripturæ, Symbolis & Confeſſioni Auguſtanæ repugnantia, obtrudere conetur Eccleſiæ, & quidem pro norma doctrinæ, & diſcretionis Orthodoxorum ab hæreticis. Liber autem, bonum malum, & malum bonum dicens, mala erit regula fidei: mala formula Concordiæ.

1. In articulo de perſona Chriſti, contendunt Theologi, Proprietates duarum naturarum in perſona Chriſti eſſentiales realiter vtrique naturæ eſſe communes.

Gal. 4. 4. Falſum dogma eſt. Quia Scriptura docet, Filium Dei coæternum eſſe natum ex muliere, Deum eſſe paſſum & mortuum, 1 Cor. 15. 47. aſcendiſſe in cœlum: non autem ipſius Deitatem: Secundum Adamum, id eſt, hominem Chriſtum, non autem ipſius humanitatem, eſſe Dominum de cœlo, deſcendiſſe de cœlo, per quem omnia facta ſunt: qui dat Spiritum ſanctum. Et tamen de vno & eodem Chriſto Filio Dei & hominis, verè & realiter dicuntur hæc vtraque, ſine vlla contradictione: quia diuina dicuntur de ipſo ſecundùm Deitatem, humana ſecundùm humanitatem. Ergo Deus paſſus, mortuus eſt realiter, quatenus homo eſt; ſed nominetenus, quatenus Deus eſt: Et homo realiter æternus, omnipotens, impaſſibilis, vbique præſens eſt realiter, quatenus iſte homo Deus eſt, ſed nominetenus, quatenus homo eſt, hoc eſt, communicatio Idiomatum eſt realis reſpectu perſonæ, ſiue à Deitate, ſiue ab humanitate ſua denomi-

Communicatio Idiomatũ.

nominatæ; quia vnus & idem Chriſtus Deus eſt & homo: ſed verbalis, reſpectu naturarum; quia hæ non ſunt vna natura, ſed duæ, quarum vtraque tantùm ſuas, non autem alterius naturæ proprietates realiter in ſe habet: Perſona autem vna eſt, habens in ſua ſubſtãtia vtranq; naturam; ideóq; & proprietates vtriuſq; naturæ. Huius autem communis prædicationis, diuinorum & humanorum, de homine & de Deo, cauſſa eſt vnio naturarum in eadem perſona Chriſti, quæ minimè verbalis, ſed magis realis eſt, quàm vnio animæ & corporis in homine. Itaq; etiam reſpectu naturarum communitati proprietatum verbali, cauſſa ſubeſt, & per eam ſignificatur maximè realis, videlicet, naturarum vnio.

quatenus realis, & quatenus verbalis ſit.

Vnio non verbalis, ſed maximè realis eſt.

Sacramentarium illis eſt; quòd vnio communia facit nomina. At verba non noſtra, ſed Theodoreti ſunt, in tertio dialogo. Erit igitur & hic illis Sacramentarius, & omnes veteres. Omnes enim idem docent: quòd homo ſit creator, non quà homo, ſed quà Deus eſt; ſicut Deus eſt creatura & caro, non quà Deus eſt, ſed quà homo eſt. Sacramentarius etiam erit Lutherus, qui eandem facit communicationem Idiomatum in his propoſitionibus: Deus eſt paſſus, & homo eſt Deus æternus, creator & conſeruator mundi.

Sed age, quomodo probant hoc ſuum nouum dogma?

Naturæ perſonaliter vnitæ neceſſariò cõmunicant ſibi inuicem ſuas proprietates. Duæ naturæ in Chriſto ſunt vnitæ perſonaliter. Ergo inter eas eſt realis communicatio proprietatum. 1.

Falſa eſt maior propoſitio: Nam humanitas Chriſti perſonaliter vnita eſt Deitati; & tamen non realiter competunt Deitati proprietates humanæ: Corpus humanum perſonaliter eſt vnitum animæ; & tamen proprietates vnius non realiter communicantur alteri. Vniri ergo alteri naturæ perſonaliter, non eſt ei communicare, vel ab ipſa accipere realiter ipſius eſſentiales proprietates; ſed eſt, arcano & ineffabili nexu, cum altero fieri vnius perſonæ ſubſtantiam. Neque realis communicatio Idiomatum in naturis, ex vnione conſequitur, tãquam effectus ex ſua cauſſa; id quod

Vniri perſonaliter quid ſit.

oſtendunt eadem exempla. Et animaduerſione dignum eſt in Theologis, & argumentum trepidantis conſcientiæ, quòd conantur hanc reſponſionem eludere, dum fingunt, humanitati quidem Deitatis, ſed non viciſſim Deitati humanitatis proprietates eſſentiales eſſe communicatas; quia Deitas humanitatem exaltauit & auxit, humanitas autem Deitatem non humiliauit, nec diminuit. Satis eſt enim hoc ad oſtendendum, quòd vniri alteri perſonaliter, non ſit, proprietates illius accipere, vel ſuas illi communicare; neq; hæc communicatio cum vnione neceſſariò cohæreat. Sicut ergo non ſequitur ex vnione, Deitati communicari realiter humanas; ſic etiam ex ea non ſequitur, humanitati realiter communicari diuinas proprietates eſſentiales.

Præterea ne humanitati quidem Theologi poſſunt realiter communicare omnes proprietates diuinas, vt eſſe æternam, dare Spiritum ſanctum, eſſe incorpoream, non habere partem extra partem. Cur igitur magis quàm iſtæ, humanitati realiter à Deitate communicabuntur immenſitas & omnipotentia? Si vnio cum natura omnipotente & immenſa facit naturam humanam omnipotentem & immenſam; cur vnio cum natura incorporea non faceret eam incorpoream? Et ſi vnio cum natura omniſcia facit animam Chriſti omniſciam; cur non etiam corpus & oſſa & carnes & neruos? An non tam corpus quàm anima λόγῳ eſt vnitum? Aliam igitur probationem, & cauſſam quærant realis communicationis, quam vbi libet ponunt, vbi non libet, non ponunt, eadem tamen cauſſa manente.

De ſimilitudine ferri cādētis.

2. *Vtuntur & ſimilibus: Sed quæ ipſos partim non iuuant, partim etiam lædunt. Ferro candenti, inquiunt, ignis proprietates realiter communicantur, vt vrat, fulgeat: Sic etiam naturæ humanæ realiter communicantur proprietates diuinæ naturæ, cui vnita eſt. Sed non vident, aut diſſimulant ſe videre, non omnes proprietates ignis, ſed eas duntaxat ferro cõmunicari, quæ naturam ferri non deſtruant; vt calorem, molliciem, fulgorem; non autem*

autem raritatem & leuitatem ignis, motionem ſurſum. His enim in materiam ferri transfuſis, non iam amplius ferrum ignitum, ſed ignis eſſet. Sic multa ineffabilia dona communicantur humanitati à Deitate, ſed non ipſam deſtruentia, & in aliam naturam commutantia. Aliud eſt ornare, aliud deſtruere naturam humanam: ſicut aliud eſt, ferrum candefacere, aliud comburere, aut in ignem mutare. Præterea, cùm ferrum candeat, non per ſubſtantiam ignis, ſed per calorem, contactu ignis ſibi inditum: ſi volunt ſic etiam realiter carnem per Deitatem fieri omnipotētem & infinitam: non effugiunt eam, quam olim defenderūt, CREATAM DEITATEM, *& creatæ virtutis cum increata Deitate* EXAEQVATIONEM. *Hic illi quidem, cùm ſentirent, quàm in durum ſcopulum impegiſſent, ſubſtituerunt aliud commentum, videlicet, humanam naturam non per creatam & accidentalem, ſed per increatam & eſſentialem omnipotētiam, hoc eſt, per ipſam Deitatem, eſſe omnipotentem. Verùm id multò etiam eſt abſurdius, & magis impium, quàm illud prius. Per hanc enim omnipotentiam nihil poteſt eſſe omnipotens, niſi quod eſt ea ipſa omnipotentia, hoc eſt, ipſe Deus. Ac proinde homo etiam Chriſtus, per hanc omnipotentiam non poſſet eſſe omnipotens, niſi eam haberet in ſe tanquam partem ſubſtantialem ſuæ perſonæ.*

Aduerſatur ergo ipſis ſimilitudo, ſiue ad perſonam, ſiue ad carnem Chriſti accommodata. Ferrum enim candens vrendi potens eſt, non quia ignis ſit de ipſius ſubſtantia, ſed quia calor ab igne ipſi eſt inditus: Sed homo Chriſtus eſt omnipotens, non quia omnipotentia creata ipſi ſit à Deo indita, ſed quia omnipotentia eſt de ipſius ſubſtantia: Caro autem non eſt omnipotens, quia nec omnipotentia eſt de ipſius ſubſtantia, nec accidentalis aliqua omnipotentia ipſi à Deitate, cui vnita eſt, infunditur. Et ſicut propriè loquendo, non ipſum ferrum, ſed calor, qui ineſt ferro, vrit corpora admota: ſic non caro dat Spiritum ſanctum, & operatur vitam æternam, ſed λόγος qui in carne illa habitat: & tamē caro

etiam ſuo modo viuificat cùm tangitur, id eſt, fide apprehenditur, & nobis vnitur. Sic enim Spiritus in illa habitans nos viuificat, ſicut calor ferri vrit, cùm ferrum tangitur. Vrit autem non ferrum, ſed ferrum candens, per calorem, quem habet ſibi vnitum ſubiectiuè: ſic non humanitas, ſed homo Chriſtus eſt omnipotẽs per Deitatem, quam in ſe habet, vnitam carni ſuæ perſonaliter.

Sic etiam animæ & corporis ſimilitudo ipſos refutat magis, quàm tuetur. Nam proprietates eſſentiales diſtinctæ manent realiter, ſalua interea reali & perſonali vnione animæ & corporis.

3\. *Aiunt porrò, Si proprietates diuinæ non realiter communicentur humanitati, hominem Chriſtum non fore Deum verè & realiter, ſed duntaxat nominetenus ſeu titulotenus.*

At quis tandem docuit illos hanc Theologiam aut Logicen, vt ſic ratiocinẽtur? Chriſti humanitas nõ eſt omnipotẽs; Ergo Chriſtus non eſt homo omnipotẽs: Perinde ac ſi dicas: Hominis anima non eſt mortalis. Ergo nec homo eſt mortalis: vel: Hominis corpus nõ intelligit: Ergo homo nõ intelligit. Atqui realiter homo eſt mortalis & intelligens, etſi neque anima eius moriatur, neque corpus intelligat. Sic & homo Chriſtus realiter eſt Deus, etſi humanitas ipſius nõ ſit Deus: Et Deus realiter eſt homo, eſt mortuus; etſi Deitas ipſius neque homo, neque mortua ſit.

4\. *Similis eſt vanitas alterius abſurdi: In humanitate Chriſti & in aliis ſanctis, imò & in omnibus rebus, ſic adeſt Deitas, vt non faciat eas omnipotentes: Ergo in humanitate Chriſti, & in aliis perſonis & rebus eodẽ modo eſt diuinitas; & per conſequens, Chriſtus non magis eſt Deus, quàm Paulus & omnes creaturæ.*

Falſiſſimum eſt, & monſtroſa blaſphemia, ex Eutychianiſmo & Neſtorianiſmo, tanquam Chimæra quædam conflata; videlicet, nullum eſſe diſcrimen præſentiæ Dei in creaturis, quas non facit omnipotentes. Etſi enim natura humana non ſit omnipotens: tamen manet ingens diſcrimen inter præſentiam Deitatis in hac maſſa naturæ humanæ, & in aliis rebus, videlicet, vnio ſeu copulatio

latio arcana & ineffabilis huius naturæ cum perſona λόγου, cuius nullum eſt exemplum in rebus alijs. Sicut Deitas vnita humanitati, non humanitatem, ſed hominem Deum facit; ſic omnipotentia, quæ nihil aliud eſt, niſi ipſa Deitas, vnita humanitati, non humanitatem, ſed hominem facit omnipotentem. Humanam verò naturam omnipotentem, omniſciam, immenſam facere, nihil eſt aliud, niſi eam DEIFICARE; *Cùm idem ſit omnipotentem eſſe, & Deum eſſe. Non ergo iam Filius Dei eſt caro noſtra & os noſtrum; ſed vel aliam naturam aſſumſit, vel aſſumtam naturā noſtram in aliam transformauit. Hæc autem eſt ipſiſsima Eutychis & Schvvenckfeldij impietas. Et ſi hæc Deificatio ſola ſit diſcrimen inter præſentiam Dei in Chriſto, & in alijs rebus, ea ſubſtituta tollitur vera & ineffabilis & perſonalis naturarum vnio; quæ eſt Neſtorij blaſphemia. Hæc ſepè illis obiecta sūt, ex quibus, quo magis extricare ſe conati ſunt, tātò magis ſe intricarūt.*

Sic etiam partim Arij, partim Eutychis hæreſibus aditus pateſit, cùm dicitur: Maria eſt θεοτόκος, Filius Dei eſt mortuus; Ergo proprietates humanæ, vt, naſci & mori, realiter communicantur Deitati.

Sentiunt ſibi hîc aquam hærere, cùm obijcitur eis, quòd realem communicationem proprietatum duntaxat diuinarum cum humanitate, non autem humanarum cum Deitate faciant; atq; ita deſtruant ſuam hypoſtaticæ vnionis definitionem, ſeu differentiam eſſentialem & ſpecificam, quam volunt eſſe realem communicationem Idiomatum: Itaq; huc ſe iam præcipitant, vt etiam Chriſtum ex Maria natum, & mortuum ſecundùm DEITATEM *eſſe, non erubeſcant dicere, ſicut ante aliquot annos quidam ex illis ex profeſſo ſcribere non ſunt veriti: Et tamen, quia verbis diſertis hoc exprimere, propter abſurditatem manifeſtam ſubmetuunt, idem notantibus verbis ſignificant, tanquam calidam pulticulam eijcere ex ore non audentes, nec intus valentes continere. Apoſtoli dicunt, Chriſtum eſſe natū ex ſemine Dauidis, & paſſum*

*eſſe ſecundùm carnem: Ergo non realiter communicant natiui-
tatem ex matre, & paſſionem Deitati, cùm inquiunt, Filium Dei
Deum eſſe natum & paſſum, Dominum gloriæ crucifixum.*

6. *Allegant etiam dicta Scripturæ: vt: Filius hominis colloca-
Matth.26. 64. tus eſt ad dextram Dei: Chriſto homini data eſt omnis poteſtas in
Matth. 28. 18. cælo & in terra: omnia ſubiecta illius pedibus: Datum ei nomen
ſuper omne nomen: & ſimilia, quibus deſcribitur ſumma digni-
Eph. 1. 22. Phil. 2. 9. tas, & diuinum officium Chriſti, quod ille gerit & adminiſtrat
ſecundùm vtranq; naturam; ſaluis tamen, & diſtinctis proprie-
tatibus, & operationibus vtriuſq; naturæ, quæ ad perficiendas a-
ctiones Chriſti ϑεανδρικὰς & ἀποτελέσματα perſonæ, quæ Deus &
homo eſt, cõcurrunt & requiruntur; ſicut anteà eſt expoſitũ. Scri
ptura enim docet, Chriſtum ſic ſedere à dextris virtutis, & ha-
bere poteſtatem omnis carnis, & viuificandi omnes quos vult,
Hebr. 8. 1. ſeruandi Eccleſiam, deſtruendi hoſtes; vt tamen natura ipſius hu
mana ſit vno tempore in vno loco, in cælo, vel in nubibus, vel v-
bi vult, & ſuas partes in officio Mediatoris, & regis cæli & ter-
ræ obeat, quæ tamen ſola non ſufficiunt ad huius officij exſequu-
tionem, ſed neceſſe eſt Deitatis operationes proprias accedere, quæ
ratio poſtulauit, vt Deus homo, & homo Deus fieret.*

7. *Sed aiunt: poteſtas omnium rerum requirit omnipotentiam.
Ergo hæc etiam data eſt naturæ humanæ, ſiquidem etiam hæc eſt
rerum Dominus.*

*At iam ſæpiùs dictum eſt, omnipotentiã nihil aliud eſſe, niſi
Deitatẽ, quod etiã ipſi, velint nolint, fateri cogũtur. Ergo hoc eſt
firmius & clarius, quàm vt vllis ſophiſmatum fumis labefactari
aut obſcurari poſſit; videlicet, nõ aliter humanitati cõmunicatã
eſſe omnipotentiã & alias ꝓprietates Dei eſſentiales, quàm ipſam
Deitatẽ: ſicut cui moneta argentea datur, ei nõ ſecus moneta da-
tur, quàm argentum datur, eò quòd vna & eadem res eſt moneta
& argentũ. At humanitati Deitas non realiter data vel commu-
nicata eſt, ſed perſonaliter vnita, hoc eſt, non ſic ei data eſt, vt ipſa
ſit,*

ſit, vel Deitas vel Deus, ſed vt homo iſte Deus ſit: Ergo etiam omnipotentia non ſic ei data eſt, vt ipſa ſit omnipotens, ſed ei ſic vnita, vt iſte homo ſit omnipotens, quia omnipotentia eſt de ipſius ſubſtantia. Si igitur datam & communicatam carni omnipotentiam intelligant vnitam realiter, quo ore nos idem dicentes condemnant? Sed illi fraudulenter confundunt vnionis & communionis nomina, vt ſub titulo realis vnionis naturarum, obtrudant nobis realem communitatem proprietatum.

Vrgent & illud Coloſſ. 2. 9. In ipſo habitat omnis plenitudo Deitatis corporaliter. Hinc triumphabundi putant ſe elicere poſſe proprietates Dei eſſentiales carni realiter communicari. 8. De loco Col. 2. 9.

Sed cùm Paulus OMNEM PLENITVDINEM *Deitatis nominet, qua autoritate, aut qua pietate, conſcientia & fronte iſti Theologi reſtringunt omnem illam Deitatis plenitudinem ad omnipotentiam, omniſcientiam, & omnipræſentiam, & ſi quas alias diuinas proprietates realiter humanitati communicant? An eſſe æternum, eſſe creatorem mundi, eſſe Spiritualem, eſſe datorem Spiritus ſancti, non ſuſtentari ab alio, eſſe fontem & autorem omnis vitæ, ſapientiæ & virtutis & bonitatis in omnibus rebus, & quæ ſunt horum ſimilia, quæ nullo colore poſſunt humanitati realiter communicare, & propterea ex ſua reali communicatione coguntur excipere: An illa non pertinent ad plenitudinem Deitatis? An ſine illis Deus poteſt plenus & perfectus eſſe? An verò illa non voluit Paulus Chriſto tribuere, cùm plenitudinem Deitatis in ipſo habitare dixit, non minùs quàm vbi nominat Chriſtum Deum ſuper omnia laudandum, illum ipſum, quem ex Iudæis ſecundùm carnem eſſe dixerat? Hanc plenitudinem Deitatis Omnem, Omnem, Omnem, dicit Apoſtolus in Chriſto homine habitare, non ſicut in aliis Sanctis, gratia tantùm inhabitationis ſeu aſſiſtentiæ, ſeu, vt vos fingitis, conformatione ſeu reali communicatione; ſed corporaliter, hoc eſt, reali vnione cum humanitate, quæ etiam plena & perfecta eſt ſecundùm ſua creata* Rom. 9. 5.

KK

perfectionis modum; ita vt ſit illa plenitudo Deitatis, non hoſpes tantùm, ſed ſubſtantia illius hominis.

Hæc illa eſt, ô Theologi, inhabitatio Deitatis in Chriſto, quam Scriptura tradit, quam veteres agnoſcunt, & de qua ex vobis etiam doctiores hunc Pauli locum in libris ſuis non vetuſtis, interpretantur, aliud ſuo, aliud alieno ore loquentes: non autem figmentum veſtrum realis communicationis Idiomatum: Hæc eſt illa plenitudo Deitatis, ipſa videlicet, vera, vnica & æterna Deitas, quam antehac multum ab æterna Deitate differre contendiſtis, nunc autem eam ipſam eſſe fateri cogimini; & tamen, quia non poteſtis refutare, maledictis conſpuitis, & anathemate feritis. Sed dum vos maledicitis, erit qui benedicat.

9. *Ex eodem capite illa verba: In quo omnes theſauri ſapientiæ* Col. 2. 3. *ſunt abſconditi; deprauant, obſcurantes inſignem doctrinam Apoſtoli, qui docet omnem veram & ſalutarem Dei agnitionem non niſi à ſolo Chriſto reuelari omnibus electis & ſanctis, ac propterea hanc Sapientiam nuſquam eſſe quærendam extra Chriſtũ, vt quæ tota in ipſo ſolo inueniatur, & per verbum & Spiritum ipſius nobis communicetur. Hæc iſti ad infinitam ſcientiam mentis Chriſti humanæ detorquent, de qua nihil dicit Apoſtolus. Chriſti officium eſt, vt ſolus ſit Doctor & Magiſter noſter, factus nobis à Deo ſapientia. Hoc officio functus eſt & fungetur in æternum, ſecundùm vtriuſq; naturæ propriam operationem.*

10. *Non pudet eos pro ſe allegare Theodorum Ræthenſem, qui ſcribit Samoſateni dogma hoc fuiſſe, Chriſtum eſſe nudum hominem, in quo Deus verbum, ſicut & in ſingulis Prophetis habitârit: ac proinde duas naturas ſeparatas, & citra vllam prorſus inter ſe communionem in Chriſto eſſe, quaſi alius ſit Chriſtus, alius Deus verbum in ipſo inhabitans. Hic nobis audent Samoſatenum & Neſtorium impingere, in quorum luto ipſi hærent ad ambas vſq; aures. Fatentur ipſi vocem communicationis vel communionis aliquando pro vnione ſumi. Hoc autẽ ſenſu hîc Theodorus expreſſè*

expreſſè declarat, ſic hoc vocabulo vti. Realem enim communicationem diuinorum donorum Samoſatenus & Neſtorius non negabant in homine Chriſto; & tamen vnionem realem & perſonalem duarum naturarum inficiabantur. Cùm autem Theologi contendant, nullam relinqui diſcrimen inter Chriſtum & ſanctos, ſi realis natura humana omnipotentia & immenſitas tollatur; ipſi viderint, quomodo ex Samoſateni & Neſtorij naſſa ſe expediant.

Liber Concordiæ ſic loquitur: Filium Dei paſſum eſſe ſecundùm proprietatem naturæ humanæ. II.

Ambigua loquutio eſt, & congruens cum eo, quod in hac propoſitione: Filius Dei ſeu Deus eſt natus ex Maria, eſt paſſus; volunt eſſe communicationem realem Idiomatum, adeò, vt niſi iſta ponatur, paſſio Chriſti ad Filium Dei nihil attinuerit. Paſſa ergo erit, ſecundùm ipſos, humanitas quidem ſecundùm ſuam & ſibi naturalem proprietatem; Deitas autem non ſecundùm ſuam, quam ex ſe & ſua natura habeat, ſed ſecundùm alienam, videlicet, humanam proprietatem, realiter ſibi communicatam; ſicut naturam diuinam ſecundùm ſibi naturalem, humanam verò ſecundùm diuinam, & ſibi reipſa communicatam proprietatem, ſua ſubſtantia volunt eſſe vbique.

Quid autem eſt cõtumelia Filium Dei afficere? quid eſt omnes olim ab Eccleſia Orthodoxa damnatas hæreſes ex inferis reſuſcitare, ſi hoc non eſt? Petrus ait, Chriſtum eſſe paſſum & mortuum, non ſecundùm proprietatem carnis ſibi realiter communicatam, ſed ſecundùm carnem, hoc eſt, ipſam carnis naturam ſeu ſubſtantiam. Sic loquitur tota vetus Eccleſia: nec poſſunt hoc negare Theologi: ſed tamen ſimul ſua figmenta volunt nobis obtrudere, & potius ſibi contradicere, & alios ad eandem inſaniam adigere, quàm ſua ſomnia relinquere, ne videantur vnquam erraſſe, aut quicquam non ex Eliæ & Eliſæi Spiritu loquuti eſſe. 1.Pet.3.18.

Dicunt, naturam humanã Chriſti inde à puncto conceptionis, III.

habuiſſe Maieſtatem & omnipotentiam illam diuinam ſibi realiter communicatam. Si communicatam vnitam intelligerent; nulla eſſet controuerſia. Sed illi diſertis verbis communicationem ſuam realem ab vnione diſtinguunt, tanquam effectum à ſua cauſſa, tanquam conſequens ab antecedente: & volunt non tantùm infantem & Embryonem illum omnipotẽtem ſemper fuiſſe, quod & nos cum Scriptura & Eccleſia fatemur; ſed etiam humanitatem, hoc eſt, carnem & animam eius omnipotentem, omniſciam, & omnipræſentem ſemper fuiſſe.

Ieſ.53.4. *Contrà verò Ieſaias dicit, eum infirmitates noſtras ſuſcepiſſe:*
Luc.2.40. *Et Lucas, puerum Ieſum creuiſſe ſapientia, & ſtatura, & gratia*
Ioh.4.6. *apud Deum & homines: Et Iohannes: Fatigatum fuiſſe ex iti-*
Hebr.4.15. *nere; Et Apoſtolus, per omnia fratribus ſimilem, excepto peccato. Et Lutherus, vt ſuprà dictum eſt, fatetur expreſſe, humanam naturam vnitam λόγῳ, non potuiſſe ſeipſam ſeruare. Et nunc etiã, niſi creaturam eſſe negẽt cum Schvuencfeldio, non poteſt ſeipſam ſeruare, ſed non minus quàm omnes creaturæ, niſi ſeruaretur à Deitate, redigeretur in nihilum. Non ergo eſt omnipotens, ne quidem in ſua Maieſtate diuina, multò minus iacens in præſepi, aut in vtero virginis: Et nihil eſt niſi ſophiſma, nugatio, fumus & præſtigiæ, ad fallendos homines excogitatæ, quod garriunt, carnem fuiſſe tum omnipotentem, omnipræſentem, actu primo, ſed non ſecundo, hoc eſt, potuiſſe, ſi voluiſſet, omnipotentem & vbique eſſe, ſed non tamen hac facultate vſam eſſe. Neq; eſt neque eſſe poteſt, vlla res omnipotens & vbique, præter vnicam Deitatis eſſentiã: quam niſi in ſubſtantia ſua haberet homo Chriſtus, tam non poſſet homo omnipotens & Deus verè dici, quàm ipſius caro Deus eſſe non poteſt.*

IIII. *Dogma libri de perſona Chriſti præcipuum eſt, cuius tuendi cauſſa, reliqua de hoc articulo doctrinæ abſurda cumularunt; Corpus Chriſti ſua ſubſtantia eſſe vbique præſens, idq; vt declarant Theologi, ſecundùm modum dextræ Dei, hoc eſt, Deitatis;*

Hæc

Hæc enim illis eſt dextra Dei. Demonſtrauimus autem ſuprà, contrarium docere Scripturam, Symbola, veteres omnes, Confeſſionem Auguſtanã, imò & Lutherũ, cùm verſatur extra ſuam arenam Sacramentariam. Eſt enim corpus Chriſti creatura, quæ infinita eſſe non poteſt; Eſt corpus verè humanum, conſtans carne & oſſibus, & reliquis partibus homogeneis & heterogeneis humani corporis, habens partem extra partem, caput extra pedes, & pedes extra caput; quod non patitur Vbiquitas; habens certa lineamenta, terminos & figuram, quibus circunſcribitur; viſibile & palpabile etiam in cœleſti vita & gloria, & ad dextram Dei, ad quam ſtantem vidit Ieſum Stephanus, & ſedentem videbunt omnes homines in die Iudicij: ſecundùm quod Chriſtus eſt nobis ſimilis, frater noſter, os noſtrum & caro noſtra, ex ſemine Dauidis; progrediens de loco in locum; verè natum ex virgine, paſſum, crucifixum, mortuum, reſuſcitatum, reductum è ſepulcro, ſurſum profectum viſibiliter in cœlum, & ibi ſedens ad dextram Patris, & illinc viſibiliter venturum, & iterum in cœlum rediturum, nobis ad ſe aſſumtis, vt vbi ipſum eſt, & nos in æternũ cum ipſo ſimus, & videamus ipſum coràm, ſicuti eſt.

Si hæc omnia VERE *& non apparenter, vt fingebat Marcion, facta ſunt, & quidem ſic facta, vt non ſimul facta & non facta ſint; non ergo fuit Chriſti corpus ſimul intra & extra Matris vterum, intra & extra præſepe & faſcias, in Aegypto & in Iudæa, apud Lazarum Bethaniæ, ante quàm ad eum veniret, in cruce, in ſepulcro viſibiliter, & vbiq; inuiſibiliter, nec manſit anima eius in corpore, quando expirauit, nec manſit corpus inuiſibile in ſepulcro, cùm reſurrexit viſibile, & non fuit ibi, teſtibus angelis, neq; inuiſibiliter manſit in terra, cùm viſibiliter aſcendit in cœlum, neque nunc eſt in terra inuiſibiliter, dum in cœlo eſt viſibiliter, neque in nubibus erit iam antea, & in cœlo manebit inuiſibiliter, cùm de cœlo in nubes deſcendet viſibiliter, neque in omni æternitate in omnibus locis erit inuiſibiliter, cùm in vno tãtùm*

loco Chriſtus erit viſibilis & conſpicuus in ſua Maieſtate.

Hæc & ſimilia Theologi conciliare cum ſua vbiquitate non poſſunt, neque habent quicquam, quod ad ea reſpondeant, præter ſuum TRIPLICEM MODVM, *quo corpus Chriſti fingunt eſſe alicubi: Naturalem, & Gloriæ, ſecundùm quos modos vno tempore non niſi in vno loco ſit; & Maieſtatis, ſecundùm quem modum ſimul vbiq. ſit: Suum duplex Eſſe, Naturale, ſecundùm quod vno tantùm loco ſit; Perſonale, ſecundùm quod vbique ſit: Suum actum primum, quo tantùm poſſit; & ſecundum, quo etiam velit eſſe & reipſa ſit & ſubſtantialiter vbique: Suam Deitatis naturalem, eſſentialem & per ſe vbiquitatem, humanitatis verò, communicatam à Deitate.*

Hæ ſtrophæ & Sphingis ænigmata nihil ſunt, niſi impudentiſſima & nequiſſima ſophiſmata, ad illudendum Deo, & decipiendos homines, verſutè & fraudulenter excogitata: quibus Deo affingũtur voluntates & actiones contradictoriæ, & omniũ articulorum fidei, ac totius Scripturæ ſacræ veritas & certitudo exponitur ludibriis infidelium & hæreticorum, & omnibus petulantibus ingeniis ad licentiam quiduis fingendi, & oppoſitam ſibi vocem diuinam eludendi via ſternitur.

1. Non enim habet corpus Chriſti, modos exiſtendi repugnantes. Scriptura & Eccleſia orthodoxa clamant, Corpus Chriſti nõ eſſe vbique. Id quia negare non poterant, inuenerunt diſtinctionem: non eſt vbique ſecundùm modum phyſicum & glorioſum, ſed eſt tamen vbique, ſecundùm modum Maieſtatis diuinæ ſibi Modus Maieſtatiaus. *communicatæ. Atqui, ò viri boni, hoc ipſum quæritur, an habeat talem exiſtendi modum, & talem Maieſtatem, ſecundùm quam ſua ſubſtantia corpus ſit vbique; & præſertim, ſecundùm quam ſimul ſit vbique, dum modo phyſico & glorioſo eſt vno loco circumſcriptum. Vos affirmatis, ſed Scriptura & Eccleſia negant, hos modos exiſtendi in eodem ſubiecto coëxiſtere.*

2. Exploſo igitur hoc modo exiſtendi Maieſtatico, quo nomine

vbi-

vbiquitatem corporis operuerunt, ne appareret eius nuditas, viſum eſt eis aliter reſpondere: non eſt vbiq; ſecundùm eſſe naturale; ſed eſt vbique, ſecundùm eſſe perſonale. Atqui rurſus hoc verſatur in quæſtione, An habeat corpus Christi aliquod eiuſmodi Eſſe perſonale, per quod ſit vbiq; dum ſecundùm eſſe naturale eſt in vno loco, id eſt, an vnio perſonalis cum λόγῳ afferat corpori vbiquitatem, & tamen ſimul ſinat illud eſſe in vno loco, ſecundùm naturæ ſuæ proprietatem eſſentialem. Eſſe perſonale.

3. *Negato etiam hoc Eſſe perſonali, iam alia diſtinctione elabi conantur ex abſurdis: Non eſt corpus vbique per ſe, ſeu proprietate, hoc eſt, vbiquitate naturali, ſeu ſibi Eſſentiali, ſed eſt vbique per Deitatem, & proprietate realiter ſibi à Deitate communicata. Atqui hoc etiam eſt illud ipſum, de quo lis eſt: An ſit corpori talis proprietas diuina realiter communicata, qua poſſit ſimul vno loco circunſcriptum & ſenſile, & in omnibus non circunſcriptum, non ſenſile, ſubſtantialiter, Eſſentialiter & realiter exiſtere. Cùm natura rei ab alio mutatur in contrarium, non manet ſimul eadem, quæ prius fuerat, rei natura. Cùm Christus mutabat aquam in vinum, eadem manebat materia, ſed non eadem forma ſeu natura, hoc eſt, aqua non amplius erat aqua, ſed erat vinum. Amittebat enim eſſentiales proprietates aquæ, cùm accipiebat eſſentiales proprietates vini.*

4. *Quin vt luculenter oſtenderent Sophiſtæ, quòd non mus ille miſer ſint, qui antro clauditur vno; totum ſuarum diſtinctionum ſaccum effundentes, dicunt, corpus non eſſe vbique Eſsentialiter, formaliter, habitualiter, ſubiectiuè; ſed eſſe vbique ratione & diſpenſatione hypoſtaticæ vnionis. Atqui hoc in quæſtione verſatur; An vlla talis ratio & diſpenſatio vnionis hypoſtaticæ ſit, qua corpus ſit vbique. Sepius enim admonitos non pudet, tanquam ſurdos, planè ſophiſticè abuti nomine diſpenſationis ſeu* οἰκονομίας Diſpenſatio hypoſtaticæ vnionis.

quæ

qua veteres ſignificant totam humiliationem Filij Dei, qua cùm nihil magis aduerſum ſit Vbiquitati, & fictitiæ illorum Maieſtati corporis Chriſti; tamen vt imponant imperitis, admirantibus non intellecta, hoc nomen indunt Vbiquitati, quaſi diſpenſatio ſit effectio contradictoriorum, qua diſpenſet Deus de veritate ſua, & ordinem ſuæ ſapientiæ & naturæ infringat, efficiens, vt idem corpus, quod neceſſitate naturæ ſuæ & eſſentiali proprietate ſua, ſiquidem corpus eſſe debeat, vno loco circunſcriptum eſt, ſimul ſit contra naturam ſuam vbiq;, incircunſcriptum; ſalua nihilominus interea manente natura & proprietate ſua, & in vno loco circunſcriptione; hoc eſt, vt Deus ſic diſpenſet de ſua voluntate & natura, vt idem ſit & non ſit, ſicut Papa diſpenſat de lege Diuina, vt idem ſit peccatum & non ſit. Sic enim illi verum dicunt, fatentes corpus Chriſti eſſe ſemper circunſcriptum; ſed de hac veritate diſpenſant, cùm mentiuntur ſimul eſſe incircunſcriptum & vbique.

Hanc Papalem diſpenſationem nũquam ſomniauit quiſquam Patrum: ſed volentes multa complecti vno verbo, ſic nominarunt totam incarnationem & adminiſtrationem officij Chriſti in carne aſſumta, in qua fungitur Oeconomi partibus in domo paterna. In hac Oeconomia tãtum facit Vbiquitas carnis, quantum canis in balneo. Theodoretus: τὴν ἐνανθρώπησιν τοῦ θεοῦ λόγου καλοῦμεν οἰκονομίαν. *Quàm putidum ſophiſma eſt,* οἰκονομίαν *hic interpretari de vbiquitate carnis?*

Dialog. 2.

Abſtractũ & Concretum.

5. *Similem æquiuocationem, priùs inauditam, finxerunt in vocibus Abſtracti & Concreti: Naturam humanam non eſſe vbique in abſtracto, id eſt, abſtractam ſeu ſeparatam à Diuinitate; ſed eſſe vbique in concreto, id eſt, concretam ſeu vnitam Deitati.*

An hoc non eſt doloſè corrumpere ſermonem Eccleſiæ? Optimè norunt, abſtractum eſſe nomen naturæ ſeu formæ alicuius, quæ alteri alicui ſiue eſſentialiter ſiue accidentaliter ineſt: vt, ſapientia, iuſtitia, humanitas, Deitas: Concretum ſignificare rem

ſeu

ſeu ſubiectum, habens illam naturam vel formam, vt, ſapiens, iuſtus, homo, Deus. Cùm ergo dicitur, humanitas non eſt vbique; non hoc dicitur, quòd humanitas, non vnita Deitati perſonaliter, qualis eſt in aliis hominibus, non ſit vbique: (nunquam enim in Chriſto ſeparata fuit à Deitate, neque de eo quiſquam quærit) ſed quòd etiam in ipſa vnione cum Deitate non ſit vbique ſicut Deitas; Ita cùm dicitur, non verũ eſſe de nomine abſtracto, quòd Deitas ſit paſſa, non eſt hic ſenſus, quòd Deitas ſeparata ab humanitate non ſit paſſa, ſed quod ſimpliciter & nullo modo, vt Theodoretus loquitur, pati potuerit, ſiue vnita ſiue non vnita humanitati. Dialog. 1.

Nouæ ſunt hæ diſtinctiones, homonymiæ & ἀκυρολογίαι *excogitatæ ab ingeniis ſophiſticis, quorum proprium eſt, nebulis verborum ſe inuoluere, diſtinctiones nouas confingere, quibus videantur argumenta & teſtimonia ſoluere, cùm nequaquam ſoluant, & Orthodoxorum ſermone vtentes, videantur cum illis ſentire, cùm toto cælo ab illis diſſentiant. Si ſic ad argumenta & teſtimonia obiecta reſponderi poſſet; facilè lucem tenebras, & niuem nigram eſſe obtinebitur: lucem ſecundùm modum lucis eſſe lucem, at ſecundùm modum tenebrarum eſſe tenebras: niuem ſecundùm albedinis modum eſſe albam, ſecundùm nigredinis modum eſſe nigram: Trigonum ſecundùm ſuæ naturæ modum habere tres angulos, ſed ſecundùm naturam & modum tetragoni & pentagoni habere quatuor aut quinque: Aquam ſecundùm naturam ſuam eſſe aquam, ſed ſecundùm naturam ignis eſſe ignem: atque ſic in aliis rebus nihil erit tam falſum, tam abſurdum, tam impium, quod cum veritate non poſſit hoc pacto conciliari. Sed ſicut ſimia ſemper eſt ſimia, etiam induta purpuram: ſic vbiquitas Corporis ſemper eſt monſtroſum figmentum, quocunque nomine eam appellent, ſiue Maieſtatem, ſiue modum dextræ Dei, ſiue Eſſe perſonale, ſiue omnipræſentiam, ſiue realem communicationem Idiomatum, ſiue proprietatẽ communicatam, ſiue diſpen-*

ſationem, ſiue actum primum, ſiue ſecundum.

6. *Nam huc etiã tandem deueniunt, cùm vrgentur abſurdis manifeſtis, vt dicant, Chriſti corpus, cùm eſſet in vtero, in cruce, & ſepulcro, non fuiſſe vbique, actu ſecundo, id eſt, ipſo facto, ſed tamen fuiſſe vbique, actu primo, id eſt, potentia, vt ſi voluiſſet, potuerit vbique eſſe, ſicut nunc eſt. At qualis hæc eſt fori declinatio? Interrogati an fuerit vbique, diſputant, illud potuiſſe vbique eſſe, etiamſi non fuerit. Neutrum probare poſſunt, neque quòd ſit vbiq;, neq; quòd poſſit vbique eſſe. Neutrius enim teſtimonium in Scriptura aut veteri Eccleſia extat: contrarium verò teſtantia infinita ſunt. Stat igitur inconcuſſa refutatio omnium iſtorum ſophiſmatum; quam illi clamant eſſe horrendam auditu blaſphemiam: Quòd videlicet ne quidem Deus ipſe, qui eſt infinitus, poſſit ſimul finitus & circũſcriptus fieri, multò minus creaturam ſimul finitam & infinitam* περίγραπτον *&* ἀπερίγραπτον *facere: quia impoſſibile eſt, ipſum velle aut facere contradictoria, hoc eſt, eſſe mendacem, ſe ipſum negare, & eodem flatu ſpirare calidũ & frigidum, ſicut faciunt Sophiſtæ, & Sophiſtarũ ſpiritus. Hem blaſphemiam: quid mirum ſi rumpat veſtem Pontifex?*

Sed probationes ipſorum videamus. I. *In his primaria eſt, petitio principij, realis communicatio Idiomatum: de qua dictum*

Eph. 4. 10. *ſatis.* II. *Præter hanc citant illud ad Epheſios: Aſcendit ſuper omnes cælos, vt impleret omnia. Hinc geminum argumentum conficiunt: Chriſtus aſcendit, vt impleret omnia, id eſt, vt corpus eius eſſet vbiq;, & omnia eſſent plena corporis Chriſti, ſicut Deitatis. Nam ſecundùm Deitatem ſemper impleuit omnia: aſcendit autem, inquiunt, in hunc finem, vt impleret omnia: Ergo hæc impletio de corporis vbiquitate eſt intelligenda. Reſponſum ſæpe, nec ab illis refutatum eſt: Chriſtum aſcendiſſe in cælum, non vt corpore ſuo, id eſt, carne & oſſibus ſuis impleret omnia loca, in cælo & in terra (hoc enim eſſet, quod Scholæ vocant, oppoſitum in adiecto, hoc eſt, repugnaret prædicatũ ſuo ſubiecto, replẽs omnia, aſcen-*

aſcendenti in cœlum) ſed vt ſuis donis & beneficiis repleret totam Eccleſiam, quod erat reſeruatum ipſius in cœlum aſcenſioni & glorificationi ſeu exaltationi in regno & ſacerdotio ſuo, ſicut dicitur: Nondum erat Spiritus ſanctus; quia Ieſus nondum erat glo- Ioh. 7. 39.
rificatus: Item: Cùm abiero, mittam paracletum ad vos: Et ſicut Ioh. 16. 7.
Paulus ipſe hanc impletionem exponit, aſcendit in altum, & de- Ep. 4. 8. 11.
dit dona hominibus; Apoſtolos, Prophetas, Euangeliſtas, paſtores & doctores &c.

Alterum ipſorum argumentum ex hoc loco eſt: Aſcendit ſu- V.
pra omnes cœlos: & quod alibi dicitur: Sublimior cœlis factus. Er- Heb. 7. 26.
go, inquiunt, non eſt in aliquo certo cœlo, aut cœli loco, qui dicitur eſſe ſupra omnes cœlos; ſed eſt vbique, vtpote, qui nullo cœlo comprehendatur: ſicut dicitur: Cœli cœlorum te non capiunt. 1. Reg. 8. 27.

Hîc rurſus falſum dogma falſo dogmate ſtabiliunt, quo corrumpunt articulum Aſcenſionis in cœlum, quæ in tota Scriptura & antiquitate, nulla niſi viſibilis, localis, & ſurſum facta deſcribitur, vt Eccleſia ſciat, vbi verſetur Dominus ſecũdùm carnem vſq; ad mundi finem, dum oculis ſe conſpiciendum non præbet. Aſcendere enim in cœlum illis eſt idem, quod incipere in omnibus locis eſſe: atq; ita duplicem aſcenſionem faciunt; vnam viſibilem, Brentius de Maieſt. pag. 78. & alibi ipſe atque alij paſſim.
in conſpectu diſcipulorum, alteram inuiſibilem, qua inde ab vtero iam tum in cœlo fuerit Chriſtus ſuo corpore, cùm dixit: Nemo aſcendit in cœlum, niſi qui de cœlo deſcendit, Filius hominis qui eſt in cœlo; vbi duo vel tres ſunt congregati in nomine meo, in Ioh. 3. 13.
medio eorum ſum: Et cùm inſtitueret Cœnam myſticam. Matth. 18. 20.

His verò contradicit Chriſtus etiam poſt reſuſcitationem: Nõ- Ioh. 20. 17.
dum aſcendi ad Patrem meum. Si Chriſtus ſuo corpore iam fuit in cœlo antequam aſcenderet, & manſit in terra, poſtquam viſus fuit aſcendere: & veritas & vſus viſibilis aſcenſionis euaneſcit, & ipſa in ſpectrum Marcionicum conuertitur. Non enim poteſt vna & eadem eſſe ſubſtantia viſibilis & inuiſibilis, tranſiens de loco in locum, & nullum mutans locum, vno eodemq; tempore.

Act.1.9. *Expreſſe autem dicit Lucas, diſceſſit & ſurſum aſſumtus eſt ab ipſis ſpectatibus eum euntem in cœlum. Mirum eſt igitur, quomodo Theologis idem ſit, viſibiliter aſcendere ſurſum, & inuiſibilem omnia loca complere.*

VI. Cœlum vbiquitarium. *In hac corruptela complectitur Liber & alterum dogma falſum & inauditum, quòd cœlum, in quod aſcendit Chriſtus, ſit vbique, patens per cœlum viſibile, terram & infernum; atque adeò ipſe Deus: quòd autem cum Scriptura & tota orthodoxa Eccleſia confitemur eſſe ſurſum, ſupra & extra hoc cœlum viſibile, id in libris ſuis vbiquitariis iſti Conciliatores, tanquam cœlum Mahumeticum magnis clamoribus, & ſannis non tantùm ſcurrilibus, ſed etiam impiis exagitarunt, contra tot apertiſſima Scripturæ teſtimonia, quæ affirmant, ſurſum & in ſumma ſublimitate eſſe illud domicilium, & ſedem beatorum Angelorum & hominum, in qua Deus immediatè ſuam gloriam illis conſpiciendã exhibet, in quo nunc eſt Dominus, & in quod, cùm illinc rurſus deſcenderit, nos ſibi obuiam raptos in nubibus, aſſumturus eſt ad ſe, vt ſemper, vbi ipſe eſt, nos ſimus cum ipſo.*

VII. Dextra Dei. *Afferunt aliam probationem: Corpus Chriſti collocatum eſt ad dextram Dei: hæc autem eſt vbique: Ergo & corpus Chriſti eſt vbique.*

Hic primùm eſt inepta collectio: Non enim, quia vbiq; eſt dextra Dei, quam ipſi exponunt potentiam Dei, id eſt, ipſam Deitatem, ideò etiam quicquid collocatum eſt ad dextram illam, eſt vbiq;. Dum autem volunt vitium formæ iſtius argumenti corrigere, incidunt in vitium materiæ, & pro maiore ſumunt rurſus falſum dogma, quo corrumpunt articulum fidei de Seſſione Chriſti ad dextram Patris. Collocationem enim hanc ad dextram, exponunt vnionem humanitatis cum λόγῳ, & realem communicationem diuinarum proprietatum, præſertim omnipotentiæ & vbiquitatis: atque ita hanc etiam collocationem humanitatis ad dextram Dei in ipſa conceptione factam dicunt, & tres iſtos fidei arti-

articulos, nempe: INCARNATIONEM, ASCENSIONEM IN COELVM, ET COLLOCATIONEM AD DEXTRAM PATRIS, *vna interpretatione falſa in vnum Chaos confundunt: omnes enim eos definiunt per realem communicationem Idiomatum, hoc eſt, per vbiquitatem carnis.*

At contrà Scriptura & Symbola docent, primùm eſſe Chriſtum conceptum; deinde natum, vixiſſe in humilitate annos XXXIII, *poſtea paſſum, mortuum, ſepultum eſſe, reſurrexiſſe; poſt dies* XL *aſcendiſſe in cælum, atque ibi demum conſediſſe à dextris Dei, non vbique exiſtentem corpore, ſed in illo glorioſo domicilio Dei & beatorum, & exaltatum ſupra omnes creaturas, adminiſtrare ſuum regnum & ſacerdotium, quod prius adminiſtrabat humilis, infirmus, contemtus & afflictus, & ibi apparere pro nobis, nosq; illinc ſeruare, regere & defendere.*

Sed inſtant, vrgentes Vbiquitatem hoc argumento. Naturæ diuelluntur, quarum non vtraq; eſt, vbicunq; eſt altera: Ergo neceſſe eſt, vbicunq; eſt Deitas, ibi eſſe humanitatem Chriſti, ac proinde vbique.

Niſi dictum eſſet, erubeſcere neſcierunt, miraremur, eos non pudere tam pueriles nugas, toties & tam perſpicuè ſolideq; refutatas inculcare. Nequaquam fit diuulſio aut ſeparatio, cùm natura humana non eſt vbique. λόγος *enim idem & totus eſt intra & extra corpus ſuum, & quãuis ſingulari modo ſit in ſuo corpore; tamen nequaquam eſt intra corporis anguſtias concluſus, neque corpus ſecum per omnia loca diffundit, ſed corpore ſuo exiſtens, vbi vult, diuinitate ſua eſt vbiq;, ſicut Solis corpus manet loco ſuo in cælo; & tamen luce ſua cælum & terram colluſtrat. Neq;* λόγος *extra corpus exiſtens minus eſt vnitus corpori, quàm intra illud exiſtens: idem enim intra & extra illud eſt: ideoq; vbicunq; eſt* λόγος, *eſt* λόγος *homo,* λόγος *incarnatus, & rectiſſimè veriſſimeq; vocatur homo, in omni loco, etiam in quo non eſt præſens corpore. Nuſquam igitur dimidius, vt illi cauillantur, ſed*

vbiq; totus & integer eſt Chriſtus, & indiuiſus, etſi non quicquid in ipſo eſt, vbiq; ſit: manet enim ſemper vnitum hypoſtaticè, quod eſt, & quod non eſt vbique.

Sed hoc argumentum, cui multum tribuunt, ipſi diluunt, cùm fatentur, Chriſtum non ſemper vbique fuiſſe corpore, etiamſi potuerit: non enim ſimul fuiſſe, etiamſi potuerit eſſe ſimul mortuus in ſepulcro, & viuus in cœlo & vbiq; in diuina Maieſtate, ſecundùm carnem crucifixam & ſepultam. Hinc enim ſequetur, aut non ſolui vnitatem perſonæ Chriſti, humanitate non exiſtente vbique, aut Chriſtum hominem in humilitate potuiſſe quidem verum Deum eſſe, ſed tamen non fuiſſe; quin etiam nunc incertũ eſſe, an homo ſit verè Deus, & Deus ſit verè homo, cùm nec apparuerit vnquam, nec expreſſa vſquam in Scriptura ſit vbiquitas carnis Chriſti.

VIII. *Perpetuò ſumunt pro iiſdem & æquipollentibus, Hominem & Humanitatem, & has duas loquendi formas: Homo Chriſtus eſt omnipotens, vbique &c. &, Humanitas eius eſt omnipotens, vbiq;; ſed falsò. Nam Patres quidem aliquando hominem dicũt pro humanitate, nomen perſonæ ſynecdochicè ſumentes pro ea natura, à qua Perſona denominata eſt. Propriè autem loquendo hæc plurimum differunt, quæ ipſi tanquam non differentia confundunt. Hæc enim oratio; Homo eſt vbique & omnipotens, & Deus; veriſſima eſt: illa verò; Humanitas eſt vbiq;, omnipotens, Deus, falſiſſima & impia eſt. Non enim, quicquid Perſonæ, id etiam vtriq; naturæ poteſt tribui.*

IX. *Nouum & fictitium dogma eſt; Filium Dei λόγον omnia opera ſuæ omnipotentiæ per humanam ſuam naturam exſequi. Conantur hoc nouo inuento fulcire ruinas Vbiquitatis, definientes per illud communionem realem Idiomatum, & perſonalem vnionem, & diſcernentes hanc à præſentia Dei in aliis rebus. Sed malum malo ſanant. Nam opifex non realiter communicat inſtrumẽto ſuas proprietates eſſentiales, neq; ei perſonaliter vnitur;*

&

& tamen omnia ſua artis opera per inſtrumentum exſequitur. Omnia item opera ſua exſequitur æternus Pater per Filium & Spiritum ſanctum; & tamen cum illis non fit vna perſona. Rurſus igitur, & ſe euertunt, & perſonã Chriſti ſoluunt cum Neſtorio. Sed neq; verum eſt principiũ, quod ſumũt: Multa enim operatur λόγος, *propria diuinæ & omnipotentis naturæ, mittit Spiritũ ſanctum in corda hominũ, nõ humanitate ſua, ſed ſola Deitate, à qua Spiritus procedit. Nemo enim poteſt per Spiritum Dei agere, niſi Deus, qui ſpirat illũ. Humana natura vngitur ipſa Spiritu ſancto: Diuinitas vngit, & ſuã naturã aſſumtã, & alios. Regenerat nos per Spiritum ſuũ, non per animam vel corpus; portat omnia, non manibus aut humeris, ſed verbo, id eſt, nutu & potentia ſua diuina. Seruat ſuam naturam humanam* λόγος *per ſe, ipſa verò non poteſt ſeipſam ſeruare. Intelligit & intuetur, & cum Patre prouidet immutabiliter omnia, ab æterno in æternum, non per animam aut carnem humanam, ſed per diuinitatem ſuam, hoc eſt, per ſe ipſum, non per aliquod medium. Sic multa, quæ vult quidem fieri diuina & humana ſua voluntate, per ſolam tamen potentiam diuinam exſequitur.*

An λόγος omnia omnipotentiæ ſuæ opera per humanam naturam exſequatur.

1 *Argumentum, quo hoc dogma confirmare nituntur, præcipuũ eſt: Quicquid Chriſtus accepit in tempore, id ſecundùm naturam humanam accepit. Sed eſt ei data in tempore omnis poteſtas in cœlo & in terra; omnia ſunt ei tradita in manum: datum eſt ei omne iudicium; regnum à mari vſq; ad mare &c. Et hæc requirunt omnipotentiam. Ergo data eſt ei omnipotentia & omnipræſentia ſecundùm naturam humanam: ſicut dicitur, dedit ei iudicium, quia filius hominis eſt.*

Mat. 28. 18. Ioan. 13. 3. Ioa. 5. 22. Pſal. 72. 8. Ioan. 5. 27.

Reſponſum eſt paulò antè, hæc dici de officio Chriſti, quod eſt totius perſonæ, & adminiſtratur, vtraq; natura, quod ſuũ eſt, agente, conſeruatis naturarum proprietatibus. Partes igitur huius officij diuinas, λόγος *ſemper habuit realiter, humanas autẽ accepit nõ realiter ſecundùm ſuã naturã, ſed ſecundùm naturã aſſũtã, nã*

per conformationẽ,ſed per vnionem perſonalem cum carne: Humanitas verò partes humanas accepit realiter, paulatim à conceptu vſq; ad exaltationem, quando ad ſummũ & perfectiſſimũ gradum ſunt perducta: diuinas autem vno momento accepit, non reali communicatione, ſed reali vnione cum λόγῳ. Sicut autem Deus humana; ſic homo diuina realiter accepit eodem tempore: vt ſicut Deus cœpit eſſe & facere omnia, quæ homo eſt & facit; ſic homo cœperit eſſe & facere omnia, quæ Deus eſt & facit.

Quæ ergo Chriſtus in tempore accepit, ad perfectionem, beatitudinem, excellentiam pertinentia, ſecundùm carnem accepit. λόγος enim illa habuit ab æterno, ſicut dicit Ioh. 17. 5. Glorifica me Pater gloria, quam habui apud te ante mundum conditum. Quæ autem ſunt humana, ad Mediatoris officium pertinentia, accepit eo tempore, quo incarnatus eſt, per vnionem, non per ſui mutationem. Contrà, humanitas accepit omnia, poſtquam vnita eſt λόγῳ, ſed humana, ſiue naturalia, ſiue humilia, ſiue glorioſa, realiter & ſubiectiuè; diuina verò per vnionem cum Diuinitate. Sic ergo accepit omnipotentiam, vt non ſit omnipotens; ſicut Deitatem, vt tamen non ſit Deus: Homo autem Deus ſit, ſicut Deus homo eſt.

2. *Alterum ipſorum argumentum eſt, quòd caro Chriſti dicitur viuificare, & ſanguis nos mundare à peccatis; quæ ſunt diuina opera; & tamen de abſtracto, hoc eſt, de natura humana, de carne & ſanguine dicuntur: Ergo etiam caro & ſanguis Chriſti realiter habent virtutem & operationem omnipotentem, & Deitas per carnem & ſanguinem operatur vitam æternam, & mundationem à peccatis.*

Ex reſponſione præcedenti patet reſponſio etiam ad hoc argumentum. Cùm officium Chriſti contineat actiones vtriuſq; naturæ; propriè totum officium dicitur de tota perſona: de altera autem natura dicitur reſpectu partis officij, id eſt, illarum operationum, quæ ſunt eius naturæ, de qua dicitur, vt, humanitas

Chriſti

Chriſti regnat: Diuinitas Chriſti etiam regnat: hinc non ſequitur, Ergo vtraq; regnat eodem modo, & vtraq; facit omnia regni opera. Sic etiam cùm dicitur: Caro viuificat, ſanguis mundat; non ſequitur, Ergo viuificat & mundat ſicut Diuinitas, vel in officio viuificandi & mundandi facit eadem quæ Diuinitas, vel totum opus viuificationis & mundationis per humanitatem Diuinitas exercet: ſicut neq; ſequitur, Ergo totum hoc opus Diuinitas per ſe exſequitur. Sunt enim aliæ in hoc opere theädrico, Diuinitatis, aliæ humanitatis partes. Diuinitas viuificat & purgat, per Spiritum ſanctum accendendo in cordibus fidem & conuerſionem & vitam æternam, & inſerendo nos ſuæ maſſæ humanæ tanquam capiti, reſuſcitando & glorificando Eccleſiam: Caro & ſanguis viuificat & mundat nos, dum pro nobis traditur & effunditur, & hæc eius traditio & fuſio à nobis fide apprehenditur, & nobis applicatur, & nos propter huius carnis meritum & interceſſionem, ipſi per Spiritum ſuum inſerimur, vt non tantùm propter eam, ſed etiam ex ea vitam & ſanctitatem hauriamus. Gertum eſt non fieri regenerationem, niſi per Spiritum Chriſti. Spiritus enim viuificat: Et quod natum eſt ex Spiritu, Spiritus Ioh. 6. 63. Ioh. 3. 6.
eſt. At caro non viuificat, niſi manducata; ſanguis non purificat, niſi hauſtus & aſperſus. Hæc autem manducatio, bibitio & aſperſio, non fit niſi per fidem; Complectitur enim iuſtificationem & regenerationem. Sicut ergo iuſtificat illa caro & ille ſanguis: ita etiam viuificant & purgant nos, merito nimirum ſuo, & in ſe incorporatione noſtri. Viuificatio autem hæc & purgatio fit virtute Spiritus, id eſt, Diuinitatis, non tantùm, quia caro & ſanguis Chriſti ideò ſunt victima efficax ſeu valens coram Deo ad nos reconciliandos ipſi, quia ſunt caro & ſanguis Filij Dei; ſed etiam, quia merito carnis ſuæ, λόγος eodem Spiritu, qui in carne ipſius habitat, nos donat, & membra ſuæ carnis tanquam capitis facit, vt eandem iuſtitiam, vitam, gloriam in nobis operetur, quam in capite, ſeruato tamen graduum diſcrimine. Sicut enim

ferrum candens non vrit, quatenus ferrum, ſed quatenus ignitum eſt, neq; vrit niſi per contactum: ſic caro Chriſti non viuificat, in quantum caro, ſed in quātum Spiritui vnita caro eſt, & in quantum tangitur & editur: Sanguis non quatenus ſanguis, ſed quatenus Dei ſanguis eſt, & quatenus eo aſpergimur, & eum bibimus, quæ omnia non fiunt, niſi per fidem, & contactum ſpiritualem, non autem per corporalem, qualem Theologi fingunt, & cuius tuendi cauſſa, viuificationis & purgationis modum, per Spiritum & per carnem & ſanguinem Chriſti confundunt. Nam Iohannem loqui non tantùm de merito, ſed etiam de expurgatione peccati, cùm dicit, Sanguis Chriſti mundat nos ab omni peccato; non poſſunt probare; cùm Spiritus ſanctus, cuius operatio propria eſt regeneratio, non poſſit dari per carnem, ſed per Deitatem Chriſti. Et Iohannes ait: Si in luce ambulamus, hoc eſt, ſi renati ſumus, per Spiritum Chriſti, ſanguis eius purificat nos, hoc eſt, tum certi ſumus, nos remiſsionem peccatorum habere propter ſanguinem Chriſti. Nam ex regeneratione vult nos certos eſſe de iuſtificatione; id quod eſt præcipuus ſcopus illius epiſtolæ.

1.Ioh.1. 7.

X. *Aiunt, nos finxiſſe in natura humana Chriſti potentiam ſeu virtutem creatam, quæ minor ſit Deitate, hoc eſt, omnipotentia, & maior tamen robore & virtute omnium angelorū & hominū.*

Atqui ſi negant eſſe medium inter hæc duo; vel, erit æqualis omnipotentiæ Deitatis, quod eſt impoſsibile, quia nulla vis creata poteſt æquare omnipotentiam diuinam; & ipſi concedunt, proprietates creatas non eſſe pares Deitati: vel, erit æqualis potentiæ aliarum creaturarum, quod & ipſi & nos negamus. Diſcernenda eſt igitur maſſa humana aſſumta à Filio Dei, tam à Deo, quàm ab aliis creaturis.

XI. *De* Coena *Domini, cōtendit Liber, Corpus Chriſti eſſe ſubſtātialiter in pane, & ſanguinē in vino, & ore corporis edi & bibi.*

Dogma hoc falſum eſſe, & cum verbis Chriſti, cum tota Scriptura, cum Antiquitate orthodoxa, atq; etiam cum Confeſſione

&

& Apologia Auguſtana pugnare, ſuprà eſt clariſſimè demonſtratum. Nam ſecundùm illa teſtimonia, Chriſtus dixit, panem eſſe 1.
ſuum corpus, & vinum ſuum ſanguinem. Ergo non eſt ſubſtantialiter IN PANE corpus, & IN VINO ſanguis; & quicunque hanc interpretationem afferunt, apertiſſimam Chriſto iniuriam faciunt; gloriantes ſe retinere τὸ ῥητὸν verborum Chriſti. Quo au- 2.
tem ſenſu panem vocet ſuum corpus, ipſe Chriſtus palàm indicat, cùm panem ſeorſum corpus, & vinum ſeorſum ſanguinem ſuum eſſe dicit. Aut enim in pane & vino ſeparata ſunt corpus & ſanguis, aut non ſunt. Si non ſunt ſeparata, Ergo panis eſt ſanguis, & vinum eſt caro; & ſanguis editur, & corpus bibitur; quod repugnat verbis & inſtitutioni Chriſti. Cùm ergo ſeparata ſint, aut realis eſt ſeparatio, aut repræſentata, hoc eſt, myſtica & Sacramentalis. At realis ſemel facta eſt in cruce, deinceps non fit amplius: Ergo eſt Sacramentalis, qua ſeparatio in cruce facta repræſentatur, & nobis applicatur. Dicit item Chriſtus, panem eſſe 3.
corpus traditum ſeu fractum, & vinum eſſe ſanguinem fuſum pro nobis. Sicut ergo fractio panis, & fuſio vini, eſt fractio corporis & fuſio ſanguinis; ſic etiam neceſſe eſt, panem corpus, & vinũ ſanguinem eſſe, & eſum ac potum panis & vini, eſum carnis & potum ſanguinis Chriſti. Dicit eſſe Nouum Teſtamentum in 4.
ſuo ſanguine. Hoc Teſtamentum eſt reconciliatio cum Deo, per effuſum eius ſanguinem in cruce. Ergo non realiter, ſed myſticè & Sacramentaliter hæc ceremonia eſt nouum Teſtamentum, id eſt, noui Teſtamenti Sacramentum. Sicut autem eſt Nouum Teſtamentum per ſanguinem, ſic etiam eſt ſanguis Noui Teſtamenti, id eſt, ſanguis nos Deo reconcilians. Dicit, hunc ritum eſſe ſer- 5.
uandum in ſui admonitionem, recordationem. Ergo panem vocat corpus, quia eſt memoriale corporis pro nobis traditi. Paulus 6.
ait, eſſe communionem corporis & ſanguinis Chriſti, illam, qua 1. Cor. 10. 16.
fideles omnes & ſoli ſunt vnum corpus cum Chriſto & inter ſe:
Ponit eandem communionem corporis Chriſti in baptiſmo & in 7.

1. Cor. 12. 13. *Cœna, dicens, omnes fideles eſſe baptizatos per vnum Spiritum in vnum corpus, & omnes vna potione potatos eſſe in vnum Spiri-*
8. *tum. Quoties ſymbolis Sacramentalibus tribuuntur nomina rerum ſignificatarum, non intelligitur corporalis cõiunctio rerum & ſignorũ, ſed rerum per ſigna repræſentatio, promiſſio & exhi-*
9. *bitio. In Sacramẽtis tãtùm duo ſunt, ſignum externum, viſibile, ceremoniale, quod corporaliter accipitur: Res interna, inuiſibilis,*
10. *ſpiritualis, quæ non niſi fide & Spiritu accipitur. Omnia Sacramenta idem ſignificant & promittunt, quod promiſſio gratiæ.*
11. *Omnia Sacramenta idem ſignificant per diuerſa ſigna viſibilia,*
12. *tam vetera, quàm noua. Communio Chriſti in ſanctis, qui acceſſerunt, & qui non acceſſerunt ad Cœnam, eſt eadem. Sed in non accedentibus non poteſt eſſe oralis eſus, neq; corporalis receptio aut manſio Chriſti intra ipſorum corpora. Ergo nec in accedentibus.*
13. *Chriſtus in Cœna ſic editur, ſicut in æternum in nobis manet. Sed non ſic manet in nobis, vt ſubſtantia corporis ipſius ſit intra noſtra corpora, vel ſubſtantia noſtri corporis intra corpus ipſius: Su-*
1. Cor. 6. 17. *mus enim membra & palmites eius, ipſe caput & vitis noſtra, cui inſerimur & adhæremus per vnum Spiritum. Ergo etiam non ſic editur, vt corpus ipſius ingrediatur in corpora noſtra. De-*
14. *nique tota Scriptura, omnes articuli fidei, omnes Patres, teſtantur, Corpus Chriſti eſſe verè humanum, circunſcriptum, ſenſile, magnitudinem, figuram & locum ſuum perpetuò retinens, & vno tempore non niſi in vno loco exiſtens.*

Hæc noſtra, imò Scripturæ ſacræ, veterum, & Confeſſionis Auguſtanæ fundamenta ſunt, ex quibus concludimus, fideles in Cœna Domini, per eſum & hauſtum corporalem panis & vini tanquam per ſymbolum & organum Spiritus ſancti ad ſuſcitandam & corroborandam in ipſis fidem, ſpiritualiter edere & bibere carnem & ſanguinem Chriſti.

Cum his iam conferantur fundamenta Theologorum, quæ illi ad quatuor capita redacta ex Luthero repetunt.

1. PRI-

1. PRIMVM eſt: Chriſtus eſt verus Deus & homo, ſine diuulſione. Quatuor fundamẽta Lutheri.

Hoc fundamentum à nobis ſtat; illis aduerſatur. Nam ſi verus Deus eſt; ſic ergo eſt omnipotens, vt ſit etiam verax, & nihil faciat naturæ & verbo ſuo contrarium. Non ergo facit, vt corpus ſuum ſimul ſit corpus & non corpus; vt veri & non veri ſint articuli fidei; vt duæ ſint omnipotentes & infinitæ naturæ: Omnia enim hæc naturæ veri Dei repugnant. Si eſt verus homo: Ergo corpus ipſius non eſt vbique, nec in pane. Hæc enim non fert natura veri hominis; tota Scriptura teſtante. Et, ſi non eſt diuulſus; Ergo habitante in nobis ipſius Diuinitate & Spiritu, neceſſe eſt nos incorporari & vniri ipſius corpori, ſine præſentia corporali. λόγος enim in nobis habitans, ſemper manet vnitus ſuæ carni: Ideoq́, coniuncto nobis ipſius Spiritu, non poteſt nō totus Chriſtus nobiſcum coniungi, & nobis communicari.

2. SECVNDVM eſt; *Dextra Dei, ad quam collocatus eſt homo Chriſtus, eſt vbiq́; Ergo & Chriſti corpus eſt vbique, & comeditur ore.*

Hoc etiam partim eos non iuuat, partim refutat. Nam millies reſponſum eſt, non valere conſequentiam; quia non quicquid ad dextram Dei ſedet, eſt vbique. Scriptura enim docet, Chriſtum ſic eſſe ad dextram Patris, vt corpus ipſius ſit nunc in cœlo, donec redeat. Non igitur eſt vbique. Et ſi eſſet vbique, non poſſet oraliter manducari, & ex manibus in ora hominum tranſire.

3. TERTIVM eſt; *verbum Dei non eſt mendacium.*

Hoc fundamentum etiam pro nobis contra illos pugnat. Nam Chriſtus dixit, Panem eſſe ſuum corpus, & memoriale ſui corporis. Hoc ergo verum eſt. Illi dicunt, non panem, ſed carnem inuiſibilem in pane, eſſe corpus Chriſti. Hoc Chriſtus nunquam dixit; ſed multa dixit, quæ huic opinioni aduerſantur. Nihil ergo prohibet, quo minùs verbum Chriſti ſit verum; at verbum Theologorum ſit mendacium. Eſt enim non verbum Dei, ſed verbum

hominum, cui de rebus diuinis, ſine verbo Dei non eſt credendum.

4. QVARTVM *eſt; Deus habet varios modos, quibus corpus Chriſti poſsit alicubi exiſtere: Localem & circunſcriptiuum, quo Chriſtus verſatur ſuo corpore in cœlo: Hunc è Scriptura didicimus. Definitiuum, quo corpus ipſius ſit in pane. Hunc Scriptura & tota antiquitas ignorat, & repugnat veritati corporis, & naturæ humanæ Chriſti, & omnibus noſtris argumentis, quæ ſuprà poſuimus. Ergo eſt fictitius. Repletiuum, quo Chriſti corpus, ſicut Deitas, repleat omnia, & ſit vbique, totum & idem. Hic modus non tantùm corporis, ſed etiam rei creatæ naturam euertit, ac toti doctrinæ de Sacramentis, de Chriſto, & de Deo repugnat, & à tota Antiquitate Eccleſiaſtica vno ore tanquã hæreticus damnatur: Et ipſi quoq; manducationi orali corporis Chriſti validiſsimè repugnat. Quod enim eſt vbique, id non tranſit ex manu in ora veſcentium. Ideoq; ne ipſe quidem Deus poteſt ſimul exiſtere vbique, & vno loco circunſcribi, & de loco in locum tranſire; multò minùs vlla res creata.*

Hæc igitur fundamẽta prorſus friuola ſunt, nec ædificio, quod illis imponitur, ſuſtinẽdo ſufficiunt. Sunt enim partim falſa principia, partim vitioſæ conſequentiæ. Ideò tibicines illis addunt, ſed qui ruinas ipſorum tam non fulciunt, quàm fundamenta ipſa.

5. *Verba, inquiunt, Chriſti clara ſunt. Verum eſt: ſed quod iſti volunt, nempe, corpus Chriſti eſſe in pane, id neq; clarè, neq; obſcurè dicunt. Clara autem verba ſunt; clara ſententia eſt, cùm intelliguntur ſicut exponit ea Chriſtus: Panis eſt corpus Chriſti, quia eſt memoriale corporis.*

6. *Addunt; non ſunt aliena aut peregrina. verum eſt, ſed inde non ſequitur, corpus Chriſti eſſe in pane. Hic enim ſenſus à Cœna Domini, & Sacramentorum natura, & corpore Chriſti, eſt alieniſsimus, & illis planè contrarius. At panem eſſe ſymbolum & Sacramentum corporis Chriſti, ſenſus eſt vtriſque, ſymbolo & rei ſignatæ conuenientiſsimus, & loquutio Chriſti, quæ ſigno tribuit*

tribuit nomen rei,eſt minimè aliena,ſed propria Sacramentis: quia omnibus Sacramentis competit. Ex his concludunt,non eſſe figurata. At multa ſunt figurata, & tamen clara, & rei,de qua dicuntur conuenientiſſima.In Sacramentis clarum eſt, naturam Sacramentorum & rerum ſignificatarum intelligentibus,ſigna non eſſe res ſignificatas,propriè & ſubſtantialiter,ſed ſignificatiuè,repræſentatiuè,ſacramentaliter,myſticè.Nec eſt alienum à Sacramento,ſi tribuatur ei nomen rei ſignatæ,propter ſignificationem,& coniunctam in vſu legitimo rei & ſigni perceptionem. Neque obſcurum,neque alienum eſt à Chriſti carne, cùm Chriſtus dicit,eam eſſe panem vitæ,eſſe edendam nobis, vt habeamus vitam. Sic innumera ſunt in Scriptura,& in omni ſermone hominum,figuratè,& tamen perſpicuè,& ad res appoſitè dicta.

7. *Nomen panis,inquiunt,& nomen corporis propriè de naturali pane & naturali corpore intelliguntur. Ergo nulla eſt figura.Sit ſanè. At non propriè & ſubſtantialiter,ſed Sacramentaliter hæc ſibi inuicem attribuuntur. Verus ergo panis, eſt Sacramentum veri corporis,repræſentat verum corpus, Sacramētaliter eſt verum corpus. Sic circunciſio eſt Sacramentaliter fœdus æternum inter Deum & fideles. Et ne ipſi quidem ſine figura accipiunt verba Chriſti. Nihil enim minùs,quàm* τὸ ῥητὸν *ſeruāt, cùm panem eſſe dicunt corpus,quia corpus in pane ſit.Non eſt ergo inter nos quæſtio: An Chriſti verba ſint vera,an ſint clara, an ſint accommodata ad rem. Hæc enim vtrinque fatemur: ac ne quidem,an ſint figurata: Hoc enim nos verbis & reipſa fatemur; illi autem verbis quidem negant,ſed re ipſa tamen ſtatuunt; ac ne Lutherus quidem ipſe negauit eſſe* SYNECDOCHEN. *Nulla enim fronte dici poteſt,ſine tropo hanc expoſitionem fieri: Panis eſt corpus: id eſt,In vel ſub vel cum pane eſt corpus; quodcunque tandem nomen huic tropo imponant.Sed quæſtio eſt,vtra* διάνοια, *vtra figura,noſtráne an illorum,in verbis Chriſti locum habeat. Noſtram probauimus argumentis cùm aliis,tum paulò antè reci-*

tatis, ex phraſi Sacramentali; ex natura Sacramentorum; ex verbis inſtitutionis; ex natura veri corporis Chriſti. Ipſi verò probant ſuam ex corporis Chriſti vbiquitate.

Quàm ſcitè aduerſarij ſuum τὸ ῥητὸν ex obediẽtia Abrahami demonſtrẽt.

8. *Videant igitur homines Chriſtiani, vtrum velint ſequi, & quo iure poſtulent Theologi, vt ipſorum interpretationem quam falſiſſimè & audaciſſimè* τὸ ῥητὸν *verborum Chriſti nominant, ita ſequamur, ſicut Abraham ſequebatur* τὸ ῥητὸν *mandati diuini, de mactando Filio. Abrahamo dabatur mandatum, quod omnes circunſtantiæ non modò nõ cogebãt, ſed ne ſinebant quidẽ accipi figuratè. Lex vniuerſalis eſt, ne occidas: ſed hæc ſemper includit eam conditionem, niſi Deus iubeat occidi: tunc enim non nos occidimus, ſed ipſe occidit. Iam autem hoc mandatum faciebat exceptionem à lege communi: Ergo Abraham neceſſe habebat huic parere hoc tempore, non minus quàm Legi vniuerſali temporibus aliis. Nulla enim eſt contradictio horum mandatorum; Ne occidas, me non iubente: Occidas, me iubente. Promiſſus erat Meſſias ex Iſaaco: ſed inde non ſequebatur, non eſſe mactandum:* Heb. 11.19. *Apoſtolus enim hanc ſpeciem antilogiæ diſſoluit, dicens, Abrahamum ſciuiſſe, quòd Deus etiam mortuos poſſit reſuſcitare: ac proinde ſuam promiſſionem ſeruare etiam mactato Iſaaco. Nec erat generale mandatum, quale illud: Si ſcandalo te afficit oculus, effodito eum: ſed ſingulare, directum ad ſolum Abrahamum, cir-* Gen. 22.2. *cunſtantiis expreſſis, Iſaacum filium tuum vnigenitum, quem diligis, offeras mihi in holocauſtum, loco quem monſtrabo tibi: Nec Deus addebat interpretationem aliquam tropicam.*

At quod iſti nobis exemplo Abrahami credendum proponũt, Chriſtus neq; hic neq; alibi dixit: Sua autẽ verba aliter ipſe expoſuit, quòd panis ſit μνημόσυνον *corporis ſui pro nobis traditi; Omnes circũſtantiæ Cœnæ Domini, & corporis Chriſti repugnãt: in contradictiones infinitas & apertas, per hanc expoſitionem incurritur. Non ergo ſine impietate poſtulant, vt abſurdas ipſorum gloſſas, & verbo Dei multis modis aduerſas, ea fide & reuerentia ample-*

amplectamur, qua Abrahamus expreſſam vocem diuinam: & iubent nos rei poſſibilitatem & veritatem omnipotentiæ Dei committere. Pulcra verò Theologia, pulcra fidei regula, quæ deprauatis ac detortis verbis diuinis, contradictiones implicat pro libidine, & poſtea committit illas conciliandas omnipotentiæ Dei, tam audacter, ac ſi operam eius ad hoc negotium conductam homines haberent.

9. Addunt, Deum in omnibus articulis fidei, & in omnibus Sacramentis loqui ſermone non figurato. An ergo non eſt articulus fidei, cùm dicit Chriſtus: Niſi manducaueritis carnem Filij Ioh. 6 53. *hominis, non habebitis vitã? An non eſt articulus fidei: Ego ſum* Ioh. 15. 1. *vitis, vos palmites? An non de Sacramentis dicta ſunt illa: Circuncisio eſt fœdus: agnus eſt tranſitus; Petra eſt Chriſtus: Baptiſmus abluit peccata, & alia plurima de omnibus Sacramentis?*

10. Impudens ergo & inſulſum commentum eſt, prædicatione inuſitata panem dici corpus Chriſti: cùm prædicatio vſitatiſſima & ſimilima ſit in Scriptura de Sacramentis omnibus. Prorſus eadem phraſis & figura eſt; Circuncisio eſt fœdus; Poculum eſt Teſtamentum, id eſt, fœdus cum Deo, illa per exhibendum, hoc per exhibitum Chriſtum. Sanguis victimarum eſt ſanguis fœderis, vinum eſt ſanguis fœderis; Cur ergo fingitur diuerſa ſententia, præſertim Deo vtrobique exprimente eandem interpretationem, quòd ſit ſignum, quòd ſit memoriale huius fœderis?

11. Addunt, Chriſtum ante mortem ſeriò loquutum eſſe; Ergo non figuratè. Quis eos docuit hanc regulam; non dici ſeriò, quod figuratè dicitur? An non erat Chriſtus tam vicinus morti, & tam ſeriò loquebatur, quàm in Cœna, cùm diceret: Si hoc fa- Luc. 23. 31. *ciunt in viridi ligno, quid fiet in arido? Mulier, ecce filius tuus:* Ioh. 19. 26. *Homo, Ecce mater tua?*

12. Addunt, Maximo conſenſu recitari verba ab Euangeliſtis & Paulo. Sed cui perſuadebunt, quicquid à pluribus conformiter narratur, id non fuiſſe figuratè dictum ab eo, cuius verba

referuntur fide hiſtorica? Quaſi verò figura deſinat eſſe figura, ſi
repetatur à ſexcentis. Omittimus iam, quòd in illa concordia nar-
rationis Euangelicæ, ea tamen diſcrimina ſunt interpoſita, quæ
mentem Chriſti clariſſimè teſtantur, vt, Poculum eſt nouum Te-
ſtamentum, Panis eſt corpus, quod pro vobis frangitur. Et cùm
tanti faciant conſenſum in his verbis; Hoc eſt corpus meum: cur
tam ſurdis auribus, & clauſis oculis prætereunt conſenſum Lucæ
& Pauli in illis verbis: Hoc facite in mei memoriam? An non æ-
què verum ac certum eſt, quod per duos, ac quod per quatuor Spi-
1.Cor. 10. *ritus ſanctus eſt eloquutus?* 13. *Adducunt & Paulum inter-*
16.17. *pretem, qui tam fauet ipſorum gloſſæ, quàm Sol æſtiuus niuibus.*
Dicit enim panem eſſe communionem corporis, qua fideles vnum
ſunt corpus in Chriſto, & participes ſunt beneficiorum Chriſti;
ſicut olim fideles participes ſacrificiorum, erant participes be-
neficiorum, quæ per illa ſignificabantur. Nihil dicit de commu-
nione Chriſti cum pane, nedum de corpore in pane latente; ſed de
communione, quam nos habemus cum Chriſto, & in Chriſto. Et
Chryſoſtomus interpretatur; Panis eſt κοινωνία, id eſt, per pa-
nem habemus communionem cum Chriſto, & vnimur
Chriſto: *quam interpretationem iſti noui interpretes derident,*
ſubſtituentes ſuam; Panis eſt communio Chriſti, id eſt, oralis mã-
ducatio Chriſti. Atqui Paulus allegat fractionem & ſumtionem
panis, non tanquam oralis manducationis teſtimonia, ſed com-
munionis Chriſti, quæ omnibus fidelibus etiam extra Cœnam Do-
1. Cor. 6. 17. *mini communis eſt, & quam alibi deſcribit ſæpe: Qui adhæret*
1. Cor. 12. *Domino, eſt vnus Spiritus cum ipſo: Omnes per vnum Spiritum*
13. *in vnum corpus baptizati & potati ſumus: Mēbra ipſius ſumus,*
Eph. 5. 29. *ex carne eius, & oſſibus eius &c.*

XII. *Aſſeuerat Liber concordiæ, Corpus Chriſti manducari etiam ab impiis & infidelibus.*

Falſum dogma exſtructum eſt ex falſo; videlicet, manduca-
tione orali. Quanquam hoc etiam obiter monemus: etiamſi ora-
lem

lem eſum ſui corporis promiſiſſet Chriſtus fidelibus; non tamen ideò ad infideles hoc poſſe extendi. Sed cùm oſtenſum ſit, nullam niſi ſpiritualem, & per veram fidem in Chriſtum, corporis Chriſti manducationem in Cœna Domini, per ſumtionem panis & vini præcipi, promitti, ſignificari; figmentum de manducatione impiorum vltrò corruit. Quod enim ſola fide perficitur, in eo non habet locum, qui eſt ſine fide. Cibus animæ non comeditur ore corporis, neq; ab iis, qui non habent os animæ, quod eſt fides. Chriſtus Eph. 3. 17.
autem habitat in cordibus noſtris per fidem: neq; Chriſti quiſquã communionem habet ſine communione beneficiorum: Qui man- Ioh. 6. 57.
ducat ipſum, viuet propter ipſum: Et Pater donãs nobis Filium, Rom. 8. 32.
quomodo non omnia cum eo nobis donaret? Neque cuiquam communicari poteſt corpus Chriſti ſine communione Spiritus Chriſti: In hoc enim cognoſcimus, quòd ipſe in nobis, & nos in illo ſumus, 1. Ioh. 3.
quia de Spiritu ſuo dat nobis. Nec tamen ideò docemus, in Cœna 24.
ſolum Spiritum Chriſti, non autem corpus ipſius nobis commu- 1. Io. 4. 13.
nicari, ſicut illi nos calumniantur. Non enim ſequitur: Caro non niſi per fidem & Spiritum nobis communicatur: Ergo ſolus Spiritus nobis communicatur: ſed potiùs manifeſtè ſequitur contrarium: Caro per Spiritum: Ergo & Spiritus & caro nobis communicatur. Et ſuprà oſtenſum eſt, ex Scriptura, ex veteribus & ex Auguſtana Confeſſione, infideles in vſu miniſterij nihil niſi verba & ſigna externa accipere. Nominatim de Cœna dicit Paulus: Non poteſtis eſſe participes menſæ Domini, & menſæ Dæmonio- 1. Cor. 10.
rum; ideoq; dicit, ſe nolle, vt ſimus Dæmoniorum participes, 21.
quorum communio cum Chriſti cõmunione non poteſt conſiſtere.

1. Locus alter Pauli; Qui manducat de pane hoc indignè, man 1. Cor. 11.
ducat ſibi iudicium; quia non diſcernit corpus Domini: quem ad 29.
confirmandam ſuam ſententiam allegant, eam non probat, ſed euertit. Non enim dicit Paulus, qui corpus Chriſti edit, & ſanguinem eius bibit indignè; ſed qui PANEM HVNC *ederit, & qui* POCVLVM HOC *biberit indignè; Nec dicit, Qui panem edit*

indignè, edit corpus Domini: Sed edit & bibit ſibi ipſi IVDICIVM. *At qui Chriſtum edit, non poteſt non propter eum & per eum viuere. 2. Nam quod dicunt, Chriſtum etiam iudicare & damnare infideles, id non facit manducatus, ſed contemtus & repudiatus. 3. Inſtant: Reus fit corporis Domini. Sed inde non ſequitur, quòd edat corpus Domini: Licèt edat panem Domini, qui Sacramentaliter corpus Domini vocatur: quo ſenſu à veteribus etiam impij dicuntur corpus Chriſti manducare, ſcilicet, Sacramentaliter ſeu Sacramentotenus: non ipſum corpus, ſed Sacramentum corporis; quod ſemper eſt Sacramentum corporis, ac proinde corpus Chriſti, quod ad Deum offerentem res cum ſignis, etſi non quod ad ipſos accipientes ſigna ſine rebus. Qui enim verè & reipſa edit corpus Domini, ab eo tollitur reatus & damnatio. Qui Chriſtum edit, hunc edendo nec reatum, nec iudicium, nec mortem edit, ſed vitam edit, vitam habet. 4. Inſtant rurſus: Fit reus corporis Chriſti, quia non diſcernit corpus Domini: Ergo edendo corpus ipſum, reus fit. Sed quid eſt corpus Domini non diſcernere? Haud dubiè id, quod in Scriptura dicitur, cõmune, profanum reputare, non debita reuerentia & honore tanquam ſanctum, tractare, ſed ignominia afficere. Poteſt autem corpus Domini non diſcerni, & honore ſuo ſpoliari in Cœna, etiãſi non edatur oraliter. Ergo hoc verbum nihil facit ad mãducationem impiorum. Ideò Apoſtolus pronuntiat eum acerbiſſimo ſupplicio dignũ fore, qui Filium Dei conculcârit, & ſanguinem fœderis, per quem fuerat ſanctificatus, profanum duxerit, & Spiritum gratiæ contumelia affecerit. Neq; tamen inde quiſquam collegerit, Filium Dei, ſanguinem & Spiritum eius ab impiis manducari oraliter.*

Nõ diſcernere corpus Domini, non eſt idẽ, quod corpus Domini edere.

Heb.10.29

Quomodo impij fiant rei corporis Chriſti in abuſu Cœnæ.

Itaq; rei fiunt impij corporis Chriſti dupliciter in abuſu Cœnæ, quia & Sacramẽtum corporis Chriſti profanant, non diſcernunt à cibo communi ſeu profano, abutuntur eo, rapientes ad ſe, quod Chriſtus non ipſis, ſed ſuis membris inſtituit; quæ contumelia illata Sacramẽto, in ipſum corpus Chriſti redundat: & corpus Chriſti,

ſti,quod illis manducandum in ſua Cæna offert,non manducant, ſed horribili ingratitudine & perfidia reſpuunt, aſpernantur,& conculcant ſua infidelitate.

Contendit Liber,Elementa conſecrari per recitationem verborum Chriſti,hoc eſt,verbis recitatis ſuper panem & vinum,vt ipſi loquuntur,fieri,vt adſit in pane corpus, & in vino ſanguis Chriſti corporaliter,& ſumatur ore piorum & impiorum. A Chriſto enim iuſsionem & operationem ſuam recitationi noſtræ alligatam eſſe. XIII.

Nolunt eſſe Papiſtæ:Sed quid ab illorum conſecratione differt hæc Theologorum conſecratio? Quod affingitur certorum verborum recitationi,ſine diuina promiſsione,ſuperſtitioſum eſt, & commentũ humanũ. At Chriſtus hoc nuſquam promiſit,recitatis verbis Cœnæ,corpus ſuum ſubſtantialiter fore in pane, vt oraliter manducetur:Ergo eſt Idolum. Non enim in hunc finem Chriſtus illa verba protulit, aut nos proferre iuſsit :ſed vt Eccleſiam doceret,de vſu Cœnæ;nõ ad panem,vel ſuper panem ,ſed ad diſcipulos ſuos ea loquutus eſt,vt doceret eos, quid ipſis debeat eſſe hic panis. Eſt ergo manifeſta corruptela verborum Chriſti,cùm cõferuntur illis: Creſcite & multiplicamini. Non enim dixit Chriſtus: Fiat ex hoc,vel in hoc pane corporis mei ſubſtantia, quoties verba mea ſuper panem pronuntiaueritis. Conſecratio Vbiquitariorum.

Vera conſecratio Elementorum eſt ordinatio eorum ad vſum ſacrum,vt ſint ſigna promiſsionis gratiæ nobis applicatæ, quæ fit à Deo in Sacramentorum inſtitutione,& ab Eccleſia,in eorum ad vſum ſacramentalem aſſumtione ſeu vſurpatione,ſecundùm Chriſti præcepta;vt aqua Iordanis cõſecrabatur ad Baptiſmum, mandato Dei & promiſsione,& ipſo baptizandi actu,nullis priùs verbis ſuper aquam recitatis. Sic panis & vinum conſecrata ſunt ex prima inſtitutione Chriſti,& ex vſu, cùm diſtribuũtur, ſumuntur ad commemorationem mortis Chriſti, cum precibus & gratiarum actione pro ipſius beneficiis.In hoc vſu panis eſt Sa- Vera conſecratio.

cramentum, extra hunc non eſt Sacramentum, ſiue recitentur, ſiue non recitentur verba. Nam in omnibus Sacramentis non adſunt & accipiuntur res ſignificatæ per recitationem verborũ; ſed per fidem verbis habitam. Corpus autem Chriſti eſt res per panem ſignificata: Ergo non accipitur tantùm recitatis verbis. Si recitatio verborum facit, vt adſit corpus Chriſti in pane. Ergo etiam extra vſum inſtitutum erit Sacramentum, & erit in eo corpus Chriſti; quia poſt recitationem verborum differri aut omitti poteſt ſumtio. Hoc autem eſt ipſiſſimum Idolum Papæ. Ergo non poteſt recitatio facere, vt corpus Chriſti ſit in pane.

XIV. *Vt autem hanc præſentiam corporalem, poſt verba ſuper panem pronuntiata, & corporis Chriſti in ſuis manibus geſtationem obtineant: malignè corrumpunt regulam:* Nihil habet rationem Sacramenti, extra vſum legitimum & inſtitutum à DEO. *Vſum hunc inſtitutum à Deo, acriter contendunt eſſe Ceremoniæ obſeruationem & ſuam conſecrationem, etiam ſine fide ſumentium.*

Legitimus Sacramentorũ vſus. *At ſuprà oſtendimus ex literis ſacris, & ex Auguſtana Confeſſione, nullum eſſe legitimum Sacramenti vſum, ſed impium & Deo valde diſplicentem abuſum, & profanationem rituum Sacramentalium, ſi vſurpentur ſine vera fide & cõuerſione ad Deũ: Solis enim fidelibus inſtituta ſunt à Deo. Et cùm idem Sacramenta nuncient oculis, quod verbum Euangelij nunciat auribus; neceſſariò ſequitur, quod dicit Apologia Auguſtana, ſicut verbum non acceptum fide, eſt inanis ſonitus, ſic Sacramentum non acceptum fide, quæ credit id, quod ritus ſignificat, eſſe inutilem ceremoniam, & inane ſpectaculum. Fuitq; hæc opinio Phariſaica, quòd in Sacramentis res ſignatæ accipiantur ſine fide, ſemper ſcaturigo plurimorum Idolorum in mundo. Paulus expreſſè* Rom. 2. 25. *dicit; Si tranſgreſſor legis es, circuncſio tua præputium eſt. Et de* 1. Cor. 11. 20. *vtentibus Cœna Domini ſine vera pietate; Non eſt inter vos Cœnam Dominicam edere.*

Nihil

Nihil autem agunt dicentes; Infidelitas vtentium non poteſt irritam facere inſtitutionem diuinam. Non eſt enim Chriſti inſtitutio, vt ipſius corpus in pane ſit, aut edatur oraliter à piis & impiis, ſed vt illi communionem ſui corporis habeant, qui ſumunt panem & poculum hoc ad recordationem ipſius, quæ eſt FIDES & GRATITVDO: *ſicut eodem modo de Baptiſmo dicitur: Qui crediderit, & baptiZatus fuerit ſeruabitur. Non ergo irrita ſit veritas diuina, quando hoc non ſit, quod Deus nunquam promiſit. Offert quidem Chriſtus in verbo & Sacramentis beneficia ſua omnibus, & mandat omnibus, vt ea accipiant; ſed cùm non omnes hoc faciant, Sacramenta quidem manent Sacramenta, quod ad Deum attinet, ſed amittunt vim & rationem Sacramenti, quod attinet ad infideles iis abutentes, vnde rectè dictum eſt ab Auguſtino:* Si carnaliter accipis, Spirituale eſſe non deſinit, ſed tibi non eſt. *Et iterum*: Aqua corpus tangit, & cor abluit, faciente verbo: non quia dicitur, ſed quia creditur. In Iohan. tract. 80.

XV. *Tollunt diſcrimen indignè vtentium Sacramento, & contendunt, nullum fidelium poſſe Cœnam Domini ad iudicium edere, contra apertam doctrinam Pauli; qui dicit, multos dormire, multos ægrotare, & corripi à Domino, propterea quòd irreuerenter vtebantur Cœna Domini, contaminantes eam variis vitiis, quos tamen fratres agnoſcit, & ideò corripi dicit, ne cum hoc mundo damnentur. Reſponſum eſt autem priùs, fideles non ſumere ad condemnationem æternam: ſed tamen interdum ſumere irreuerenter & ſecurè, & ſine veris exercitiis fidei & conuerſionis, perſeuerantes in aliquibus peccatis; quæ extenuant, aut quibus delectantur. Hæc peccata etiam attrahunt illis iudicium temporale, id eſt, caſtigationē, qua vocantur ad emendationē, etſi per peccati remiſſionem auferatur pœna æterna ab illis, in quibus ſunt veræ fidei initia. Atq; hoc etiā iudiciū temporale vitari poſſe docet Paulus, ſi iudicaremus nos ipſos, quod ſit vera ſui ꝓbatione.* 1. Cor. 11. 30.

XVI. *Docent confirmari fidem per oralem manducationem corporis Chriſti.*

Atqui oſtendimus hanc nullam eſſe. Ergo qui tribuit ei confirmationem fidei & conſolationem, quam illi magnificè prædicant, idolum fabricat. Ritus Cœnæ Domini, ſicut omnium Sacramentorum, eſt ſignum gratiæ, idem ſignificans & oſtendens, quod promiſſio gratiæ. Eſt ergo externum & viſibile, quod poteſt imago eſſe rerum inuiſibilium promiſſarum & credendarum. At corporalis eſus carnis Chriſti, neque viſibilis eſt, neq; vllius promiſſionis ſymbolum ſeu imago eſt. Non eſt ergo Sacramētum, neq; pars Sacramenti. neque eſt res Sacramenti; Ea enim eſt communio Chriſti promiſſa in Euangelio, ſpiritualis, & ſola fide accipienda.

XVII. *Panem & vinum Cœnæ Domini docent ad hunc vſum conſecrari & ſumi, vt in illis caro & ſanguis Chriſti ſumantur ore corporis.*

Falſiſſimum dogma, & non differens ab opinione Papiſtica, quæ finxit, ideò retineri ſpeciem panis & vini, vt occultaretur ſub illis caro & ſanguis, ne ab eſu & hauſtu crudæ carnis & ſanguinis homines abhorrerent. Suprà oſtenſum eſt, è Scriptura, veteribus, & Auguſtana Confeſſione, ſumtionem panis & vini eſſe mandatam à Chriſto, non vt ſit latibulum aut vehiculum carnis & ſanguinis in eo latentis, ſed vt ſit ſignum viſibile, admonens de promiſſione Noui Teſtamenti, quæ eſt promiſſio gratiæ, id eſt, communionis Chriſti & omnium beneficiorum eius, non niſi per fidem cuiquam contingens. Nec refert, hæc occultatio carnis & ſanguinis fiátne per panem & vinum, an per ſpeciem panis & vini. Hæc triſtis corruptela planè obſcurat vſum Sacramenti, & ab eius intellectu abducit mentes ad Idolum, quod in pane occultari fingitur.

XVIII. *Addunt aliam corruptelam vſus Cœnæ Domini, dicentes, eam ideò inſtitutam eſſe, vt confirmet, Chriſtum etiam ſecundùm natu-*

naturam habentem carnem & ſanguinem, nobiſcum, & in nobis eſſe, & habitare & operari velle, hoc eſt, vt ſit teſtimonium Vbiquitatis & omnipotentiæ naturæ humanæ Chriſti.

Falſum dogma eſt, & ab ipſis confictum in gratiam ſuæ Vbiquitatis. Scriptura enim, veteres, & Auguſtana Confeſſio diſertè docent, viſibilem ſumtionem panis & vini eſſe ſignum teſtificans, non ingreſſum, vel exiſtentiam ſubſtantialem corporis & ſanguinis Chriſti intra noſtra corpora; ſed κοινωνίαν *illius corporis & ſanguinis eam, quæ fide ſola accipitur in Sacramento, ſicut in verbo Euangelij; qua Chriſtus non eſt ſuo corpore intra noſtra corpora, ſed ſuo corpori, tanquam membra capiti, nos adiungit, vt propter & per ipſum viuamus cum ipſo & in ipſo.*

Hac ſua noua dogmata gloriantur Theologi Bergenſes docuiſſe omnes veteres Eccleſiæ Scriptores. Sed illos hæc ignoraſſe, & vno conſenſu id docuiſſe de Chriſto, & ipſius Cœna, quod nos docemus; cùm ſuprà à nobis, tum alibi à noſtris allegata teſtimonia oſtendunt, & omnibus, qui lectionis illorum non omnino ſunt expertes, manifeſtum eſt. Nomina igitur Patrum, ad fallendum eos, qui Patres non legerunt, inani ſtrepitu cumulant; ſed quæ hinc illinc ex illis excerpunt teſtimonia, non niſi aperta violentia & Sophiſtica, ab ipſis in alienam à Patrum mente ſententiam, detorqueri facilè apparet ex verbis teſtimoniorum attentè conſideratis, & cum aliis dictis Patrum collatis. Specimen harum allegationum edunt in Iuſtino Martyre, qui in ſecunda Apologia ſic ſcribit: Poſtquam gratias egit is, qui præeſt Eccleſiæ, approbante toto cœtu, illi qui vocantur apud nos Diaconi, porrigunt ſingulis, qui adſunt, partem capiendam de pane & vino aqua mixto, ad gratiarum actionem adhibito, & abſentibus afferunt. Et hoc alimentum vocatur apud nos Euchariſtia, cuius nullum alium fas eſt participem eſſe, niſi qui credit, vera eſſe, quæ à nobis edoctus eſt, & lauacro, quod fit ad remiſſionem peccatorum & regenerationem,

lotus eſt, & ſic viuit, ſicut Chriſtus præcepit. Non enim ſicut communem panem & communem potum hæc accipimus: ſed quemadmodum per verbum Dei, caro factus Ieſus Chriſtus Seruator noſter, & carnem & ſanguinē pro ſalute noſtra habuit, ſic etiā per preces ſermonis eius, adhibita gratiarum actione ſumtam alimoniam, ex qua ſanguis & carnes noſtræ per mutationem aluntur, illius incarnati Ieſu carnem & ſanguinem didicimus eſſe.

Hic Iuſtinus ait, panem Cœnæ adhiberi non ad oralem eſum carnis Chriſti, ſed ad gratiarum actionem pro ipſius beneficiis, quòd victima nobis, & cibus vitæ æternæ factus eſt, id eſt, ad recordationem & prædicationem mortis Domini. Ait, non licere cuiquam de hoc pane edere, niſi fidelibus. Ergo infidelibus docet non inſtitutam eſſe Cœnam; ac proinde non vſum inſtitutum, ſed abuſum eſſe, cùm in eam ſe ingerūt, quos Chriſtus ne quidem vult admitti. Ait, non ſumi hæc à Chriſtianis, tanquam communem panem & vinum, ſed tanquam ea, quæ ſint caro & ſanguis Chriſti. Ait, non in pane & vino ſubſtantialiter eſſe carnem & ſanguinem, ſed ipſum panem eſſe carnem, & ipſum vinum eſſe ſanguinem Chriſti. Ait, panem & vinum eſſe carnem & ſanguinem Chriſti, non quia caro & ſanguis in illis corporaliter lateant, & ore comedantur & bibantur, & intra corpora ſua recipiantur à piis & impiis; ſed quia ſicut Chriſti caro & ſanguis nō inuiſibilia & vbiq; præſentia, ſed vera, humana, viſibilia, palpabilia, circūſcripta, paſſione ſua nobis fide apprehenſa ſalutem afferūt: ſic panis & vinum ſumta & manducata, in corporis noſtri nutrimentum conuertuntur, & vitam corporalem ſuſtentant. Ait, nos corporale nutrimentum ſumentes, certò illud ſpirituale ſumere, non tantùm propter hanc ſimilitudinem, quæ eſt etiam in pane communi; ſed propter verbum & ordinationem diuinam, id eſt, mādatum de hoc pane ſumendo, & promiſſionem gratiæ, huic ſumtioni annexam, ſicut per ſermonem, decretum & voluntatem

Dei

Dei factum eſt, vt veram carnem Filius Dei aſſumeret, nosq́ per eam redimeret, & ſaluos faceret. Idem enim eſt autor & dator vtriuſq́ nutrimenti, ſignificati & ſignificātis, beneficij ſpiritualis, & ſymboli corporalis, quo nos illius certos & participes facit. Ait, panem & vinum hoc modo, nempe ex verbo ſeu inſtitutione diuina ad hunc vſum, eſſe nobis corpus & ſanguinem Chriſti, non quia recitetur verbum, & ſeruetur externa ceremonia; ſed quia cum precibus hic cibus ſumitur, vt illud in nobis perficiat Chriſtus, quod verbo & ſymbolo nobis promittit, & cum gratiarum actione, quòd partim id perfecerit, partim perficiat & perfecturus ſit; ſicut & Auguſtinus ait: Non quia dicitur verbum, ſed quia creditur.

Hæc Iuſtini & Auguſtini eſt conſecratio, non autem illa Romanenſis Theologorum per pronuntiationem verborum ſuper panem. In his verbis manifeſtè exponitur ratio, quomodo panis ſit corpus Chriſti, videlicet propter repræſentationem & exhibitionem alimenti ſpiritualis per alimentum corporale: Nihil eſt autem de ſimilitudine, quam Theologi ſomniant, cōiunctionis duarum naturarum in Chriſto, & corporalis coniunctionis carnis Chriſti cum pane, & ſanguinis cum vino: nihil de orali, nihil de impiorum manducatione. Eſt ergo deformis & ſophiſtica deprauatio pulcerrimæ doctrinæ Iuſtini, hæc ad illa portenta detorſio.

Hanc autem, quam diximus, mentem eſſe Iuſtini, ex aliis eiuſdem dictis conſtat. In colloquio cum Tryphone inquit; Panem Euchariſtiæ in memoriam paſſionis ſuæ purgātis ab omni peccato animas hominum, Ieſus Chriſtus, Dominus noſter tradidit poſteris. *Ibidem*, Equidem & preces & gratiarum actiones, ſi per homines dignos fiant, ſolas pro perfectis, & Deo gratis habeo: Hæc enim ſola ſacra Chriſtiani facienda acceperunt, vt alimento ſicco atque humido admoneantur, quæ propter eos Deus Dei Filius perpeſſus eſſe narratur. *Hinc licet cuilibet videre, qua fide & fronte ab*

bis Theologis allegentur, & nominentur Patres.

Deſtituti autem & exuti omnibus probationum armis, Lutheri autoritatem nobis opponunt, de qua ſatis paulò antè eſt dictũ. Teſtatur ipſe Liber, præſertim in tractatibus aduerſus nos ſcriptis, poſtquam multa de paradoxis ſuis dixerũt, extremum ipſorum refugium eſſe hoc argumentum: Sic dicit Doctor LVTHERVS: *Cui nos reſpondemus: At non ſic dicit Doctor* CHRISTVS: *Hunc Doctorem qui ſolũ audire volunt, quicquid omnes alij Doctores dicant, niſi ſuum cum hoc Doctore conſenſum probent, neque curant, neq; curare debent.*

Reliqua autem ipſorum argumenta, cùm ſint eiuſmodi, quæ nomen argumentorum non mereantur; fundamentum præcipuũ ipſis eſt in vbiquitate corporis Chriſti, quod quale ſit, ſatis etiam eſt oſtenſum, & vel ex eo intelligi poteſt, quòd perpetua petitione principij, incertum per æquè incertum, & idem per idem ſigmentum probant. Nam corporalem præſentiam Chriſti in pane, confirmant hoc argumento; Quia corpus eius eſt vbiq;, Ergo etiam in pane. Negatur ipſis Vbiquitas; probant eam per vnionem perſonalem, aſcenſionem in cælum, ſeſſionem ad dextram Dei, diuinarum proprietatum & operationum prædicationem de Chriſto homine: Negatur à nobis conſequentia; quia teſtimonia infinita ſunt, quæ aſſeuerant, Chriſtum ſalua vnione naturarum, aſcenſione, ſeſſione ad dextram, & diuina Maieſtate ſua, corpore ſuo vno tempore, non niſi in vno loco fuiſſe & eſſe. Reſpondent, Chriſtum tamen potuiſſe etiam tum eſſe vbique, ſed noluiſſe hanc facultatem exerere, & vſurpare. At reſpondetur illis, ne potuiſſe quidem, quia nullum poteſt dari exemplum aut dictum, vbi pluribus quàm vno locis eodem tempore conſpectus ſit, aut ſaltem ſe adeſſe ſuo corpore teſtatus ſit. Hic verò cùm proferre nihil poſſint, redeunt ad Cœnam Domini, vbi ſimul ſit in cælo, & in plurimis locis terrarum. Qualis eſt autem hæc probatio? Corpus Chriſti eſt in pane; quia eſt vbiq;: Et eſt vbique; quia eſt in pane.

Circulus Vbiquitariorum.

Talia

Talia igitur cùm ſint Libri Bergenſis dogmata, noua videlicet, falſa, abſurda, & nullis fundamentis ſuffulta; omnes cordati intelligunt, eum doctrinæ, concordiæ & pacis Eccleſiarum neque normam neque formam conſtitui oportere, ab iis, qui Eccleſiam prorſus enormem & informem fieri non volunt; tantùm abeſt, vt qui hæc dogmata ſua ſubſcriptione non approbant, anathemate & condemnatione digni ſint cenſendi.

CAPVT IX.

Monſtratio Antilogiarum Libri Concordiæ.

VENIMVS *ad ſextam rationem, cur liber Bergenſis pro norma admitti non debeat. Regulam doctrinæ & iudicij, neceſſe eſt ex omni parte ſibi conſtare, & ſui perpetuò ſimilem eſſe: Alioqui enim nullus in iudicando & diſcernendo verum à falſo, vſus ipſius eſſe poteſt. At Liber iſte multis in locis ſibi ipſi contradicit, vt quomodo conciliari inter ſe queant ipſius aſſeuerationes, nos ſanè non videamus, neq; à Theologis diſcere hactenus potuerimus. Eſſet ergo futura hæc regula verè Lesbia & plumbea, ad Eccleſiæ ædificium planè inutilis, vt quæ ad quamuis opinionum repugnantiam, & iudiciorum curuitatem accommodari poſſit.*

I. *Nominant librum,* CONCORDIAM. *At totus liber & effectus eius repugnat huic titulo. Continet enim dogmata, quæ non ſunt recepturi, qui veritatem intelligunt, quod iam oſtenſum eſt: Continet dogmata inter ſe pugnantia, quod iam oſtendemus: ideoq; etiam ſubſcribentes Libro, neq; ſecum ſinguli, neq; inter ſe aut verè, aut diu concordes eſſe poſſunt. Deniq; res ipſa oſtendit, iſto Libro nouum Schiſma excitatum eſſe inter Eccleſias, quæ priùs erant concordes, dum pars earum recipit, pars repudiat Librum: Et eorum qui ſubſcripſerunt, pars probat, pars improbat factum, & ſubſcriptionis pœnitentia ducitur. Quid futurum ergo eſt, poſtquam ſucceſſu temporis, noua, obſcura, & ambigua loquutiones Libri, diuersè à diuerſis intelligentur & explicabuntur? & cùm multis aperientur oculi ad videnda Sophiſmata Libri, quæ prius non viderunt? Veriùs ergo Diſcordiæ quàm Concordiæ liber appellabitur.*

II. *Dicunt, in Libro repeti doctrinam Confeſſionis Auguſtanæ, & proteſtantur ſe ab illa & libris ceteris, quos inſeruerunt nouo*

Corpori

Corpori ſeu normæ, nec in rebus, nec in phraſibus diſceſſuros. At reclamat ipſe Liber, obtrudens Vbiquitatem corporis Chriſti, realem communicationem Idiomatum per diſpēſationem vnionis hypoſtaticæ, & id genus multa, de quibus nullus eſt apex in Auguſtana Confeſſione. Et Libri ab Auguſtana Confeſſione diſcrepantia ſuprà eſt oſtenſa. Non ergo iſte Liber Repetitio vel declaratio, ſed Mutatio, Deprauatio & Euerſio Confeſſionis eſt. Ac teſtantur Eccleſiæ, vbiquitatem corporis Chriſti ſe hactenus non agnouiſſe. Propter hanc enim cauſſam detrectatur ſubſcriptio à pluribus, & à magna parte ſubſcriptorum, arte aut vi extorquenda fuit.

Prædicant, ſe declarare controuerſias, poſt mortem Lutheri exortas. Atqui negotium Cœnæ Dominicæ paulò poſt initia reformationis cœpit controuerti: & profitentur ipſi Scriptores Libri, ſe principaliter eum opponere Sacramentariis, quos vocant. Non igitur continent ſe intra limites, quos ſibi ipſi circundant, dum litem veterem & adhuc pendentem, ſuis anathematibus decidendam ſibi ſumunt, iudices neque idonei neque competentes. III.

Scribunt, ſe per gratiam Spiritus ſancti ſingularem, omnia ad concordiam & declarationem pertinentia & neceſſaria, complexos eſſe in Libro Torgæ approbato: Atq; hanc vltimam ſeu finalem & deciſiuam Confeſſionis Auguſtanæ declarationem nominant: Et tamen fatentur multorum deinceps neceſſarias & vtiles cenſuras & admonitiones acceſsiſſe. Quædam igitur neceſſaria ipſos fugerant. Ex illis autem cenſuris ipſi delegerunt, quas voluêre, neglexerunt, quæ ipſis non placuerunt. Si ergo Torgenſe Scriptum cenſuris indigebat, quid obſtabit, quò minus & Bergēſe cenſuris Eccleſiarum & fidelium ſit ſubiectum? Aut ſi Torgenſe Theologorum iudicium correctionibus indigebat, & fas erat ab eo diſſentire, vnde nobis perſuadebunt, perfectiùs in illis operatum fuiſſe Spiritum ſanctum Bergæ (ſi tamen operatus eſt) vt IIII.

nullum deinceps emendationi aut declarationi locum reliquerit? Ac ſanè, qui viderunt Torgenſe Scriptum, teſtantur non paruã huius & illius eſſe diſsimilitudinem. Mirari ergo quis poſſet Spiritum ſanctum tam mutabilem, niſi hoc in libris & decretis Theologorum non eſſet infrequens.

V. *Libros Theologorum priuatos, volunt ſecundùm hanc normã examinari & recipi. Cur igitur non etiam Lutheri? Item, cur Lutheri Catechiſmos faciunt normam doctrinæ publicæ? Cur ad Lutheri libros, & ſuos, etiam Polemicos referunt ſe, tanquam ad declarationes huius formulæ? Quot ergo habebimus credendi & docendi regulas, ſi Concordia erit regula illorum librorum, illi autem libri erunt regula exponendi Concordiam? Et quales tandem regulas, ſi vſque ad libros Lutheri Polemicos, & ipſorum Vbiquitarios veniendum ſit?*

VI. *Remouent à ſe culpam perſequutionis & ſanguinis Martyrũ. At intereà condemnant eos impietatis & hæreſeos, & hoſtibus communibus prætextum, hoc eſt, gladium porrigunt, quo in illos*
Matth. 23. 30. *ſæuiunt. Dicebant etiam Iudæi; Si fuiſſemus temporibus patrum noſtrorum, non fuiſſemus eorum ſocij in cæde Prophetarum: Et tamen audiebant à Domino: Veniet ſuper vos omnis ſanguis iuſtus, effuſus ſuper terram à ſanguine Abel iuſti. Si nunc viuerent Iuſtinus, Cyprianus, Vigilius, Huſſus, & omnes doctores purioris Eccleſiæ, eſſent his Theologis hæretici & Martyres Diaboli, digni anathemate & exterminio.*

VII. *Aiunt, ſe non damnare perſonas, neq; Eccleſias. Atqui doctrinam eorum pronuntiant hæreticam, & feriunt anathemate: ſunt autores Principibus, vt eos proſcribant, qui recuſant Concordiæ Bergenſi ſubſcribere.*

VIII. *Normam omnis doctrinæ Orthodoxæ volunt eſſe, primò Scripturam & Symbola: ſecundò, Confeſsionem Auguſtanam: tertiò, Articulos Schmalcaldicos, Catechiſmos Lutheri: quartò, librum Concordiæ. Atqui oſtenſum eſt, has normas inter ſe non conſentire.*

tire. Volunt item Scripturam ſolam eſſe normam doctrinæ: Et tamen adiungunt ei libros Corporis ſui Bergenſis, & reliquos libros Lutheri tanquam Propheticos.

Negant, ſe damnare libros Philippi: Et tamen impuræ do- IX. ctrinæ adeò ſuſpectos faciunt, vt dignos eſſe perſuadeant, quorum editio ſub trium millium florenorum mulcta prohibeatur.

Vnionem hypoſtaticam duarum naturarum in Chriſto faten- X. tur eſſe myſterium imperſcrutabile: Et tamen nobis eam deſcribentibus cum Scriptura & veteri Eccleſia, quòd ſit humanæ naturæ ad ſubſtantiam vnius perſonæ Chriſti, arcana & arctiſsima cum coæterno Dei Filio copulatio; clamat hic liber, & omnes ipſorum libri Vbiquitarij, nos Chriſtum ſoluere, perſonalem vnionē in nihilum redigere, hoc eſt, nihil dicere; Se autem luculēter eam explicare, definiendo eam reali communicatione Idiomatum, & omnium operationum diuinarum per naturam humanam effectione. Sanè ſi in his conſiſteret λόγου ἐνσάρκωσις, non eſſet inexplicabilis.

Gloriantur, ſe vnitatem perſonæ Chriſti præclarè tueri: Et ta- XI. men contendunt, vnionem conſiſtere vel in reali communione proprietatum diuinarum & humanarum, vel in effectione omnium diuinorum operum per naturam humanam. Hac enim ſublata, negant relinqui vllum diſcrimen inter Chriſtum & alios ſanctos; inter præſentiam Deitatis in Chriſto & in omnibus aliis creaturis: aiunt, Chriſtum non magis nobiſcum fore, quàm ceteros ſanctos: atque adeò nullam prorſus fore communionem duarum naturarum in Chriſto. Eſt autem certiſsimum, realem communionem Idiomatum, & actionem vnius per alterum non eſſe vnionem hypoſtaticam; alioqui enim duo angeli aut homines, aut tres perſonæ Diuinitatis eſſent vna Perſona. Nihil minus ergo hac ſua definitione, quàm veram naturarum vnionem conſeruant: Et Neſtorium verbis quidem condemnant, ſed reipſa abſoluunt, & cum illo faciunt, imò etiam cum eo loquuntur. Ne-

ſtorium enim realem communicationem Idiomatum negaſſe, dum negabat vnitatem perſonæ Chriſti, ipſi quidem dicunt; ſed ſic de ipſo ſcribit Theodoretus: quòd nomen Dei & Deitatis, hominis & humanitatis, idem ſignificare dixerit; quemadmodum & hi Theologi: Item, quòd homo Ieſus fuerit Diuinitatis organum; qua in re etiam hi Theologi Diuinitatem huius hominis conſtituunt.

De hæreſ. lib. 4. de Neſtor.

XII. *Sæpe & multùm inculcant, ſe naturas in Chriſto, & proprietates earum non confundere, neque permutare. At repugnat ex diametro diſtinctioni naturarum realis communio Idiomatum. Nam, etiam Luthero cum omnibus veteribus confitente, tollens proprietates, tollit naturas; ſic etiam confundens proprietates, confundit naturas. Confundere autem nihil eſt aliud, niſi vnius naturæ proprietates realiter alteri communes facere. Naturas enim realiter differre, eſt habere proprietates realiter diſtinctas. Non ergo differunt realiter, ſed confunduntur, & ad naturam eandem rediguntur, ſi proprietates habent realiter communes. Verbis ergo deteſtantur Eutychen, ſed reipſa dogma illius confirmant.*

XIII. *Fatentur, vtranque naturam ſuas proprietates retinere in æternum, ſine abolitione: & has naturæ humanæ proprietates eſſe; vt ſit creatura corporea, carnem & ſanguinem habens, finita & circunſcripta, aſcendens & deſcendens, de loco in locum ſe mouens, quas in æternum non deponat: Et tamen contendunt, humanitatem ſimul realiter eſſe vbique, & alias proprietates Deitatis realiter ſibi communicatas habere, non obſtãtibus & ſimul manentibus proprietatibus naturæ humanæ. Superant igitur hac in parte, abſurditate Eutychen & Schvuencfeldium. Illi enim volunt, in eadem ſubſtantia naturæ humanæ, fuiſſe humanas & diuinas proprietates, ſed ſucceſſiuè, ita vt proprietatibus humanis cedentibus ſucceſſerint diuinæ, atq; ita caro deſierit eſſe caro: ne idem dicant ſimul eſſe & non eſſe. Hi autem vnam & eandem*

eandem ſubſtantiam humanam dicũt ſimul eſſe viſibilem & inuiſibilem, finitam & circunſcriptam, & non finitam, non circũſcriptam; palpabilem & non palpabilem; vno tempore in vno tãtùm loco ſenſilem, & omnibus in locis inſenſilem; tranſeuntem de loco in locum, & tamen ex nullo loco abeuntem, nec in vllum locum venientem, vt quæ iam antè in omni loco adſit; omnipotentem & non omnipotentem; omniſciam & non omniſciam &c. Superant & Marcionis figmentum illud, quòd Chriſtus ſemper impaſſibilis exiſtens, non reuera, ſed in ſpectro & ſpecietenus ſit paſſus, ne idem pati & non pati, viſibile & inuiſibile ſimul cogeretur dicere. Ne vel ipſi vel alij dicant, nos totã illis molẽ blaſphemiarum Eutychianarum & Marcioniticarum obiicere: non hoc dicimus neq; ſentimus: ſed duntaxat monſtramus, quædam veterum hæreticorum dogmata, olim ab Eccleſia exploſa, ab ipſis renouari, quædam item ex ipſorum doctrina conſequi. Nunquam enim obtinebunt, idem ſubſtantia, ſeu ſubiecto, ſeu numero corpus, ſimul viſibile & inuiſibile, finitum & infinitum eſſe poſſe: ſed corpus Chriſti, aut nullum viſibile & circunſcriptum, aut aliud viſibile & circunſcriptum, aliud inuiſibile & incircunſcriptum ſtatuere; Atque ita vel in Eutychen, & Schvuencfeldium, vel in Marcionem incidere cogentur. De conciliationibus huius antilogiæ, quòd idem corpus ſimul finitum & infinitum, ſenſile & non ſenſile ſit, ſecundùm naturam ſuam & alienam, per ſe & ab alio ſeparatum, & coniunctum cum Deitate, & harum ſimilibus, dictum eſt anteà, in monſtratione errorum libri Bergenſis, quod hîc non neceſſe eſt repeti. Marcionis figmentũ.

Fatentur Deitatis eſſe proprietatem eſſentialem & immutabilem, ſua eſſentia ſemper eſſe vbique, & quidem tantùm vbique eſſe; nunquam autem ſimul vbique eſſe, & in vno loco circunſcribi. Hanc autem proprietatem ſic volunt humanitati realiter cõmunicari, vt aliquando ſit (cùm videlicet ei collibitum eſt) aliquando non ſit vbique; & cùm vbique eſt, ſimul etiam ſit non XIIII.

vbique, id eſt, vno loco circunſcripta. Quomodo autem vna & eadem proprietas Dei eſſentialis, hoc eſt, ipſa vnica Dei eſſentia poſſunt eſſe hæc duo; ſemper vbiq; eſſe, & non ſemper vbique eſſe? infinitum duntaxat eſſe, & ſimul finitum atq; infinitum eſſe? Repugnant ergo ſibi, dum omnipræſentiam diuinam, quæ eſt, ſemper vbiq; EXISTERE, *communicant realiter naturæ humanæ, quam dicunt non ſemper vbiq; extitiſſe, ſed ſemper exiſtere vbiq;* POTVISSE.

XV. *Dicunt, ſummam hanc Dei communionem cum homine, eſſe ipſam perſonalem naturarum vnionem: Et tamen hanc communionem realem proprietatum ex vnione promanare: quæ ſimul non conſiſtunt, ſed vacillantis conſcientiæ indicium ſunt. Non enim idem eſſe poſſunt vnio & vnionis effectus, cùm nihil ſit ſui ipſius cauſſa.*

XVI. *Omnia humana, quæ de Deo, & omnia diuina, quæ de homine dicuntur, volunt propter realem communicationem Idiomatum dici: & conferunt iſtas prædicationes, tanquam habētes eandem cauſſam & rationem: Deus eſt natus ex muliere, paſſus, mortuus, ſepultus, ſuſcitatus, aſſumtus in cœlum &c. Et, Homo eſt vbique omnipotens &c. Idq; faciunt rectè, licèt errent de cauſſa: Et tamen, cùm ad declarationem venitur, fatentur, Deum quidem eſſe natum ex muliere, paſſum, mortuum & circunſcriptum loco; ſed Deitatem non eſſe natam ex virgine, paſſam, mortuam, circunſcriptam loco, id eſt, Deum eſſe paſſum ſecundùm humanitatem ſuam, ſed non ſecundùm Deitatem. Hominem autem & humanitatem eius volunt pariter eſſe omnipotentem, omnipræſentem, omniſciam &c. Id eſt, hominem non tantùm ſecundùm Deitatem, ſed etiam ſecundùm humanitatem ſuam eſſe omnipotentem, omnipræſentem &c.*

Excluſerunt ſe hìc ſuo illo diuerticulo; Caro aſſumta eſt & aſcēdit in Deum: dedit ergo aliquid Deitas carni, ſed non accepit à carne. Aiunt enim vtrunque promanare ex reali communione Idio-

Idiomatum, quòd Deus mortuus, & quòd homo omnipotens eſt. Præterea non tantùm Caro in Deum aſcendit, ſed etiam Deus in carnem noſtram deſcendit; nec tamen Deitas habet realiter communes humanas proprietates cum carne. Si ergo homo eſt vbiq; ſicut Deus eſt paſſus, cur magis humanitas erit vbique, quàm Deitas paſſa? Si non ſoluitur perſona Chriſti, cùm dicitur, Deus eſt paſſus ſecundùm humanitatem; quare ſolueretur, cùm dicitur; Homo eſt omnipotens & vbique ſecundùm Deitatem? Aut igitur hanc expoſitionem vtrinque piam & orthodoxam eſſe concedãt neceſſe eſt, aut viderint ipſi, quomodo reſiſtant Ario & Eutychi, Deitatem paſſibilem & circunſcriptam realiter conſtituentes.

Vrgent ſimilitudinem ferri candentis, quæ ipſis maximè aduerſatur, vt ſuprà eſt oſtenſum. Nam in ferro ſunt qualitates effectæ ab igne, calor & ſplendor: ferrum enim ignitum, non eſt ignis, ſed qualitates igneas habet: Talem autem omnipotentiam & omniſcientiam & omnipræſentiam effectam & creatam eſſe à Deitate in carne Chriſti, negant illi, & rectè negant. Quod ergo negant, ſtabiliunt iſta ſimilitudine: dum carnem omnipotentem faciunt, ſicut ferrum vrens. Si verò excipiant, quod qualitates ſunt in ferro; id Deitas eſt in carne; in aliud abſurdum incidunt. Vrit enim ferrum per ſuas qualitates: Sic ergo & caro operabitur per vnitam ſibi Deitatem, creatura per Creatorem, quod eſt impium dictu, & ipſorum etiam doctrinæ repugnat, qui dicunt, vnionem perſonalem in eo conſiſtere, vt Deitas operetur omnia ſua opera per carnem. Quomodo igitur iam dicunt, carnem operari per vnitam ſibi Deitatem? XVII. De ferro candente.

Atqui, inquiunt, Patres ſic loquuti ſunt. Illi verò neq; ſic loquuti ſunt, neq; ſic ſenſerunt vt hi Theologi. Sicut enim ferrum, non quà ferrum, ſed quà ignitum eſt, vrit, hoc eſt, nec vis, nec ſubſtantia ferri, ſed calor igneus, inditus ferro, vſtionem efficit; ferrum autem admouet calorem vrentem corporibus, à quibus tangitur contactu corporali: atque ita diſtincta eſt operatio caloris

vrentis, & ferri admouentis calorem: Sic non eſſentia, nec potentia carnis, ſed Deitas vnita carni, vitam operatur ſuo Spiritu; Caro autem Spiritum viuificantem nobis quaſi admouet, hoc eſt, ſuo merito & interceſſione impetrat his, & non tanquam fons, ſed tanquam canalis transfundit in eos, à quibus tangitur contactu ſpirituali, hoc eſt, animo & corde fideli; atque ita coniunctæ quidem, ſed tamen diſtincta eſt operatio Deitatis, quæ Spiritum dat, & vitam operatur, & Carnis, quæ Spiritum nobis impetrat; ea tamen lege, vt fide apprehenſa nobis communicetur, & vniatur tanquam caput membris. Non enim eadem operatio, non idẽ viuificandi modus eſt, quo Spiritus viuificat, & quo caro. Concurrunt quidem Spiritus & carnis propriæ partes in hac viuificatione, quæ eſt ἀποτέλεσμα θεανδρικὸν, hoc eſt, opus ſeu officium totius perſonæ Chriſti; ſed non confunduntur. Spiritus ſua omnipotenti virtute, vitam in nobis efficit, ſed propter carnem ſacrificatã pro nobis & vnitam nobis, vt eam fide apprehendentes propter ipſam, & ex ipſa hauriamus vitam. Et horum vtrunque fit virtute Spiritus. Quia enim hæc caro Dei caro eſt, ideò vitæ æternæ fiduciam & cauſſam in ea habemus: & quia Spiritus idem in illa & in noſtra carne habitat; ideò illi incorporamur, & hoc Spirituali carnis illius contactu caleſcimus & illuminamur igne illo viuifico, quo nos baptizat Chriſtus. Hoc docent Patres iſta ſimilitudine. Nihil igitur illi ſomniarunt de carne omnipotenti & omnipræſenti; & cautiùs debent ferrum iſtud candens attrectare Theologi, ſi manus nolint ſuas adurere.

Quomodo Spiritus, & quomodo caro Christi viuificet.

XVIII. De ſimilitudine animæ & corporis humani.

Allegant & ſimilitudinem corporis & animæ contra ſeipſos. Vnita ſunt perſonaliter anima & corpus; & tamen proprietates eorum eſſentiales non realiter communicantur. Corpus elementare & ſenſile eſt; anima ſpiritualis & incorporea: corpus mortale; anima immortalis: corpus brutum; anima intelligens. Neque anima omnes ſuas operationes exercet per organum corporeum, ſed eas tantùm, quibus organum eſt idoneum. Actiones verò intelle-

tellectus & voluntatis ſunt inorganicæ. Ergo euincitur hoc ſimili contra ipſos, vnionem perſonalem conſiſtere, etiamſi natura diuina non mortua & circunſcripta, & humana non omnipotens & incircunſcripta ſit; neque Diuinitas actiones naturæ omnipotenti proprias, per carnem efficiat.

Aiunt, niſi diuina realiter dicantur de humanitate, non poſſe ea realiter dici de homine. Atqui non audent dicere humanitatem realiter eſſe DEVM; *& tamen nobiſcum dicunt, hominem realiſsimè Deum eſſe. Cur igitur non etiam homo eſſet omnipotens, vbiq; & omniſcius realiter, etiamſi humanitas non ſit omnipotens, vbique, & omniſcia, ſicut realiter homo iſte eſt Deus æternus, creator mundi, etiamſi humanitas eius non ſit Deus æternus, & creatrix? Sunt profectò iſta contradictoria; Nihil non reale humanitati, eſt reale homini: Et, Quædam non realia humanitati, ſunt realia homini, vt Deitas, æternitas &c.* XIX.

Scribunt paſsim, vt in hoc libro, Humanitatem Chriſti inde à conceptu ſemper habuiſſe, etiam in morte, ſuam Maieſtatem, id eſt, omnipotētiam, omniſcientiam, & omnipræſentiam ſiue ἀπει-ειχαψίαν, *& exaltatam fuiſſe reipſa & verè ad dexteram omnipotentis Maieſtatis; duntaxat autem eam Maieſtatem diſsimulaſſe & occultaſſe. Et tamē fatentur, Chriſtum ſecundùm humanitatem verè profeciſſe & creuiſſe ſapientia, & gratia, & ſtatura, cum ætate. At non tantùm apparenter, ſed reuera creſcere & proficere intelligentia, robore & magnitudine, non eſt tantùm paulatim oſtendere, & exſerere, quod quis iam antè habeat, ſed eſt paulatim accipere, quod non habuit prius. Fatentur & verè mortuum, verè infirmum fuiſſe; non ergo reuera ſimul ſecūdùm carnem infirmam & mortuam, fuit omnipotens & vbique, regnans in Maieſtate Diuina: etiamſi fuit vnitum corpus ipſi vitæ & omnipotentiæ, etiam cùm reuera erat cadauer, in cruce pendens, & in ſepulcro poſitum.* XX.

Aiunt, Maieſtatem, id eſt, proprietates diuinas realiter cō- XXI.

municatas carni, Chriſtum in humilitate declaraſſe ex parte, quando voluit; poſt glorificationem verò plenè & perfectè palàm coram omnibus ſanctis eam patefacere. At vbiquitatem carnis nunquam declarauit coram quoquam, neq; clàm neque palàm. Quomodo igitur congruit, quòd eam partem Maieſtatis iſtius manifeſtatæ faciunt? Quippe ſic, ſecundùm illos, omnem Maieſtatem ſuam manifeſtat, & aliquam non manifeſtat.

XXII. *Rectè confitentur, Diuinam naturam nec mori nec pati poſſe. Sed cum hoc dicto, quomodo conſiſtet illa oratio; Deitatem non tantùm nomen, ſed etiam rem ipſam paſſionis, & mortis cum carne communem habere? & realem eſſe communicationem Idiomatum inter duas naturas, in vtraque harum loquutionum, Deus eſt mortuus pro peccatis mundi; Et, Homo eſt omnipotens? Si ergo propter realem communionem, exponi oportet; Humanitas eſt omnipotens: neceſſariò etiam exponendum erit: Deitas eſt mortua.*

XXIII. *Dicunt, humanam naturam non eodem modo vbique eſſe, quo Deitas eſt vbique. Et tamen eam vbique eſſe ſecundùm modum dextræ Dei, hoc eſt, Deitatis; Et carnis Chriſti, ſeu Chriſti ſecundùm carnem, omnia eſſe plena, modo diuino, vt loquũtur ex Luthero. Nam quòd diſtinguunt Deitatem ex ſe, Humanitatem non ex ſe vbique eſſe, id nihil ad antilogiam tegendam habet momenti. Non enim quæritur, vnde ſit; ſed an ſit vtraque natura vbiq;. Diuerſa enim cauſſa non facit modum diuerſum exiſtendi vbiq;. Perinde eſt ergo, ſiue à ſe aut ſua natura, ſiue aliunde & præter naturam, dicant carnem eſſe vbique. Manet enim eadem Vbiquitas ſubſtantiæ; ac proinde iſtarum orationum* ἀσυσασία.

XXIIII. *Confitentur rectè, humanam naturam non eſſe æqualem Deitati, nec ſubſtantia nec proprietatibus. Contrà verò dicunt, carnem ſubſtantia ſua ibi exiſtere, vbicunq; eſt Diuinitas, & realiter omnipotẽtem eſſe, & proprietates diuinas immenſas realiter communicatas habere. Naturam autem omnipræſentem omnipræſenti,*

præſenti, & omnipotentem omnipotenti æqualem eſſe ſubſtantia & potentia, neceſſe eſt. Non enim poteſt infinitum infinito maius aut minus, nec omnipotens omnipotenti eſſe potentius aut impotentius.

Dicunt, humanam naturam non eſſe vbique localiter extenſam. Erit ergo ſubſtantia eius illocaliter vbique, & vbique tota, non habens partem extra partem, ſed omnes partes in omnibus; hoc eſt, erit vbique ſicut Deitas. Quomodo igitur negant, eam eſſe vbiq. eo modo, quo Deitas vbique eſt? Item, cùm non ſit extenſiuè vbique, non habendo partem extra partem (ſicut reuera oportet concedi de eo, quod eſt vbique, ſeu de infinita eſſentia) quomodo dicunt, ſe retinere proprietates eſſentiales carnis ſine abolitione, interquas etiam recenſent, eſſe circunſcriptum, præditum certa figura, certa ſerie ſeu ordine partium &c. Quale ergo relinquent nobis corpus in Chriſto humanum, cuius aures in pedibus, nares in digitis, & cerebrum in calcaneis ſit? Viderint quinque Theologi Bergenſes, in quàm mirabilem officinam eos induxerit Sextus. XXV.

Dicunt, poſt formam ſerui demum planè depoſitam, id eſt, poſt reſurrectionem, aſcenſionem & collocationem ad dexteram Dei, omnia diuina opera λόγον operari cœpiſſe per carnem vbiq. præſentem, qua Maieſtate priùs abſtinuerit: Et tamen contendunt, ſi non agat omnia In, cum, per vbiq. præſentem carnem, perſonam Chriſti diuelli. Quomodo ergo in humilitate Chriſtus ſecundùm illos fuit verus Deus? Nam ad vnitatem perſonæ requirunt non tantùm poſſe eum omnia per carnem operari, ſed reipſa etiam operari. XXVI.

Fatentur, naturam humanam accipere à Diuinitate vitam, ſapientiam, robur & reliqua omnia dona creata, non autem à ſe ipſa: non enim ipſa ſe reſuſcitauit, non ipſa ſe ſuſtentat, non ipſa effundit Spiritum ſanctum, neq. in ſe, neque in alios, aut per eum operatur: Fatentur enim non creatam per increatam, ſed increa- XXVII.

tam per creatam naturam, tanquam per organum ſuum, operari. Atqui illa omnia ſunt opera omnipotentiæ diuinæ, quæ Deitas operatur in carne quidem ſua, ſed non per carnem; Quomodo igitur conſiſtere poteſt, quòd contēdunt perſonam ſolui, niſi λόγος omnia ſua diuina opera exerceat per humanitatem?

XXVIII. *Fatentur, non tantùm animam, ſed etiam corpus Chriſti perſonaliter vnitum eſſe λόγῳ: Et tamen dicunt, vnionem hanc non conſiſtere ſine reali communione Maieſtatis, hoc eſt, proprietatū Dei eſſentialium. Atqui Chriſti humanitas ſola mente ſua intelligit, non autem carnibus & oſſibus, manibus & pedibus. Secundùm illos ergo anima tantùm, non autem maſſa corporis erit realiter & perſonaliter vnita Deitati. Et corpus mortuum iacens in ſepulcro, non tantùm ſapientiam & robur, ſed etiam vitam nō habebat realiter ſibi communicatam, vt intelligens, potens, viuum, nedum omniſcium, omnipotens, omnipræſens realiter dici poſſet, quocunq; volunt modo; Et tamen λόγος, qui eſt ipſiſſima vita, omnipotentia, omniſcientia, manebat ei perſonaliter vnitus: quia fatentur Deum reuera pro nobis mortuum fuiſſe & ſepultum. Sua igitur confeſſione refutant, ſuum illud, de quo tantas turbas cient, axioma, Vnionem perſonalem aut eſſe realem cōmunionem, aut non ſine reali communione proprietatum inter duas naturas conſiſtere. Hæc ſua dogmata, vt concilient inter ſe, non vna credimus illis opus fore diſpenſatione.*

XXIX. *Dicimus, ſapientiam & virtutem creatam, & inhærentem in natura humana Chriſti, tanquam in ſuo ſubiecto, omnium angelorum & hominum ſapientiæ & virtuti antecellere; & tamen eſſentiali ſapientiæ & virtuti, quæ eſt ipſe Deus, non eſſe parem, hoc eſt, actu infinitam. Hoc iſti, quaſi non rectè dictum, reprehendunt, & figmentum eſſe dicunt, mediam illam inter Deum & alias creaturas ſapientiam & virtutem. Et tamen expreſſe cogūtur fateri, Chriſtum ſecundùm humanitatem eſſe infra Deum, & potentiam ac dona creata non eſſe paria Deitati.*

Dicunt,

Dicunt, naturarum eſſentias non miſceri aut confundi, neque XXX.
proprietates æquari: Et tamen naturas habere communionem
realem in eſſentia & in proprietatibus. Quid autem eſt hoc aliud,
niſi communem & ſimilem, ſiue eiuſdem naturæ eſſentiam, & pa-
res atque eaſdem proprietates habere communes? Nam commu-
nionis nomẽ per vnionem eos interpretari, non ſinit ipſorum de-
claratio, qua carnem omnipotentem & omnipræſentem eſſe con-
tendunt. Vnio enim cum omnipræſenti eſſentia, cum omnipoten-
tia, & omniſcientia, hominem quidem, ſed non carnem facit o-
mnipræſentem, omnipotentem & omniſciam: ſicut vnio carnis
cum Deitate, hominem quidem, ſed non carnem facit Deum. Illi
ergo, qui realem communionem volũt eſſe talem, qua caro fiat
omnipotens, omnipræſens &c. non poſſunt communionem iſtam
vnionis nomine tegere.

Fatentur, propria naturarum nõ egredi ſua ſubiecta, quod eſt, XXXI.
non in alia, præterquam in ea natura reperiri, cuius propria ſunt:
Item, omnipotentiam, omnipræſentiam, omniſcientiam, etiam
in vnione perſonali cum Deitate, non competere naturæ humanæ
in ſe & per ſe, non eſſentialiter, non formaliter, non habitualiter,
non ſubiectiuè; Hoc autem eſt, omnipotentiam, omniſcientiam,
omnipræſentiam, non eſſe carnis eſſentiam, nec proprietatem eſſen
tialem, nec formam, habitum, ſeu accidens inhærens carni tan-
quam ſubiecto; & ſicut ipſi ſua verba exponunt, quòd caro neque
ſit Deitas, vel omnipotentia ipſa, neque ſit omnipotens, & vbiq;,
per eſſentialem proprietatem communicatam, & effuſam in eam,
diſtinctam à Deitate. Et tamen contendunt, has proprietates di-
uinas carni realiter competere. Nihil autem realiter competit
alteri, quod non ſit vel de ipſius eſſentia; vt animatum, corpora-
tum, rationale, competunt homini per eſſentiam ipſius; vel pro-
prietas eſſentiam neceſſariò comitans, vt loqui, numerare: vel ac-
cidens, vt magnum, paruum, iuſtum, iniuſtum, doctum, indoctũ
eſſe. Omnia hæc negant Theologi de omnipotentia carnis. Ergo

hic negant eam eſſe realiter omnipotentem; quod toto Libro affirmant.

Nec ſanè validiori argumento poterant ipſi ſuum dogma euertere. Quicquid enim de re aliqua dicitur, id neceſſe eſt vel eſſētiam eius, vel accidens eius eſſe: vt ipſi fatentur in articulo de peccato originis. At hic fatentur (vt neceſſe eſt omnino fateri) omnipotentiam neq; eſſentiam, neq; accidens humanitatis eſſe. Concluditur ergo neceſſariò, non competere carni, vt dici poſſit omnipotens: competere autem homini; quia omnipotentia, id eſt, Deitas, eſt de huius hominis eſſentia. Contrà verò accidit carni, non omnipotentem eſſe, ſed omnipotentiæ vnitam eſſe; ideoq; tanquā accidens eius, hæc vnio de carne rectè prædicatur. Vnionis enim cum Deitate & omnipotentia, capax eſt caro; ipſius Deitatis & omnipotentiæ, vt per eam Deus & omnipotens eſſe & dici poſſit, capax non eſt: Sicut corpus vnionis cum anima intelligente capax eſt; rationis & intelligentiæ capax non eſt. Hæc ſua vulnera, quæ ipſi ſibi infligūt, ſperant ſe tegere poſſe vocabulo Diſpenſationis, & ſimilibus fucis: Sed non proſunt illis hæc σοφὰ φάρμακα. *Non enim tam facilè conciliantur antilogiæ, quàm implicantur.*

Eſt autem hîc etiam animaduertendum inſigne exemplum Sophiſticæ in Vbiquitatis antiſtite. Quidam ex collegis eius priùs poſuerat hanc regulam in ſuis ſcriptis: Proprietates non egredi ſua ſubiecta. Huic ille refragari non potuit. Sic igitur eam admiſit, vt noua prorſus & abſurda gloſſa deprauaret: videlicet, non egredi ſubiectum, eſſe idem, quod vtranq; naturā, eſſentiales ſuas proprietates retinere, ita, vt à natura non ſeparentur, nec in alteram naturam, ſicut aqua ex vno vaſe in alterum, transfundātur. Regulæ ſenſus eſt, propria naturæ non extendi vltra ſuum ſubiectum, nec alteri naturæ tribui aut competere, præterquam ei, cuius ſunt propria. Iſte verò egreſſionem fraudulenter interpretatur ſeparationem à ſubiecto, ſeu translationem ex vno ſubiecto in alterum, vt in altero eſſe incipiens, in altero eſſe deſinat,

ſicut

ſicut aqua transfuſa, cùm eſt in vaſe, in quod infunditur, non eſt ámpliùs in eo, ex quo effuſa eſt. Si neſciunt hæc ſomnia nimis monſtroſa eſſe, diſcēdum hoc illis erat priùs, quàm ſe mundi Reformatores profiterentur. Sin ſciunt, qua conſcientia aut fronte has detorſiones aut faciunt, aut facientibus ſubſcribunt?

Fatentur, Perſonæ Chriſti tribui debere vtriuſq; naturæ propria, cum diſtincta declaratione, cui naturæ vnumquodq; ſit proprium. Et tamen, cùm perſonæ realiter, naturæ autem humanæ verbaliter diuina tribui dicimus, hoc eſt, eodem modo hominem dici omnipotentem, quo dicitur Deus æternus, creator mundi; videlicet, ſecundùm Deitatem, ſicut Deus eſt mortuus, ſecundùm humanitatem; clamor exoritur tragicus, nos diuidere Chriſtum. XXXII.

Fatentur, Vtranq; naturam in Chriſto agere, cum communione alterius, quod cuiuſque proprium eſt. Hoc autem eſt, officium Chriſti perfici, concurrentibus vtriuſque naturæ propriis & diſtinctis operationibus: vt, nos redimere, totius perſonæ, vtriuſq; naturæ commune opus eſt: pati & mori pro nobis, humanæ naturæ proprium, non autem Deitati commune eſt: naturam humanam ſuſtentare in morte, & ſuſcitare ex morte, Deitatis propriū, non autem commune humanitati eſt. Hoc fatentes, tamen ipſam omnipotentiam, & omnia opera naturæ omnipotentis, volunt vtriq; naturæ realiter eſſe communia. Sic autem nō, quod ſibi proprium, ſed tantùm, quod ſibi cum altera commune eſt, vtraq; natura operabitur cum altera. XXXIII.

Fatentur, Humanam naturam ſuas proprietates eſſentiales in æternum retinere: Et tamen volunt eam habere proprietates, quæ non tantùm ſupra, ſed etiam contra naturam humanitatis ſint, cum Deitate realiter communes, hoc eſt, aſſerunt eandem ſimul eſſe in vno tantùm loco exiſtentem: hæc eſt enim proprietas maximè eſſentialis omnibus rebus creatis: & tamen in illo ipſo loco, & in omnibus aliis locis incircunſcriptam exiſtere. Si enim in omnibus, etiam in eo loco incircunſcripta & illocalis erit, in quo circunſcripta & localis eſt. XXXIIII.

XXXV. *Alibi dicunt, naturales & eſſentiales proprietates humanitatis, non omnino depoſitas eſſe à Christo: alibi formam ſerui omnino & prorſus depoſitam eſſe in glorificatione. Sciunt autem, omnium veterum & recentium Orthodoxorum cõſenſu, & Scriptura ſic poſtulante, formam ſerui ab Apoſtolo nominari, non tantùm infirmitates, ſed etiam ipſam naturam humanã aſſumtam à Filio Dei, cum omnibus ſuis proprietatibus eſſentialibus, ſicut & formam Dei naturam diuinã, cum omnibus ſuis attributis: quæ duo Apoſtolus inter ſe opponit, alterum ſemper habuiſſe Chriſtũ, alterum in tempore aſſumſiſſe docens. Secundùm ipſos itaq; Chriſtus formam ſerui* OMNINO *&* NON OMNINO *depoſuit.*

XXXVI. *Fatentur, vnicam eſſe omniſcientiam & omnipotentiam, qua Chriſtus eſt omniſcius & omnipotens, videlicet, ipſam Deitatis eſſentiam. Et tamen nos inſectantur, cùm dicimus, notitias in mente humana Chriſti, & robur naturæ humanæ non propriè eſſe omniſcientiam & omnipotentiam, hoc eſt, ſapientiam & potentiam infinitam, ſeu parem Deitati.*

XXXVII. *Dicunt, humanitatem per ſe non eſſe omnipotentem eſſentiã, & omnipotentes ac infinitas proprietates in ſe habere: Et tamen contendunt eſſentiam carnis exiſtere vbique. Iam autem ſæpe refutata eſt eluſio: Deitatem per ſe; carnem non per ſe eſſe infinitam. Homo enim per ſuam Deitatem eſt vbique: Caro autem neque per ſe, neque per Deitatem: neq; vnita neq; non vnita Deitati.*

XXXVIII. *Non puduit illos hîc repetere illud ſuum vetus: niſi carnis ſubſtantia ſit vbique vnà cum Deitate, naturas in Chriſto diuelli. Atqui ipſi fatentur, carnem Chriſti humilitatis tempore non fuiſſe ſubſtantialiter vbique; Et tamen vnitatem perſonæ ſaluam fuiſſe. Nec ſoluunt, ſed arctiùs aſtringunt ſibi nodum, cùm dicunt, Chriſtum habuiſſe facultatem exiſtendi vbique ſecundùm carnem etiam tum, ſed ea non eſſe vſum. Non enim facultas, ſed vſus huius facultatis requiritur, ſi conſiſtere volunt ſuum argumentum; naturas diuelli, ſi humana non ſit, vbicunq; eſt diuina.*

Palàm

Palàm ergo ſibi repugnant, dum aiunt, Chriſtum humilitatis tẽpore Vbiquitaria Maieſtate abſtinuiſſe, non fuiſſe vſum; & tamẽ in Cœna in qua maximè humilẽ ſe gerebat & declarabat, corpore ſuo inuiſibiliter fuiſſe in ſingulis buccellis panis Euchariſtici, & in ore & corpore ſingulorum diſcipulorum, atque idcircò neceſſariò vbiq; non tantùm durante Cœna, ſed etiam dum pependit in cruce, & iacuit in ſepulcro: Non enim dedit corpus ſuum edendum diſcipulis, vt ab illis rurſus diſcederet, ſed vt deinceps perpetuò in illis maneret. Concilient hæc nobis Theologi per ſuos actus primos & ſecũdos. Deinde, ſi humiliari, eſt non vti vbiquitate carnis: ſecundùm ipſos Chriſtus Cœnam inſtituens non fuit humilis: ſed ſtatum humilitatis tunc interrupit. Ac ne multis ſit opus, Chriſtus de toto humilitatis ſuæ tempore dicit; Filius hominis, qui in cœlo eſt. Ioh. 3. 13. *Hîc omnia ipſorum figmenta corruunt. Nõ loquitur de poteſtate exiſtendi, ſed de reali & actuali exiſtentia in cœlo. Hanc ergo ſi propterea intelligunt de carne, quia Chriſtus tribuit eam Filio hominis, quomodo dicunt, Chriſtum vbiquitate carnis tunc non eſſe vſum, & ſubſtantiam carnis tum non fuiſſe vbique? Si autem de Deitate, ſicut eſt neceſſe, nulla ipſis relinquitur cauſſa, cur non eadem Idiomatum communicatione, non reali ſed verbali, intelligantur illa: vbi ſunt duo vel tres congregati in nomine meo, in medio illorum ſum: quod itidẽ dixit Chri-* Matth. 18. 20. *ſtus de ſe ipſo vero homine, tam in humilitate quàm in gloria conſtituto, vna & eadem communicatione Idiomatum, verbali ſcilicet, nuſquam vllum præbens indicium communionis illius realis, quam iſti fingunt. Sicut ergo dicit: In medio eorum ſum: ita continuat promiſſionem eandem, eiuſdem præſentiæ dicens: Sum vobiſcum vſq; ad conſummationem ſeculi. Refutant igitur ipſi, refutat etiam Chriſtus euidentiſſimè, ludibria ipſorum de actu primo & ſecundo, de humilitate & gloria, & quicquid eſt ſimilium. Ex his pedicis, quas ſibi ipſi circundant, expediant ſe, ſi poſſunt.*

XXXIX. *Dicunt ex Luthero, Hominem Chriſtum inde ab incarnatione fuiſſe omnipotentem atque æternum Deum, conditorem mundi: Idq́ vult Lutherus dictum per vnam & eandem communicationem Idiomatum. Quomodo ergo ſecum & cum Luthero conſentiunt, dum volunt, hominem & humanitatem eſſe omnipotentem: hominem autem duntaxat, & non etiam humanitatem eſſe æternam, eſſe Deum, eſſe conditorem mundi? Cur in vno epitheto realem, in reliquis autem verbalem communicationem faciunt, in quibus Lutherus vnam duntaxat, nempe verbalem, facit?*

XL. *Fatentur, Chriſtum ſuo corpore verè aſcendiſſe in cœlum, proficiſcendo de loco in locum: imò etiam nunc & in æternum manere vno in loco vno tempore circunſcriptum & uiſibilem: At huic repugnat, quòd aſcendendo dicunt eum declaraſſe Maieſtatem vbiquitariam. Si enim hac ipſa exaltatione, non præſentiam in omnibus, ſed præſentiam in vno tantùm loco, vno tempore, declarauit & declarat in æternum, in omnium ſanctorum angelorum & hominum conſpectu: Quomodo per aſcenſum viſibilem, localem & circunſcriptum, declarauit inuiſibilem Vbiquitatem? In humilitate occultaſſe, in aſcenſione manifeſtaſſe Chriſtum dicunt Maieſtatem Vbiquitariam. Atqui hæc in gloria non magis apparet, quàm in humilitate. Fatentur enim, velint nolint, omnipræſentiam illam corporis eſſe inuiſibilem.*

XLI. *Fatentur, idem eſſe omnipotentiam, & Deitatem æternam, ac proinde, eſſe omnipotentem, & eſſe Deum æternum: Et tamen humanitatem eſſe omnipotentem contendunt, Deum æternum eſſe negant. Ergo, cùm libet, ſunt illis idem Deitas & omnipotentia, cùm nō libet, non ſunt idem. Nec illis hîc ſuccurrunt ſophiſticæ & fictitiæ ipſorum diſtinctiones: quocunque enim modo humanitatem omnipotentem, eodem etiam Deum æternum eam eſſe concedere coguntur, niſi Deitatem & omnipotentiam res diuerſas eſſe oſtenderint, quarum alia aliter haberi & cōmunicari poſſit.*

Si

Si caro realiter, perſonaliter, & per diſpenſationem eſt omnipotens, omniſcia, vbique: etiam realiter, perſonaliter & diſpenſatiuè erit Deus æternus: quod ipſi negant, & nemo vnquam dixit, præter Eutychen & Schvuencfeldium, qui tamen hac in parte ſunt magis ingenui, dum quæ neceſſariò ſimul conſiſtere vidēt, ſimul etiam concedunt.

DE ARTICVLO COENAE DOMINI *dicunt, fundamētum vnicum ſuæ de Cœna doctrinæ, ſe cōſtituere verba Chriſti: Hoc eſt corpus meum: Sed tamen, cùm vrgentur ab aduerſariis, reſpondendum illis eſſe per declarationem articulorum fidei, de incarnatione Chriſti, aſcenſione in cœlum, & ſeßione ad dextram Dei. Si verba Chriſti ſunt vnicum fundamentum corporalis præſentiæ Chriſti in pane Cœnæ: Non igitur fundamentum eius eſt vbiquitas carnis, neq; hæc vſquam tradita eſt in verbo Dei. Si enim tradita eſſet, valeret profectò hoc ipſorum argumentum: Corpus Chriſti ſubſtantia ſua vbiq; eſt: Ergo neceſſariò eſt etiam in pane: Ac proinde eſſet fundamentum firmißimum corporalis præſentiæ. At nolunt eam eſſe fundamentum. Quod enim vnicum eſt fundamentum, non adiunctum habet alterum. Fatentur ergo eam non expreſſam eſſe in verbo Dei. Idq; ſignificant etiam apertiùs, cùm addunt, tutißimum eſſe in verbis Chriſti ſubſiſtere. Ergo vſq; ad Vbiquitatem progredi minùs tutum eſt. At iis quæ ſunt in verbo Dei tradita, omnibus æquè tutum eſt inſiſtere. Non igitur certa eſt ipſorum conſcientia, vbiquitatem corporis Chriſti eſſe à Spiritu ſancto traditam Eccleſiæ. Cur ergo tam horribiliter condemnant omnes, qui ſuper fundamentum non ſatis tutum nolunt cum ipſis ædificare?* XLII.

Perneceſſaria itaq; fuit illis cautio, Confirmaturos ſe doctrinā ſuam ex ſolis verbis Chriſti, ſi nemo contradicat: Sin autem aliquo contradicente ruinam minetur, tum demum per dogma Vbiquitatis eam eſſe fulciendam. Viderunt enim infirmitatem huius argumēti: Quicquid dicitur eſſe corpus Chriſti, pro nobis cru-

cifixum, in eo, ſub eo, cum eo, apud illud ſubſtantialiter adeſt corpus Chriſti: Panem dicit Chriſtus eſſe ſuum corpus crucifixum pro nobis: Ergo in, vel ſub, vel cum pane vel apud panem ſubſtantialiter adeſt corpus Chriſti. Ideò alterum aduocarunt ei ſubſidium: Quod eſt vbique, eſt etiam in pane: Corpus Chriſti eſt vbiq;: Ergo eſt & in pane. Sed videre etiam debebant, aquè infirmam eſſe hanc minorem: Chriſti corpus eſt vbiq;, quàm eſt illa maior, Quicquid eſt corpus Chriſti, in eo vel cum eo eſt ſubſtantia corporis Chriſti, nati de virgine.

Nec tollit repugnãtiam, quod dicũt, ſe reſpõdendi cauſſa adhibere dogma Vbiquitatis. Quia in bona cauſſa ſunt eadem principia ſeu fundamenta probationum & ſolutionum. Verbis igitur vnum, re ipſa duo fundamenta ponunt: τὸ ῥητὸν *verborum Chriſti; & vbiquitatem corporis Chriſti: quorum hoc falſum, illud malè intellectum & accommodatum eſt. Ac perinde loquuntur Theologi, atq; is, qui dicat, ſe vnicum habere famis remedium, ſuas oues: quòd ſi tamen illas conſumſerit, venturum ſe etiam ad boues. Dicent nobis, oues ſibi ſufficere, vt ad boues venire non neceſſe habeant: Atqui oues ipſos defeciſſe teſtantur, cùm ad boues iamdudum venerint, & his etiã deficiẽtibus, oues fruſtrà requirant: ſuum verborum Chriſti ſenſum per vbiquitatem, & hanc per ſenſum verborum fulcire conãtes. Ad hæc, quomodo congruit hoc vnicum fundamentum cum quatuor fundamentis à Luthero poſitis, & in libro Bergenſi inculcatis?*

XLIII. *Aſſeuerant, panem & vinum verè, hoc eſt, vt ipſi exponũt, ſecundùm* τὸ ῥητὸν, *ſecundùm ſonum literæ, ſicut ſonant verba, ſine tropo & figura ſermonis, propriè loquendo, eſſe corpus & ſanguinem Chriſti: Et tamen verba Chriſti ſic eſſe intelligenda, quòd in, vel ſub, vel cum pane & vino, vel apud panem & vinum corporaliter & ſubſtantialiter adſit verum corpus & verus ſanguis Chriſti. Nondum autem oſtenderunt, ſecundùm* τὸ ῥητὸν *conuenire has orationes: Panis ipſe, propriè loquendo, eſt corpus Chriſti:*

Et,

Et, non ipſe panis, ſed caro inuiſibilis, occultata in pane, eſt corpus Chriſti. Quiſquis enim attentè confert ipſorum verba cum verbis Chriſti, facilè videt, ipſos verba ſua in locum verborum Chriſti ſubſtituere, & horum titulo, hominibus pro fidei articulo obtrudere.

Fatentur, Cœnam Domini eſſe ſigillum Noui Teſtamenti: Et tamen perpetuò inculcant, eam eſſe ipſum Teſtamentum Nouum, & nos tanquam violatores Teſtamenti Chriſti traducunt, qui nolumus ipſis credere, corpus Chriſti in pane, & ſanguinem eius in vino corporaliter latère, & ore comedi ac bibi. Sigillum Teſtamenti non eſt ipſum Teſtamentum, & contrà: Secundùm illos ergo Cœna erit ſigillum, & non erit: erit Teſtamentum, & non erit. Omittimus iam, quòd cùm nos dicimus, Sacramenta eſſe ſigilla, Symbola, pignora &c. hæreticum eſt; cùm ipſi dicunt, Catholicum eſt. Neq; ſe expediunt, cùm dicunt, ſe non vacua ſigna ſtatuere; neq; nos enim vacua vel inania ſtatuimus. XLIIII.

Fatentur, vnionem panis & corporis, vini & ſanguinis Chriſti eſſe Sacramentalem: Si Sacramentalis, Ergo toti Sacramentorum generi communis eſt, & non aliter ſanguis & aqua in Baptiſmo, quàm ſanguis & vinum in Cœna ſunt vnita. In nullo enim Sacramento res inuiſibiles & ſignificatæ in viſibilibus ſignis corporaliter latent, & corporaliter accipiuntur à piis & impiis. Repugnat ergo huic vnioni, peculiaris illa & corporalis vnio rei & ſigni, quam in Cœna Domini ſingunt, ſine vlla diſcriminis ratione. XLV.

Secundùm τὸ ῥητὸν *verborum volunt panem eſſe corpus, & vinum ſanguinem Chriſti: Et tamen viuum & integrum Chriſtũ, ac proinde corpus & ſanguinem eſſe vbique, atque ita etiam carnem in poculo, & ſanguinem Chriſti in pane: atq; panem etiam ſanguinem, & vinum eſſe carnem: quod verbis Chriſti minimè eſt conſonum.* XLVI.

De conſecratione panis dicunt, Corpus Chriſti eſſe præſens, non XLVII.

per recitationem verborum, ſed per omnipotentiam Dei: Et tamen ibidem dicunt: Verba pronuntiari debere ſuper panem; Et benedictionem, de qua dicitur 1 Cor. 10, fieri per recitationem verborum; Et ex Luthero, Chriſtum alligaſſe ſuam iuſsionem & operationem noſtræ recitationi. Iuſsionem autem & operationem Chriſti eam intelligunt, qua Chriſtus iubeat & efficiat, vt corpus ſuum ſubſtantialiter ſit & comedatur in pane. Si hæc operatio ſeu hic effectus omnipotentiæ Dei eſt alligatus pronuntiationi verborum ſuper panem; Ergo certè ſit per recitationem, vt omnipotẽtia Dei hoc operetur. Idem prorſus dicunt Papiſtæ, cùm illis obiicitur incantatio magica: non virtute verborum, ſed virtute diuina edi miraculum inuiſibile, dum verba recitantur, ſicut non per verba, ſed ſuis pedibus & voluntate, & virtute locomotiua accurrit is, qui vocatur, & tamen venit ad vocantis verba. Sic enim ſcribit Gabriel: In verbis nulla eſt virtus ſupernaturalis inſiſtens, ſed eſt virtus diuina aſſiſtens, quæ operatur effectum ad prolationem verborum ſuper materia debita. Et per hoc, verba ſunt cauſſa ſine qua non: quia ſine eis non fieret tranſſubſtantiatio virtute diuina, quæ ſic ordinauit, quod non ſine verbis vult tranſſubſtantiare panem in corpus Chriſti. *Hæc ille. Neq; hinc ſe expediunt, cùm dicunt, requiri totam ceremoniam. Siue enim recitationi ſoli horum verborum: Hoc eſt corpus meum, ſiue totius inſtitutionis; ſiue toti ritui alligetur præſentia corporalis Chriſti in pane, res eodẽ redit.*

Senten. 4 diſtin. 10. in fine.

Nondum igitur apparet diſcrimen inter ipſorum & Papiſtarum conſecrationem, niſi quòd Papiſtæ dicunt, incipere ad recitationem verborum eſſe corpus Chriſti ſub ſpecie panis: iſti autem, corpus, quod iam anteà in hoc pane, ſicut in omni pane, adeſt, fieri verbis recitatis, vt in hoc pane comedatur ore, in aliis verò panibus minimè: vbi hoc etiam inter cetera miraculo ſuperant miracula Papiſtarum, quòd idem corpus eodem modo præſens in hoc & in aliis panibus & cibis, nempe ſecundùm modum dextræ Dei,

in

in hoc pane fiat mobile, vt cum pane ingrediatur in ora veſcentium, cum aliis autem non ingrediatur, & non comedatur.

Accedit etiam noua verborum Chriſti expoſitio, quam priùs neq; Papa neque Lutherus, neq; ipſi perſpexerunt; Hoc eſt corpus meum, id eſt, in vel cum hoc pane corpus meũ ſit mobile & comeſtibile. Aliud enim diſcrimen præſentiæ in hoc & communi pane non relinquunt: ac propterea nos, oralem eſum corporis Chriſti negantes, aiunt, nihil niſi communem & nudum panem in Cœna reliquum facere.

Fatentur, illum eſſe legitimum vſum Cœnæ, qui eſt à Chriſto inſtitutus; fatentur etiam, hunc vſum non eſſe niſi cum vera fide, & ad fidem confirmandam: Et tamen contrà dicunt, vſum inſtitutum eſſe ceremoniam etiam abſque fide. XLVIII.

Fatentur, nihil habere rationem Sacramenti extra vſum inſtitutum à Chriſto, qui non eſt ſine fide: Et tamen etiam ſine fide volunt accipi rem & ſignum, hoc eſt, manducari verum corpus Chriſti etiam ab infidelibus. XLIX.

Fatentur, in verbis: Hoc eſt corpus meum; eſſe prædicationem Sacramentalem. Sacramentalis autem eſt, quæ omnibus Sacramentis communis, & in omnibus vſitatiſſima eſt, qua rerum & ſignorum nomina permutantur. Et tamen aſſuunt, eſſe prædicationem inuſitatam. Conferunt eam cum iſta: Hic homo eſt Deus. Et λόγος eſt homo. Et tamen coguntur fateri, eſſe magnam earum diſſimilitudinem: Et hanc diſſimilitudinẽ eſſe, quòd illæ de Chriſto ſint veræ communicatione Idiomatum; hæc autem de pane ſit Sacramentalis: Poſtea comminiſcuntur prædicationem Sacramentalem, ab omnibus Sacramentis alieniſſimam. L.

Quid autem abſurdius, quàm quòd dictum de vnione perſonali conferunt cum dictis de vnione Sacramentali; hanc propoſitionem, Sermo eſt factus caro: cum iſta, Panis eſt corpus Chriſti? Similia diuellunt, diſſimilia confundunt. Phraſes perſonales, veras per communicationem Idiomatum; Deus eſt homo, & Homo

eſt Deus, diſsimiliter exponunt: non enim ſic Deus eſt illis homo; Sicut homo Deus eſt. Diſsimiliter item exponunt Sacramentales; Sanguis victimarum eſt ſanguis fœderis; & , Vinum eſt ſanguis fœderis: Circuncifio eſt fœdus, &, Poculum eſt fœdus. Perſonales autem Sacramentalibus declarandi cauſſa conferunt: λόγος eſt caro; & panis eſt corpus: quæ differunt magis quàm cœlum & terra.

Contrà verò nos cum Scriptura & tota Antiquitate, perſonalia perſonalibus, Sacramentalia dicta Sacramentalibus conferimus; Sicut Deus eſt homo, ſic hominem Deum eſſe: ſicut Circunciſio eſt fœdus, ſic panem corpus Chriſti eſſe, confitentes. Idem ſi facerent illi, ſublata eſſet omnis lis & ſcandalum Eccleſiarum. Conſiderent omnes pij & prudentes, omnes amici & hoſtes noſtri, vtrorum expoſitio & collatio ſit veritati & Scripturæ magis conformis.

LI. *Contendunt, corpus Chriſti ore manducari: nec tamen ſecundùm Capernaitarum opinionem. Diſcernunt ſe à Capernaitis, quòd hi exiſtimarint, Chriſtum loqui de corpore ſuo dentibus lacerando, inſtàr carnis bubulæ: ipſi autem dicant, carnem Chriſti inuiſibili & miraculoſo ac cœleſti & ſpirituali modo, ore intra corpora veſcentium eſſe recipiendam. Multa hîc innoluuntur repugnantia. Primùm, ſi negant lacerationem, quæ dentibus fiat, quomodo probant Lutherum, qui laudat Palinodiam Berengarij, in qua dicitur corpus Chriſti verũ, ſenſualiter manibus ſacerdotum tractari, & frangi, & fidelium atteri dentibus? Secundò, quis illos edocuit mentem Capernaitarum, quòd potiùs viſibilem ἀνθρωποφαγίαν, quam deteſtantur omnes, quàm κρεοφαγίαν inuiſibilem & quancunq; receptionem carnis Chriſti intra ſua corpora, ſiue ſenſilem, ſiue inſenſilem, ſiue craſſam, ſiue ſubtilem, tanquã abſurdam refugerint? Certè Chriſtus occurrens illorum ſcandalo, ſecundùm horum Theologorum ſententiam, nimis Sacramentariè reſpondit, cùm non docuit illos eſum oralem ſui corporis ſubtilem*

*tilem & inuiſibilem à craſſo & inuiſibili diſtinguere; ſed gemina
reſponſione vniuerſum eſum oralem ſine diſcretione ſuſtulit; ver-
ba ſua Spiritum & vitam eſſe pronuntians, hoc eſt, non de orali,
ſed de Spirituali eſu intelligenda, quem Spiritus ſanctus in cordi-
bus operetur; & corpus ſuum per aſcenſionẽ in cœlum, tam procul
ab ipſorum ore remouens, vt de ipſo neq; buccis, neq; dentibus, vi-
ſibiliter, aut inuiſibiliter edendo, vlli cogitationi relinquat locũ.
Non igitur opinionẽ Capernaiticã ſatis euitat, qui ore carnẽ Chri
ſti manducandã exiſtimat, quãtumuis ſubtilẽ, cœleſtẽ, ſpiritualẽ
& miraculoſam manducationẽ oralem imaginetur. Tertiò, Cœ-
leſtẽ eſſe manducationẽ dicunt, & tamen oralẽ. Atqui in cœlo non
editur ore corporis. Non enim hoc edendi modo, neq; eſcis ſic eden-
dis, vita cœleſtis alitur. Quartò, vocant oralem hunc eſum Spi-
ritualem. Atqui oralis & corporalis eſus non poteſt eſſe idem, qui
Spiritualis. Corporalis enim eſt, qui ſenſibus & membris corpo-
reis: Spiritualis, qui Spiritu & mente perficitur.*

Aiunt, ſe ſentire cum Luthero, qui ponit corpus Chriſti in LII.
*pane definitiuè, hoc eſt, ſicut Spiritus, ſicut lux, ſicut calor, ſicut
ſonus eſt in aliquo corpore. Et tamen contra Lutherum di-
cunt, Corpus in pane eſſe ſecundùm modum dextræ Dei, hoc
eſt, Repletiuè, ſicut Deus eſt vbique. Manifeſtè igitur pugnant,
& ſecum, & cum Luthero, cuius videri volũt adeò genuini diſci-
puli, vt magis Lutherani, quàm Chriſtiani nominis tuendi ſtu-
dium oſtendant.*

Damnant Tranſſubſtantiationem. Cur igitur vrgent pri- LIII.
*mum exemplar Confeſſionis Auguſtanæ, in quo illa non damna-
tur? Cur vrgent Lutheri interpretationem, qui eam reliquit cre-
ditu liberam? Deniq; cur ipſi in hoc libro dicunt, panem eſſe verè
& propriè corpus Chriſti?*

Damnant opinantes, quòd extra actionem, hoc eſt, ceremoniã LIIII.
*Cœnæ Dominicæ, corpus Chriſti ſit præſens in pane. At ſi tum
non eſt in pane præſens, quomodo dicunt eſſe vbique? Nec ſe*

conciliant ſecum, ſi dicant, non ibi eſſe præſens ita, vt manducetur. Non enim extra ritum, neq; à Papiſtis, neque à quoquam aſſeritur oralis manducatio, ſed tantùm præſentia.

LV. *Damnant ſacrificium Miſſæ Papiſticum. Atqui dum ſtatuunt, Chriſtum corporaliter præſentem in pane vel ad panem, neceſſariò ſimul ponunt petitionem, & expectationem remiſſionis peccatorum propter Chriſtum hîc præſentem corpore ſuo, & manibus miniſtrorum geſtatum. Hoc autem eſt fundamentum Miſſæ.*

LVI. *Dicunt, priuatione poculi, ſpoliari populum ſanguine Chriſti. Atqui volunt corpus Chriſti viuum & integrum eſſe, & edi, tam in pane quàm in poculo. Non igitur poſſunt hoc argumento pugnare contra Papiſtas, niſi pugnent ſecum.*

LVII. *Damnant adorationem Elementorum, panis & vini. At ſtabiliunt adorationem Chriſti in Elementis, quam poſtulant Papiſtæ, quam liberam relinquit Lutherus, quam ipſorum ſocij etiam libris editis defenderunt. Ac ſanè poſita Chriſti præſentia corporali in pane, tam non poteſt ei negari honor adorationis in pane, quàm non poterat ei negari à Thoma ſtanti coram ipſius oculis in conclaui, cùm procidens exclamabat: Domine mi, & Deus mi.* (Ioh. 20. 28.) *Si enim conſtaret ex verbo Chriſti, ipſum in pane vel ad panem hunc adeſſe corporaliter; neceſſariò, conuerſis illuc animis & geſtibus externis, reuerentia Deo debita ipſi exhibenda foret, non minùs, quàm ſi videremus eum coram nobis ſtantem, ſicut Thomas & Stephanus. Non quidem panem, ſed Chriſtum in hoc pane præſentem nos adorare oporteret, ſicut non locū, ſed Chriſtum in loco, adorabant diſcipuli & fideles, animo & corpore ad locum, in quo videbant Chriſtum, conuerſi; & ſicut nunc animis in cœlum conuerſis, non cœlum, ſed Chriſtum in cœlo exiſtentem adoramus. Non igitur expediunt ſe ab adoratione Pontificia, cùm dicunt, non panem, ſed ſe Chriſtū adorare; hoc enim & Papiſtæ dicunt: neq; cùm Chriſtum in Cœna adorandum dicunt; qui enim non adorat eum, non manducat eum. Sed aliud*

longè

longè eſt, Chriſtum adorare ſemper & vbiq;, præſertim autem in vſu Cœnæ Dominicæ, in qua non ſaturatur, qui non eſurit, id eſt, qui non ſeriò deſiderat Chriſti communionem; quàm adorare ipſum in pane. Hæc ceremonialis adoratio, directa ad locum panis, quæ ſine dubio eſt idololatrica, ſtat neceſſariò, ſtante corporali præſentia Chriſti in pane, quod vtinam non doceret euentus in populo.

Dicunt, verum, ſubſtantiale, naturale, humanum corpus LVIII. *Chriſti eſſe in pane, & ore manducari: Et tamen fatentur, verum & naturale corpus eſſe circunſcriptum, ſenſile, habens ſuam magnitudinem & figuram &c. At in pane certè his omnibus proprietatibus exutum corpus conſtituunt. Quomodo ergo verum & naturale corpus in ea ore manducari dicunt? Non profectò iſtis, ſed nobis competit hæc gloriatio, nos verum, naturale, carneum & oſſeum, de virgine natum, in cruce & ſepulcro poſitum, & nunc in cælo verſans Chriſti corpus, non ore, ſed vera fide, animo & corde, verè & ſubſtantialiter ſumere, complecti & manducare, dum totum Chriſtum cum omnibus ſuis beneficiis poſſidemus, & ipſi per Spiritum ſuum inſiti, ſumus membra eius ex carne eius, & ex oſſibus eius, vt ipſe in nobis, & nos in ipſo viuamus.*

Damnant curioſas, fœdas & contumelioſas in Chriſtum quæ- LIX. *ſtiones de corpore ipſius oraliter manducato. Atqui ſi ſeriò has deteſtantur, quare tam pertinaciter tuentur fundamentum & ſcaturiginem earum, videlicet, eſum corporalem & oralem, ex quo non poſſunt non conſequi multæ fœdæ, abſurdæ & impiæ cogitationes de Chriſto. Si hoc negant, conſulant libros ſcholaſticorum, anteceſſorum ſuorum, quos tamen ipſi abſurdorum cumulatione ſuperant; Hi facilè refutabunt ipſos, & oſtendent, à quibus iſtæ quæſtiones oriantur, à nobis ne, an à defenſoribus eſus corporalis. Scribit Gabriel l.4.D.12.q.1.* Dum non corrumpũtur ſpecies panis & vini, manere corpus & ſanguinem Chriſti, ſiue

ſpecies illæ ſumantur ab homine, ſiue à bruto, ſiue vetuſtate, ſiue patefactione, vel quocunque caſu ſoluantur. *Nota ſunt ante annos non ita multos à Pontificiis quibuſdam ſcripta de pane reiecto ab ægroto: Et ne fortè culpam hanc in ſolos Pôtificios reiiciant; quæ in comburendis veſtium partibus & radendis pauimentis, in quæ gutta ex poculo Dominico fortuitò decidiſſet, facta ſunt à quibuſdam non poſtremis Auguſtanæ Confeſſionis aſſertoribus. Nec ignorãt illos, ex ſuis ſociis & Symmyſtis non poſtremos, qui ante aliquot annos ſcripſerunt, corpus Christi eſſe in omnibus pomis, pyris, foliis arborum: & qui nuper admodum; Eſſe illud in quouis canthare cereuiſiæ. Audiant & Melanthonem ſcribentem de colloquio VVormacienſi, ad quem mittebatur quæſtio; An corpus Chriſti deſcendat in ventrem, non à Sacramentariis, quibus iſtis quæſtionibus nihil opus eſt, imò ne quidem in mentem venire poſſunt, ſed ab horum Theologorum ſociis, cuius rei viuunt adhuc teſtes, qui interfuerunt. A Capernaiſmo quantum diſtent, prius eſt oſtenſum.*

XX. *Sed etiamſi hæ particulares Antilogiæ in iſto libro non extarent, vna illa eſſet ſatis magna & euidens, ad eius inconſtantiam & perplexitatem arguendam & explodendam, quòd duo principalia dogmata, quorum gratia Liber ſcriptus eſt, quorũ vtrunq; per alterum ſtabilire & obtinere Theologi volunt, ita ſe confutant & elidunt mutuò, vt alterum cum altero conſiſtere nulla ratione poſſit. Quod enim vbique eſt, id de loco in locũ non tranſire, etiam ipſis fatentibus, certum eſt. Ex nullo enim loco abit, quod in omnibus manet: & in nullum venit, quod eſt iam antè in omnibus. Corpus autem Chriſti illis eſt vbique, & quidem ſecundùm modum dextræ Dei, ſiue Deitatis. Ergo non tranſit cum pane ex manu miniſtri in ora veſcentium. Rurſus; quod loco mouetur, non eſt vbique. Non enim manet in loco, ex quo abit; & non fuit in eo, in quem venit. Corpus Chriſti ſecundùm illos editur ore, vnà cum pane; Non igitur eſt vbique: quia diſcedit ex manu, in*

qua erat, & venit in os, in quo non erat. Sic vtrinq; ſuo ſe gladio iugulant. Quod enim eſt vbique, id non ſumitur ore: quod ſumitur ore, id non eſt vbique. Repugnant ex diametro; eſſe vbique, & tranſire in corpora hominũ, ſiue per os, ſiue quocunq; ingreſſu.

Vtinam Deus aperiat aures & oculos omnium bonorum virorum in Germania, vt tandem aliquando hoc audire & videre & intelligere incipiant, in quo cardo totius controuerſia Sacramentaria vertitur: nimirum aſſertores corporalis præſentiæ & eſus carnis Chriſti, neq; ponentes neq; negantes vbiquitatem carnis, poſſe conſiſtere, ſed vtroſq; partim mutuis, partim propriis telis ſe conficere. Si enim corpus Chriſti ore comeditur, quod vtriq; volunt, aut eſt eſus iſte coniunctus, aut non coniunctus cum Vbiquitate; quorum alij aliud volunt. At neutro iſtorum modorum conſiſtit eſus oralis. Nam quod eſt vbique, id non tranſire de loco in locum, fatentur & fateri coguntur vbiquitarij, vt iam eſt oſtenſum. Corpus ergo Chriſti, ſi eſt vbiq;, non tranſit ex manu in os, aut corpus hominis. Sin autem non eſt vbique, non etiam eſt in multis locis ſimul: in quibus ſi non eſt, rurſus concidit oralis manducatio. Sunt enim ἀντιστρέφοντα, eſſe in multis, & eſſe in omnibus locis: Siquidem quod eſt in pluribus locis, non eſt loco vllo comprehenſum & circunſcriptum, ac proinde in omnibus locis exiſtit. Si enim abeſſet vel ab vno loco, iam eſſet reliquis locis comprehenſum. Et quod locis ſeparatum eſt, non eſt vna, ſed plures & ſeparatæ eſſentiæ. Separatur enim per interualla intermedia, in quibus non exiſtit. Quicquid ergo vna eſt eſſentia ſeu ſubſtantia (vt eſt corpus Chriſti) id non poteſt eſſe in pluribus locis, quin ſimul ſit in intermediis, hoc eſt, in omnibus: alioqui enim non eſſet vnum & idem numero corpus. Non tantùm philoſophia, & ſanæ mentis iudicium hoc dictat, ne ſit eluſioni locus: ſed vniuerſa Scriptura idem docet. Nulla enim in ea res vna ponitur in diuerſis locis, non exiſtens in intermediis. Vnde manifeſtum eſt, neceſſariò hoc oportere concedi Vbiquitariis, præſentiam corporis

Chriſti, aut negandā in multis, aut confitendam eſſe in omnibus locis. Vtriqueigitur hoc habent commune, quòd ex falſo principio, falſam concluſionem extruunt, & quidem, quæ per principium deſtruitur. Vbiquitarij dum Vbiquitatem cōminiſcuntur, eſum oralem euertunt; ceteri dum Vbiquitatem negant, etiam in multis locis præſentiam vno tempore, & cum hac eſum oralem tollunt. Hunc nodum, quem ipſi ſibi nexuerunt, non diſſoluent in æternum neque Lutherani neq; Laterani vniuerſi.

Has dictorum ſuorum diſcordias continet liber Concordiæ, in doctrina de perſona & Cœna Chriſti. Neque iſtæ ſunt verborum duntaxat, ſed rerum & ſententiarum antilogiæ, quæ conciliationem non admittunt. Verum autem vero conſonat. Non ergo ſimul vera ſunt diſſonantia.

Quòd ſi illa etiam eſſent colligenda, in quibus Libri Theologorum de Vbiquitate ſcripti, & ab hoc libro, & à ſe inuicem, & à ſe ipſis diſcrepant, longior catalogus texendus eſſet. Sed pluribus Lectorem in re deploranda nolumus detinere, & hæc ſufficiunt ad monſtrandum, qualem regulā doctrinæ & veritatis, & qualem formulam ac neruum concordiæ, habituri eſſent, qui hoc libro pro Norma vti velint. Iccircò hic non annumeramus, quæ in aliis quoque articulis, tanquam in norma & declaratione ambiguitatum, eſſent alicubì optanda clariora, & magis inter ſe cohærentia: partim, quia ſaltem in fundamento & ſumma rei illos non oppugnamus, partim, quia nos nominatim in illis non oppugnamur, ſicut nec alij, quorum nominibus Liber pepercit, ſolis Sacramentariis, quos illi vocant, in Concordiæ formula traductis, ne non ſatis oſtenderent, quis illorum in huius libri ſcriptione ſcopus fuerit, nempe, vt eos premerent, quos oderunt.

In articulo de libero arbitrio, rectè ab illis dicitur, Deum velle vt audiatur verbum ſuum, & non obturentur aures; modò intelligatur, hoc ipſum quoq; Dei donum & beneficium eſſe, non omnibus hominibus contingens, quòd facit copiam audiendi verbum

ſuum,

ſuum, quòd flectit voluntatem noſtram ad audiendum, & aures aperit ad auſcultandum, & mentes ad intelligendū audita, quæ etiam non renatis cotingunt; & corda ad cedendum agnitæ veritati; quod renaſcentium & electorum eſt proprium: Doctrinam autem externam eſſe ordinarium Spiritus ſancti inſtrumentum, ad hos effectus in hominibus producendos, quod qui repudiant, ſua culpa & iuſtiſſimè pereunt; ſed tamen inſtrumētum arbitrarium, per quod operatur, in quibus, & quando, & quatenus ipſi viſum eſt.

In eodem articulo, videtur non carere ſpecie alicuius προσωποληψίας, quòd loquutionem Lutheri; Homo in conuerſione habet ſe purè paſſiuè, commodè exponendo recipiunt: Alteram autem Philippi à Chryſoſtomo acceptam; Deus trahit volentē, reiiciunt. Si enim intelligatur, nos prius velle, quàm trahimur, falſa eſt: ſin verò nos velle, cùm trahimur, nihil habet abſurdi. In inclinationibus nouis accipiendis habemus ſanè nos purè paſſiuè: non poſſumus enim facere corda noſtra ex lapideis carnea: ſed in motibus bonis qui ſequuntur, paſſiuè & actiuè: agimus enim acti. Et rectiſſimè dicunt hîc Theologi: Trahi non eſt aliud, niſi ex nolente volentem effici. Ezech. 11. 19. & 36. 26. Sirac. 17. 13

Declarandum etiam magis videbatur illud, quod non debeāt Concionatores dubitare de operatione Spiritus ſancti per ſuum miniſterium. Debent enim minimè dubitare, Spiritum ſanctum fore efficacem in electis, quorum ſemper aliqui ſunt in Eccleſia viſibili: ſed non debent ſtatuere efficax eſſe ſuum miniſterium ad ſalutem omnium ſuorum auditorum. Eſt enim Euangelium aliis odor vitæ, aliis odor mortis.

Item illud, quod dicunt, non ſemper ex ſenſu gratiæ Dei iudicandum eſſe, an ſimus in gratia. Nunquam enim eſt gratia Dei regenerās & iuſtificans ſine aliquo ſui ſenſu, in adultis ſeu habentibus vſum rationis. Iuſtificati enim fide, pacem habemus apud Deum: & credens ſcit ſe credere. Si igitur volunt, vt nos can- Rom. 5. 1.

didè intelligimus eorum verba, non ex magnitudine ſed ex veritate ſenſus diuinæ gratiæ, ſtatuendum eſſe de amore Dei erga nos, habent nos promtiſsimos ſubſcriptores: nam etiam illi credunt, & primitias Spiritus habent, qui conuicti in ſua conſcientia ſe dedunt Deo, & ſeriò volentes credere, & obedire mandato
Matt. 17. 5. *cœlitùs ſonanti; Hunc audite; ſuſpirant cum Apoſtolis; Domi-*
Luc. 17. 5. *ne adauge nobis fidem; Et cum patre Lunatici: Credo Domine,*
Marc. 9. 24. *ſed opem fer incredulitati meæ. Si verò etiam ſine hoc affectu cordis, non credentibus perſuadere volunt, quòd credant, quia promiſsio hæc ſit vniuerſalis, Spiritum ſanctum operaturum per miniſterium: non videmus, quæ ſit vis huius conſolationis. Non enim conſolatur promiſsio, habens adiunctam conditionem fidei, niſi poſita hac conditione. At promiſsio gratiæ non dicit: Omnes qui audiunt; ſed omnes, qui fide accipiunt, & ſibi applicant verbum, eſſe in gratia, ſiue firma, ſiue infirma fides ſit, modò vera ſit.*

Illud quoq; Melanthonis dictum, tãquam valde pernicioſum, explodunt, cauſſas ad conuerſionem has concurrere, Spiritum ſanctum, verbum Dei, & voluntatem hominis, qui conuertitur. Videtur autem, ſi ambigua candidè, quàm malignè maluiſſent interpretari, etiam ex hoc dicto non extrui poſſe crimen hæreſeos. Spiritus ſanctus enim eſt agens principale: verbum eſt inſtrumētum, per quod mouet voluntatem: voluntas à Spiritu ſancto renouata & mota, eſt materialis cauſſa; obiectum Spiritus ſancti, ſubiectum nouarum qualitatum, & inſtrumentum actiuum & ſpontaneum ſuarum actionum, vt, propoſiti mala vitandi, & bona faciendi. Non tantùm autem qualitates ſeu facultates & inclinationes nouæ, quæ primus ſunt regenerationis effectus, & voluntatis noſtræ operatione non aſſumuntur, aut ingenerantur; ſed etiam motus noui, & ipſa ad Deum à peccatis redeundi voluntas, ad conuerſionem pertinent. Non eſt ergo voluntas cauſſa, ex qua pendeat actio Spiritus: ſed quæ tota pendet à Spiritu Dei: tãtùm ſubiecti rationem habens, quod ad inclinationes; ſubiecti

autem

autem & efficientis instrumentalis, quod ad actiones attinet.

In articulo Iuſtificationis, declaranda etiam erat condemnatio illius loquutionis, quòd iuſtificatio fidei requirat præſentiam bonorum operum: Et non omittenda huius anathematiſmi conciliatio cum alio præcedente, quo damnatur hæc oratio; fidem iuſtificantem eam quoq; eſſe, quæ ſit ſine vera pœnitentia & dilectione: & cum ſolutione illius obiectionis: Fides non eſt ſola: Ergo non iuſtificat ſola: Item cum ſolutione illius: Fides eſt opus, Ergo opera iuſtificant. Nam & ipſa fides bonum opus eſt, & cum ea inſeparabiliter cohærent, & ſimul incoantur ipſius fructus, conuerſio ad Deum, & Dei ac proximi dilectio, inuocatio, ſpes, timor Dei &c. Et tamen non iuſtificat, quatenus eſt bonum opus, & cultus Dei, & radix omnium aliorum bonorum operum, ſed quatenus eſt acceptio, & applicatio meriti Chriſti, qui eſt actus ſolius fidei proprius, atque adeò ipſa fides. Nunquam igitur ſola exiſtens vera fides, ſola tamen iuſtificat.

De diſcrimine Legis & Euangelij, ipſa quæſtionis propoſitio declaratione indigebat. Non enim hæc eſt quæſtio, An ſolum Euangelium damnet incredulitatem. Lex enim accuſat & damnat omnes non credentes & non obtemperantes omni verbo Dei, ſiue in Lege ſiue in Euangelio tradito. Ergo etiam ſub genere incredulitatis comprehendit & damnat non credentes in Chriſtum: Sed hæc ſpecies incredulitatis expreſſè & diſertè damnatur ab Euangelio. Eſt enim vtrunque vox Euangelij propria: Qui credit in Ioh. 3. 36. *Filium habet vitam: &, Qui non credit in Filium, ſuper eum manet ira Dei.*

In definitione Legis tantùm fit mentio mandati & damnationis: vbi addenda erat & promiſſio, habens annexam conditionem perfectæ obedientiæ: Qui fecerit ea, viuet in eis. Ideò reſtringenda erat etiam illa vniuerſalis oratio: Omne, quod arguit peccatum, pertinet ad Legem. Nam ſine dubio Lex arguit in genere omnia peccata: pleraq; etiam in ſpecie: vt, ſcortatores & adulteros

puniet Deus. Sed hoc peccatum, quod eſt, nō credere in Chriſtum, in ſpecie declaratur & arguitur in Euangelio: quod cùm iubeat omnes in Chriſtum credere, & promittat omnibus & ſolis credentibus vitam æternam, neceſſariò etiam damnat omnes non credentes. Non enim bene diſtinguunt Legem & Euangelium, qui dicunt, Legem tantùm præcipere, accuſare & minari: Euangelium verò tantùm promittere: vnde non videtur ſatis concors ſecum Liber Concordiæ, cùm dicit, proprium Legis eſſe, præcipere ſeu docere, quid debeamus Deo; & mox addit, Euāgelij proprium eſſe, docere & præcipere, vt credamus in Chriſtum. Lex ergo iubet nos credere omni verbo Dei: Euangelium iubet nos credere in Chriſtum, & agere pœnitentiam. Lex promittit vitam æternam præſtantibus integram obedientiam Legi: Euangelium promittit vitam æternā credentibus in Chriſtum, etiamſi non præſtent perfectam obedientiam Legis. Lex minatur æternas pœnas omnibus non perfectè obedientibus Legi: Euangelium minatur æternum exitium omnibus non credentibus in Chriſtum.

Cōcio pœnitentiæ. *Reiiciunt ex definitione Euangelij concionem pœnitentiæ; ſed, vt videtur, magis, vt Philippo multos errores tribuant, eiusq́ etiam de Chriſto, & de Cœna doctrinam hoc modo ſuſpectam faciant, quàm ſtudio veritatis. Si enim concio pœnitentiæ vocatur ea, quæ ad pœnitentiam ſeu conuerſionem ad Deum efficiendam neceſſaria eſt: haud dubiè tota Legis & Euangelij doctrina eſt concio pœnitentiæ. Legis enim proprium eſt, homines præparare ad conuerſionem, arguendo peccata, & cogendo ipſos de ſua iuſtitia deſperare. Per Legem enim eſt agnitio peccati, ſine qua non ſunt homines idonei auditores concionis Euangelicæ. Sed poſtquam damnauit peccatorem Lex, tanquam ſuo defuncta officio, non reuocat ipſum ad Deum, neq; vllam ſpem reditus & reconciliationis ei facit: Lex enim iram operatur.* Rom. 4.15 *Si tamen alio & nouo aliquo mandato peccatorem Deus ad ſe reuocet, iubet Lex ipſum obtemperare; ipſa interea nullum eiuſmodi conſilium Dei de ſalute*

pecca-

peccatoris reuelans. Euangelij autem vox propria eſt, non nota rationi ex Lege, quæ iubet peccatores reuerti ad Deum, propoſita illis ſpe reditus in promiſſam gratiam per Chriſtum, pro ipſis ſatiſfacientem Legi; & docet modum agendi pœnitentiam; ac proinde eſt inſtrumentum Spiritus ſancti, quo propriè ad efficiendã conuerſionem vtitur. Nulla enim eſſe poteſt reuocatio, neque reuerſio peccatoris ad Deum, ſed perpetuò Deum fugit & odit mala conſcientia, niſi ſpes veniæ in Mediatore facta ſit. Sicut ergo fidẽ in Chriſtum, ſic & conuerſionem ad Deum, Lex in genere, Euangelium in ſpecie præcipit: Lex præparat conuertendos: Euangeliũ autem eſt miniſterium ſeu inſtrumentum Spiritus, quo fidem & conuerſionem accendit. Ideoq; Chriſtus dicit, ſe ad hoc ipſum veniſſe, vt reuocet peccatores ad pœnitentiam, quod non facit Lex. Neq; mandatum Euangelicum de fide & conuerſione, terrificum & iræ effectiuum eſt, ſicut mandata Legis de perfecta obedientia; ſed lætum & conſolatorium. Quos enim Deus iubet poſt auerſionem ab ipſo, ad ſe reuerti, illos ſignificat, ſe velle in gratiam recipere. Ideò hoc mãdatum non poteſt proponi ſine promiſſione miſericordiæ. Vox Euangelij eſt, & Chriſti propria: Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati eſtis; ego reficiam vos &c. Ac profectò, qui promittit gratiam & ſalutem, cum conditione fidei & pœnitentiæ, is fidem & conuerſionem poſtulat & præcipit. Quin etiam non poteſt Euangelij doctrina iuſtitiam Chriſti ſtabilire, quin de iuſtitiæ propriæ opinione nos deiiciat. Hoc autem, quia ipſum Euangelium non niſi in genere facit, ablegat nos ad Legem, vt ex ea noſtram iniuſtitiam diſcamus: quẽadmodum etiam ad fructus pœnitentiæ dignos adhortans, iterum nos ad Legem remittit, vt ex ea viuere ſecundùm Dei voluntatẽ diſcamus. Prout igitur concio pœnitentiæ accipitur, ita Euangelium aut Lex, aut vtrunq; cõiunctim erit concio pœnitentiæ. Si concio pœnitẽtiæ dicẽda eſt, quæ ad pœnitentiã vocat & inuitat, pœnitentiã verã docet, & incoat in cordib⁹; hæc certè Euangelio etiam propriè ſumto tribuenda eſt.

De æterna Dei prouidentia & electione ſeruandorum, non opus eſt alia commonefactione, niſi quòd Lectorem remittimus ad librum Lutheri de Seruo arbitrio, quem nemo hactenus refutauit. Ex eo enim facilè apparebit, quid conueniat, aut non conueniat his Theologis cum Luthero. Anathematiſmum quendam huc pertinentem, procul hinc ſeiunxerunt; fortaſsis ne ſuo loco poſitus nimis eſſet conſpicuus; in quo ſine vlla diſtinctione Dei, & cauſſarum ſecundarum aſſerunt Stoicum & Manichæum eſſe, qui dixerit, Omnia euenire neceſſariò. Lutherus autem ſic ſcribit: Eſt itaq; & hoc in primis neceſſarium, & ſalutare Chriſtiano, noſſe, quòd Deus nihil præſcit contingenter, ſed quòd omnia incommutabili & æterna, infallibilique voluntate & præuidet, & proponit, & facit.

Cum hac Lutheri doctrina nobis non videtur ſatis congruere, quod dicunt, Prouidentiam Dei nihil aliud eſſe, niſi præſcientiã:
Dan. 4.35. *Neq; cum illo Danielis; Quòd pro voluntate ſua faciat Deus, in exercitu cœli, & habitatoribus terræ: neq; ſit, qui prohibeat manum eius, aut dicat ei, quid facis? Neq; cum eo, quod mox ipſi ſubiiciunt, Deum bona & mala ordinare, malis præfigere metas, & ea ad ſalutem electorum dirigere. Ordinare ad finem bonum, non tantùm eſt præſcire. Decreuit ergo Deus, & bona à ſe efficienda, & mala permittenda, quæ non ipſe, ſed Diaboli & homines facturi erant.*

Prædeſtinationem diuinam dicunt pertinere ad ſolós electos; quo dicto videntur negare in Deo æternam reprobationem; contra Lutherum dicentem: Hic eſt fidei ſummus gradus, credere, illum eſſe clementem, qui tam paucos ſaluat, tam multos damnat; credere iuſtum, qui ſua voluntate nos neceſſariò damnabiles facit, vt videatur, referẽte Eraſmo, delectari cruciatibus miſerorum, & odio potiùs, quàm amore
Rom. 9.18 dignus*: Et contra Paulum, qui dicit: Quos vult indurat: Et contra ſeipſos. Cùm enim fatentur non omnes, ſed aliquos tãtùm*

eſſe

eſſe electos à Deo, ſine cauſſa in ipſis præuiſa, certè reipſa fatentur, aliquos eſſe non electos, hoc eſt, reprobatos ab æterno.

Inculcant ſine vlla diſtinctione voluntatis Dei, Deum velle omnes audire Euangelium, omnes conuerti, omnes ſaluari, neminem perire: Cùm Scriptura & Lutherus è Scriptura, doceant, Deum lætari quidẽ omniũ conuerſione & ſalute, nullius autem peccatis & morte, ac propterea in verbo ſuo omnibus præcipere id, quo delectatur, & quod ipſi debetur: Sed non in omnibus id, quod iubet, & quo lætatur, efficere, iuſtiſſimo, & quod ad diſcretionem electorum & reproborum attinet, arcano & imperueſtigabili conſilio.

Sic etiam non diſtinguunt malum culpæ, quod Deus nec vult, nec probat, nec efficit, ſed permittit: & malum pœnæ, quod vult, probat & efficit: nec malum, quatenus malũ, à bono cõcurrente.

Damnant etiam ſine vllo diſcrimine hanc loquutionem: Reprobos non poſſe conuerti & ſeruari; contra multa Scripturæ dicta: Propterea non poterant credere, quia dixit Ieſaias: Excæcauit oculos eorum, & obdurauit corda eorum. Ioh.12.39. *Non poteſt arbor mala fructus bonos facere:* Matt.7.18. *Contra Lutherum, contra ſeipſos, qui fatentur, homines non poſſe conuerti, non conuertente ipſos Deo, habere ſe purè paſſiuè in regeneratione, nec poſſe ſe præparare aut applicare ad gratiam Dei recipiendam.*

Obiectiones illas, Deum ſimulare voluntatem omnes ſeruandi; inuidere aliquibus ſalutem; & ſibi contradicere, ſi aliquos decreuerit non conuertere; naſci ex hac ſententia deſperationem aut profanitatem: tantùm proponunt inuidiosè, ſed non addunt veras reſponſiones, videlicet, Deum verbo ſuo declarare, quid in omnibus hominibus probet ac requirat ſeriò; non autem, quid in ſingulis velit efficere: hoc enim arcanum & æternum conſilium, non niſi per eius in hominibus effectum, hoc eſt, per veram conuerſionem, & finalem indurationem in ſingulis manifeſtari: Neque inuidum aut crudelem eſſe, quãdo ſimul miſericors & iuſtus

eſt: Nec ſibi repugnare, quando idem vult & non vult diuerſo reſpectu: Vult, quatenus iuſtitiæ ſuæ exſequutio & declaratio eſt; non vult, quatenus peccatum, & creaturæ ſuæ deſtructio eſt: Pios non habere hîc materiam deſperationis, vel ſecuritatis carnalis; quia omnibus & ſolis conuerſis, & habentibus perſeuerandi deſiderium & ſtudium, certitudo electionis, & ſalutis ſuæ proponitur: Propter impiorum autem blaſphemias, non oportere occultari piorum conſolationem. Eſt enim blaſphema oratio, Etiamſi ſubiiciant ſe Deo; tamen fieri poſſe, vt non ſint electi, & non ſeruentur. Nullus enim veram agens pœnitentiam eſt non electus: ideóq; hoc ipſum eſt credere in Chriſtum, Credere ſe in ipſo electũ eſſe ad vitam æternam; idq́; credere omnes homines à Deo iubentur. Huic ergo mandato repugnantes, nihil niſi ſuam aduerſus Deum contumaciam, & iuſtæ damnationis culpam produnt.

Vrgent promiſſionem vniuerſalem gratiæ diuinæ: ſed nõ æquè vrgent eam pertinere ad ſolos credentes. Ad nondum credentes pertinet mandatum credendi; promiſſio autem ſolis credentibus facta, tum demum, cùm incipiunt ſe huic mandato ſubiicere.

Eneruant item vim promiſſionum vniuerſalium, dum ſic loquuntur de conuerſis, quaſi quidam eorum peccent in Spiritum ſanctum, deficiant prorſus à Deo, & pereant: Cùm tamen fateantur, ſalutem fidelium eſſe certam.

Sunt & alia, quæ veritatem intelligentes, ſine declaratione commodiori, quàm eſt in libro Bergenſi, non facilè receperint. Sed quia volunt, ſolum Lutherum eſſe authenticum Confeſſionis Auguſtanæ, & libri Concordiæ interpretem, & retinent illa fundamenta, quòd nullã cauſſam Electionis Deus in nobis præuiderit; quòd nemo niſi gratuito Dei beneficio poſſit ſe ad Deum conuertere; neque homines poſſint ſine Dei beneficio quicquam bonum & ſalutare facere; quòd ſalus credentium Chriſto ſic ſit curæ, vt ex illius manu rapi nunquam poſſint; cum omnes ſimus natura filij iræ, Deum conuerſionis gratiam nulli debere; Secũdùm hæc verè

&

& propriè dicta, & ſecundùm Lutheri Seruum arbitriũ, candidè malumus interpretari alia, quæ cum his nõ vidẽtur ſatis conſentire, quàm eam in illis repugnantiæ ſpeciem, quam habent, vrgere. Hæc autem pauca exempli cauſſa adduximus, vt oſtenderemus, nõ abs re nos dixiſſe, quòd etiam alia quædam inſint huic Libro, quæ ſi norma doctrinæ debeant eſſe, de multis magnis rebus Eccleſias manſuras in ambiguo, & diſſenſiones docentium & auditorum potiùs auctum, quàm diminutum iri, certum ſit.

Non eſt autem mirandum, Theologos in articulis de Libero arbitrio, de diſcrimine Legis & Euangelij, de prædeſtinatione, adeò ſibi non conſtare, vt non tantùm in Libro Cõcordiæ à ſe diſſideant, ſed etiam in eo multa largiantur, quæ olim tanquam hæretica atrociſſimè condemnarunt. Coacti quippe fuerunt, gratificari quibuſdam ſuis Cadmæis fratribus, qui purè paſſiuam hominis conuerſionem, & alia quædam de illis articulis dogmata defendunt, vt mutuam ab illis operam in admittenda Vbiquitate, & amicitiam Herodis & Pilati, ad condemnandos, quos vocant, Sacramentarios, conducerent. In dogmate autem Vbiquitatis videri volunt ab Antiquitate Orthodoxæ Eccleſiæ nõ diſcedere, vt hoc modo fucata noua ſua commenta vetuſtatis nomine obtrudant. Hoc ſtudium habentibus, non potuit non accidere, vt mutatis verbis euertant, quæ conceſſerunt, & ſtabiliant, quæ damnarunt. Hæ igitur antilogiæ oſtendunt, veteres hæreſes de Perſona Chriſti, non niſi in ſpeciem ab illis condemnari, vt non animaduertentibus fraudem, videantur ab illis procul abeſſe, quæ ipſiſſima ſunt eorum doctrina.

Ad idem artificium & κρύψιν συμπεράσματος, *illud etiam pertinet, quòd pollicentur compoſitionem controuerſiarum, quæ poſt Lutheri mortem fuerunt motæ; & tamen omittunt in ſua declaratione articulos fidei, De Aſcenſione Chriſti in cœlum; De collocatione ad dextram; De communione Sanctorum in Chriſto. Cauſſa minimè obſcura eſt, quia nemo præter ipſos nouam horum*

articulorum interpretationem defendit. Ea verò, quam ipſi pepererunt, adeò eſt à fide Chriſtiana aliena, & monſtroſa, vt ſi ſeorſum in conſpectum hominum producatur, omnibus ſit deteſtabilis, & ſua abſurditate corruens, totius ædificij Vbiquitarij ſecum
Brentius de vnione perſonali. *trahat ruinam. Sic enim ſcribunt,* Chriſtum iam inde ab initio, in momento incarnationis ſuæ aſcendiſſe inuiſibiliter
pag. 25. in cœlum; & ad dextram Dei Patris ſui ſediſſe: *Item:*
pag. 14. Aſcendiſſe Chriſtum in cœlum ad dextram Patris, quæ nō
pag. 16. eſt locus, ſed omnipotētia & Maieſtas Dei: *Item:* Chriſtum aſcendiſſe in cœlum, iuxta vulgatam regulam eſſe intelligendum, qua res tunc fieri dicitur, cum incipit pateſieri.
Recognit. pag. 144. *Item:* Vado võbis parare locum, Metaphoricā eſſe loquutionem, quaſi dicat, Parabo vobis Deum propitium. *Item:*
pag. 159. Suo aſcenſu in cœlum nō ſignificat ſe humanitate ſua de-
pag. 164. ſerere diſcipulos, ſed agere vitam cœleſtem. *Item:* Sicut Deus ante præſens erat in vtero virginis, ita ſuum habuit cœlum, è quo deſcendit, & in quod hominem, quem aſſumſit, aſcendere fecit. *Et multa paſſim his ſimilia. Iccircò hos articulos ex profeſſo non ſuſceperunt declarandos, ſed eorum corruptelas obiter admiſcent articulo de perſona Chriſti, aſſumētes eas ad confirmationem, quaſi minimè controuerſas, vt eas explicare & defendere non cogantur, & Eccleſiis non ſentiētibus obtrudant, iiſq; præſuppoſitis Vbiquitatem deinceps ex illis extruant & defendant. Sed* ὐκ ἀρετᾶ κακὰ ἔργα, κιχάνει δὲ βραδὺς ὠκύν.

Non patietur Deus, vt his artibus fallant omnes homines;
Et vel hinc æſtimare licet, quantum abſit, vt
ex iſto Libro concordia Eccleſiarum
ſit ſperanda.

CAPVT

CAPVT X.

De modo agendi Theologorum, quem in conſcribenda, ſuffragiis munienda, & promulganda Bergenſi Concordia, ſequuti ſunt: & de officio Chriſtiani Magiſtratus in controuerſiis Religionis.

SVFFICERENT *cauſſæ, quas in ipſo Libro Bergenſi ineſſe monſtrauimus, ad detrahendam ei autoritatē normæ doctrinæ Eccleſiaſticæ. Sed his adiicimus alia duo conſideranda, vnde & quomodo prodierit iſte Liber; & quis ex eo fructus Eccleſiis expectandus ſit, ſi tribuatur ei, quam Theologi volunt, autoritas; quæ duo, neque Concordiæ, neq; iudicij de doctrina Regulam eum eſſe permittunt.*

Leges, ſecundùm quas viuendum & iudicandum eſt, non modò iuſtas & vtiles, ſed etiam legitimè latas & promulgatas eſſe oportet: præſertim, ſi de rebus magnis ſint, & ad Rempub. multùm attinentibus. In Eccleſia autem nihil maius conſtitui poteſt, quàm norma conſenſus de doctrina, & diſcretionis Orthodoxorum ab hæreticis, ciuium Eccleſiæ veræ ab hoſtibus, proditoribus & turbatoribus. Plurimùm ergo intereſt Eccleſiæ, vt lex tanti momenti, rectè & legitimè feratur: Et ſi oſtendi poteſt, librum Bergenſem, conſcriptum, approbatum & promulgatum ab iſtis Theologis eſſe, ratione prorſus illegitima, & Eccleſiæ Chriſtianæ non conuenienti; etiamſi illis, de quibus hactenus dictum eſt, vitiis non laboraret: tamen condemnandi quenquam, & ex Eccleſia tanquam hæreticum excludendi autoritatem tueri nequit.

Debet quippe norma huius iudicij non ex certorum hominum odio, eoſq; opprimendi, & priuatas cupiditates explendi cauſſa,

ſed ſtudio ſalutis publicæ, conſcribi & promulgari. At Libri Bergenſis non alium eſſe ſcopum, niſi ſtudium obtinendi primatũ Pontificium in Eccleſiis Germanicis, ad quem conſtituendum iam ante multos annos etiam Principes ipſos ſollicitare non ſunt veriti Concordiæ architecti; nec aliam veriorem cauſſam, quàm acerrimum Philippi Melanthonis odium; & ſermones, & actiones Theologorum ſatis euidenter teſtantur; quicquid præ ſe ferãt amplæ, & factis contrariæ ipſorum proteſtationes.

Paſſim iactant, Brentium ſuum, qui Lutheri commendationibus creuit, longè meliùs de Eccleſia Chriſti meritum eſſe, quàm Philippum. Si Philippo illum anteponunt, multò igitur magis aliis omnibus Eccleſiarum doctoribus, qui partim ſuo, partim aliorum iudicio, cedunt Philippo, partim autem iſtorum Theologorum decreto eiiciuntur ex Eccleſia. Cùm autem Lutherus ſecundùm Librum Concordiæ, ſit præcipuus doctor & aùthenticus interpres Confeſſionis Auguſtanæ; manifeſtum eſt, eos Brentium Lutheri, ſe autem Brentij, in poſſeſſione autoritatis primariæ, ſucceſſores haberi velle: ideoq́; dogmatis ſui de Cœna tuendi cauſſa, Vbiquitatis ſemina, in libris Eriſticis Lutheri ſparſa, fouere & amplificare, & de eius propagatione tanto conatu laborare, vt ſoli videantur genuini diſcipuli Lutheri, columnæ, & conſeruatores, & regula veritatis in omnibus Eccleſiis. Acceſſerunt deinde acriores etiã ſtimuli ſuorũ, qui non obſcurè ſe ægrè laturos ſignificabant, ſi dogma introduxiſſent, quod ab Eccleſiis reformatis, & à Pontificiis oppugnatum, non poſſet defendi. Quia verò gloria Philippum fugientem ſequebatur, iſtos inſequentes fugiebat; huc omnes eorum conatus directi ſunt, vt nomini & ſcriptis Philippi autoritatem derogarent, eamq́; ad ſe prætextu nominis Lutherani, transferrent. Odij quidem acerbitatem ſatis declarãt, dum Philippum Salomoni conferunt, ſalutem eius in dubium vocant, ipſum falſarium, Auguſtanæ Cõfeſſionis corruptorem, Apoſtatam à veritate, Eccleſiarũ ſeductorem, & atrociſſimis ſupplicis dignũ faciunt;

faciunt; Libros illius tanquam impuros & hæreticos damnant, & quicquid poſſunt in iis arrodunt, & carpunt; diſcipulos eius carceribus & exiliis mulctant. Ambitionis verò tumorem nimis confidenter oſtentant, dum omnium Eccleſiarum Reformatores ipſi ſe audent conſtituere, omnes in verba ſua poſtulant adigere, & Corpori ſuo Canonico ſine vlla emẽdatione, cenſura, diſputatione, exceptione, vel conditione, ſubſcribi ab omnibus iubẽt, autoritate prorſus Pontificia, tanquam penes quos ſolos omnia myſteria Deus depoſuerit, vt nihil rectum ſit, niſi ab ipſis petitum & dictatum. Et ne dubitandi de hac re locus ſit, notorium eſt in Germania, Coryphæo ipſorum, hanc primatus affectationem, à ſociis ſuis præcipuis, quibus totum eius curriculum eſt notum, obiici in faciem, non minùs apertè, quàm à nobis poſſet fieri.

Multis quidem illi verbis prætexunt neceſſitatem occurrendi calumniæ Papiſtarum, de diſſidiis Eccleſiarum reformatarum: ſed aliud clamant ipſorum actiones. Non eſt recens obiectio Papiſtica; non eſſe veram Eccleſiam, in qua tot ſint ſchiſmata. Sed hæc à Paulo ſatis refutata eſt, cùm dicit: Oportet & ſectas inter vos eſſe, vt qui probati ſunt, manifeſti fiant: Et à Iohanne: Exiuerunt ex nobis: ſed ex nobis non erant. Non ergo ſequitur, eam non eſſe veram Eccleſiam, à qua prodeunt & diſcedunt hæretici. Vnde enim prodeunt hæretici, niſi ex Eccleſia? Multò autem minùs ſequitur, disiunctas eſſe Eccleſias inter ſe, quia aliqui homines turbulenti, aut fanatici, aut ambitioſi, varias in illis quæſtiones & lites mouerunt. Non enim vnius aut paucorum prauitas, totis cœtibus exprobranda eſt, qui eam non ſequuntur, ſed repreſſam cupiunt. Cur igitur priuatorum rixæ, quales fuerunt pleraque in Libro Bergenſi repetitæ, inter Eccleſiarum Schiſmata, & lites ſeu cauſſas publicas recenſentur? Non ex priuatorum opinionibus propriis, ſed ex publicis Eccleſiarum cõfeſſionibus, de ipſarum doctrina & Concordia iudicari oportet. Quod niſi valeat, nulla reperietur Eccleſia, quæ non poſſit dici ſchiſmatica vel hæretica.

1.Cor.11.19.
1.Ioh.2.19

VV

Extat communis Confeſſio, quæ eſt publica Eccleſiarum vox & conſenſus. Si qui aliquas eius partes non eodem, quo ceteri accipiunt ſenſu; id neq; ad Papiſtas attinet, neq; fraudi debet eſſe Eccleſiis. Ipſæ enim ſunt ſuorum verborum interpretes, non autem opiniones priuatæ contentioſorum. Non igitur tam erat terribilis iſta calumnia, neq; tanto puluere digna, quàm fingunt Conciliatores Bergenſes.

Nunc autem Liber Concordiæ demum colorem addit Pontificiis, cùm iſti egregij calumniarum depulſores, Principum & Ordinum Confeſſionis Auguſtanæ teſtimonio confirment, multas inter ipſos exortas eſſe controuerſias publicas, quibus ipſi ſuam autoritatem interponere cogantur. Pulcra profectò refutatio, quæ vltrò calumniandi materiam & prætextum obiicit hoſtibus, quem priùs non habebant. Præterea pleræque controuerſiæ, quarũ deciſionem ſibi ſumunt hi Theologi, perſpicuè ab aliis explicatæ, & ſolidis refutationibus errorum ſopitæ ſunt: hoc autem Libro denuò ſuſcitantur, & ambiguitatum atq; contradictionum obſcuritate inuoluuntur magis, quàm declarantur. Nam ſi qui ſunt alicubi homines capitoſi, qui eſcis illis mucidis adhuc ſe oblectant, non magnũm poſſunt Eccleſiis calumniæ periculum creare. Controuerſiam autem veterẽ de Cœna Domini, & nouam, quam ipſi in Eccleſias inuehunt, de vbiquitate corporis Chriſti, & de reali communicatione Idiomatum, non erat iſte modus decidendi, quem ipſi fruſtrà inſtituerunt.

Norma doctrinæ publicæ, conſtitui debet communi conſilio Eccleſiarum, non vnius partis diſſentientiũ, aliis excluſis; & conſcribi per viros idoneos, non ſuſpectos fraudis, ad eam rem vocatos; non paucorum arbitrio committi tot Eccleſiarum, tot fratrũ Chriſtianorum, doctrina, virtute & pietate præſtantium, exiſtimatio, conſcientia & ſalus; vt quod omnes ſimiliter tangit, ab omnibus comprobetur. C. lib. 5. Tit. 59. L. vlt. *Liber autem Bergenſis congeſtus eſt à ſex Theologis Vbiquitariæ ſectæ, qui curationem ſibi non mandatam*

arripientes , tanquam ἀλλοτριοεπίσκοποι , deſertis ſuis , in alienas Eccleſias irrepſerunt, vt in illis res conſtabilirent ſuas, domi & foris accipientes luculenta ſtipendia & munera: qui aliquantò antè Melanthoni, ſecundùm Deum, quicquid habent boni, ſe debere fatebãtur, magiſtrum & amicum ipſum agnoſcentes & venerantes, libros eius in Scholis iuuentuti commendantes & prælegentes; qui in ſua de conſenſu Eccleſiarum Auguſtanæ Confeſſionis narratione anno LXX edita, quam ipſi veracem & conſtantem vocant, cariſſimum Dominum, Patrem & præceptorem, heroëm præſtantiſſimum, & cum Luthero concordem, Theologum excellentem & præ multis illuminatum, eum nominant; in cuius libris, præſertim Corpori doctrinæ inſertis, OMNES articulos Confeſſionis Auguſtanæ piè & rectè declaratos eſſe ibidem dicũt: Nunc verò mutatis rebus, virum illum optimè de ſe, & de tota Eccleſia meritum, turpiſſima ingratitudine conculcant & lacerant, ac tanquam Apoſtatam & falſarium Auguſtanæ Confeſſionis ſceleratiſſimum, proditorem ac peſtem, & omnium in Eccleſiis malorum autorẽ, omnibus conuitiis proſcindunt & execrantur: quorum alij monſtroſas & impias opiniones Antinomorum, & veterum hæreticorum, de Filij Dei tam diuina, quàm humana natura, etiam ſcriptis editis defenderunt; alij factionibus Oſiandri & Flacij non obſcurè fauerunt; alij paulò antè, Vbiquitatem & realem communicationem Idiomatum, publicè damnarunt, ad quam nunc defendendam, conſpirarunt cum vno Vbiquitatis Apoſtolo, homine ſophiſtico, vafro atq; audaci, qui ante Vbiquitatis defenſionem longè aliter ac iam de Cœna Domini ſcripſit: de Vbiquitate autem nunc multò aliter, quàm paulò antè; & nunc etiã de hac multis modis ipſe ſecum confligit; qui & ſocios ſuos veluti mancipia ſua contemnit, vt quibus putet ſe perſuadere poſſe, niuẽ eſſe nigrã, & ab ipſis viciſſim ſcurrilis leuitatis & πολυπραγμοσύνης locuples teſtimonium accipit, vt qui figmentis & conuitiis hoc agat vbique, vt omnibus excluſis, ſolus tandem Pontifi-

caliter regnet; qui complices ſuos, quibus coràm videri vult amicus, abſentes deformet; qui, vt gratificetur aulis, probet, quæ in libro Concordiæ improbat; qui idem velit eſſe ſyndicus, patronus, aduocatus, procurator, & iudex in cauſſa propria; cuius tanta ſit intemperies, vt à præiudiciis ſibi temperare non poſſit: Denique quorum aliqui librum Concordiæ ipſi iudicant & fatentur eſſe Centonem nouæ Theologiæ, cui quiſque partem ſuam aſſuit, qui propter repugnantiam non poſſit conſiſtere, qui ſeminarium ſit perpetuæ diſſenſionis in Eccleſia, vtpote, in quo Vbiquitatis Præco veterum ſuarum actionũ vulnera, hoc eſt, exploſa ſua dogmata, & artificia detecta, negotio Cõcordiæ admixta palliare, & Eccleſiis obtrudere ſtudeat; ac proinde in quo, non obſcurè quidam eorum oſtendunt, ſe optare aut multa mutata, aut nomen ſuum non aſſcriptum eſſe.

Nihil hîc de noſtro dicimus, ſed illorum elogia recitamus, quibus ipſi ſe inuicem, & librum ſuum ornant. Ac multò longiorem catalogum iſtorum texuerunt ipſi, in narratione Concordiæ ſuæ, hoc eſt, itinerario ſeu Apoſtolatu Vbiquitatis, ante decenniũ ad Cæſaream Maieſtatem & Ordines Auguſtanæ Confeſſionis, quæ non à nobis, ſed ab ipſorum fratribus profecta ſunt, qui iam, poſtquam vident, eos in Principum aulas irrepſiſſe, cum ipſis colludunt; nec tamen magis, quàm tum temporis illos amant, nec aliter de ipſis iudicant. Nobis enim non conuitiis, ſed argumentis; non de perſonis, quas laudare, ſi laudabilia facerent, quàm vituperare mallemus, ſed de rebus agere propoſitum, & ex officio noſtro iniunctum eſt. Non ergo delectant nos mutuæ ipſorum λοιδορίαι; *ſed cùm ſæpe etiam quæ vident homines, non ſatis perſpiciant aut conſiderent, commonefacere neceſſe habemus, viros cordatos & pios in Germania, vt cogitent qualis ſit, & qualibus fundamentis nitatur iſta ſocietas Vbiquitaria. Qui enim ſic ipſi ſibi conſtant, & ſic inter ſe ſunt Concordes, quis eos iudicabit idoneos autores Concordiæ tot Eccleſiarum?*

Fruſtrà

Fruſtrà verò conantur negare, ſe cucurriſſe non vocatos & miſſos. Teſtantur enim Principes & Ordines ſubſcripti, in præfatione Libri, quòd ab his Theologis admoniti de obrepente errore Sacramentario, & ab ipſis vltrò offerentibus ſuam operam, & iam paratam formulam Concordiæ, priuato ipſorum conſilio & arbitrio confectam, perſuaſi ſint, ad negotium iſtud Concordiæ, ſua autoritate promouendum. Notum eſt, ipſorum artibus, impetratas eſſe commendationes, ab aliis Principibus ad alios, vt ad Concordiam Eccleſiarum conſtituendam ipſi adhiberentur, & cauſſam deſperatam cum autoritate agerent. Fruſtrà igitur vocationem ſuam fictitiam & emendicatam prædicant; fruſtrà oſtentarunt ſuas patentes literas, & legationem liberam, à ſe ipſis ſibi fabricatam & procuratam. Neq; etiam de ceteris elogiis, dicas ſibi inuicem poſſunt ſcribere, vtpote quorum ſpecimen, in ſcriptis, dictis, & factis, ſatis illuſtre ſpectandum propoſuêre: præſertim quòd bellum indicunt ſine cauſſa, non hoſtibus, ſed fratribus, Eccleſiæ viſceribus, ſeq; ipſos accuſatores, teſtes, legiſlatores, & iudices in lite ſua conſtituunt; ac Principes & Magiſtratus Chriſtianos, ſuorum decretorum, ſicut Romanus Pontifex, Tridentini Concilij, exſequutores eſſe volunt.

Reſpondebunt fortaſſe nobis, ſe Paſtores eſſe gregis Dominici; nos verò eſſe lupos: ſui igitur officij eſſe, nos ab ouilibus arcere. Sed idē dicebant Chriſto & Apoſtolis, Pontifices & Sacerdotes Phariſæi & Sadducæi: idem Orthodoxis ſemper dixerūt hæretici: idem hodie nobis & ipſis dicit regnū Pontificium. Reſpondeant his aliquid, ſi poſſunt, quod non æquè nos ipſis poſſimus reſpondere. Allegant contra illos teſtimonium verbi Dei & veteris Eccleſiæ: Idem allegamus nos contra ipſos. Hoc teſtimonium à ſe ſtare contendunt Pontificij: Contendunt & ipſi. Poſtulata eſt inde ab initio reformationis, libera Synodus à Pontificiis, in qua lis decideretur; non potuit impetrari: Poſtulatur & ab iſtis; nec poteſt impetrari. Acquieſcunt ergo aduerſus Papiſtas, in teſtimonio bonæ

conſcientiæ & veritatis apertæ omnibus, qui eam cognoſcere & videre volunt: Acquieſcimus & nos in eodem. Petitur à Pontificiis, vt conſcientiarum & Confeſsionis libertate conceſſa, abſtineant à ſæuitia & perſequutione, dum pars vtraq; ſe non errare perſuaſa eſt, & nos neque à veteri Eccleſia damnatam hæreſin vllam renouamus, neq; alicuius nouæ ſumus conuicti. Quid hactenus impetratum ſit, eſt ante oculos. Petitur idem ab his noſtris: Ergo quod accuſant in Pontificiis, cauere debebant, ne in ipſis poſsit accuſari, præſertim cùm de paucioribus doctrinæ capitibus diſſentiamus ab ipſis, quàm vtriq; diſſentimus à Papiſtis, & nos ad fraternitatem Chriſtianam cum illis colendam ſemper fuerimus parati; quod fortaſſe quidam eorum nollent facere erga Pontificios. Dubitamus enim de illis, qui palàm fatentur, ſe malle ad Papiſtas redire, quàm ad nos accedere. Hoc illi ſi non conſiderant, dum nos lupos eſſe nondum demonſtrarunt; viderint, ne quam de Pontificia tyrannide ſententiam ferunt, eâdem ſeipſos condemnent.

Dicent nobis: Non eſt ſex Theologrum Liber, cui tot Illuſtriſſimorum Principum, & aliorum Ordinum Confeſsionis Auguſtanæ, cui tot millia in Eccleſiis & Scholis docentium nomina ſubſcripta ſunt. Nulla vnquam fuit Synodus Oecumenica, in qua tãtus Patrum inueniatur numerus. Ita ſanè. Et fortaſsis neq; hic opus fuiſſet tam multis, ſi adhibiti fuiſſent illi, quibus erat opus. Subſcriptionum eiuſmodi congeriem, velle obtrudere pro legitimo Eccleſiæ iudicio, eſt panem petentibus lapidem obiicere. Cognitio & diiudicatio legitima cauſſæ petitur: illi edictis Principum, & ſuffragiorum multitudine conantur inauditos obruere. Sed facilè vident, non tantùm pij, verùm & prudentes omnes, tam qui cum ipſis, quàm qui non cum ipſis ſentiunt, his minimè decidi litem, cùm intuentur modum, quo illa ſuffragia ſunt ab Vbiquitatis aſſertoribus collecta.

In iudicio Eccleſiæ publico & legitimo, cauſſa ad omnes vel

aliquas

aliquas Eccleſias pertinẽtes, à viris illarum præcipuis, & ad hoc publico conſenſu delectis, ſine præiudiciis, primùm cognoſci debent, auditis & diligenter expenſis vtrinque diſſidentium ſententiis, argumentis & reſponſionibus: Votorum debet eſſe vera libertas, nulli niſi verbo Dei ſubiecta; & communi conſenſu fieri quæſtionum propoſitarum deciſio. Quid autem eſt factum à Theologis Bergenſibus in Libri Concordiæ conſcriptione, ſuffragiorum collectione & editione? Philippum Melanthonem viuentem adoriri tanquam Sacramentarium non audebant: videbant enim ſuas ſtipulas aduerſus ignem veritatis non poſſe conſiſtere. Illo igitur viuo, quod nec tentare audebant, nec perficere poterant, id morte illius ſe conſequuturos arbitrabantur. Sed etiam hac ſpes eos fefellit. Adhuc enim autoritas & libri Melanthonis obſtabãt ipſorum conatibus. Paßim prodibant ſcripta ex reformatis Eccleſiis, & à Pontificiis, quibus falſa illorum & abſurda dogmata ſolidè refutabantur. Hîc illi cùm contrà diſputando & ſcribendo viderent ſe non poſſe conſiſtere; de Veritate per ſuffragiorum autoritatem & multitudinem opprimẽda cogitari cœptum eſt. Blandè initio & molliter tentati animi docentium in Academiis & Eccleſiis præcipuis, & exploratum, an colligi ſuffragiorũ tantus numerus poſſet, qui cum ſpe victoriæ nobis opponeretur. Suſceptus ad eam rem primus Vbiquitatis Apoſtolatus, per totam Germaniam. Exaggeratæ paßim querelæ de calumniis Papiſtarum, dictitantium, non reperiri duos Cõfeßionis Auguſtanæ concionatores, qui inter ſe conſentiant; de Eccleſiarum deformatione, de infirmorum offenſione, quæ ex illis calumniis exiſterent: Amplificata neceßitas, & pium ſtudium, illis occurrendi per conſenſus publicam teſtificationem: Sanctè promiſſum, nihil cogitari, nihil inſtitui, niſi quod ad Philippi honorem, Eccleſiarum & Scholarum ſalutem ſpectet: Dictum denique, normam illius conſenſus fore Corpus doctrinæ Saxonicum: in eius Confeßione & approbatione ſe morituros. Propoſiti ſunt primùm articuli pauci,

quorum facilior ſperabatur impetratio: Et quidem alibi ſecundùm Corpus doctrinæ, alibi aliter formati, prout vnicuique loco apti fore videbantur. Horum conceſſione obtenta, gratulationes, & fraternitatis teſtificationes fuerunt magnificæ, etiam concionibus, & ſumtione Cœnæ Domini confirmatæ. Illos conſequuta eſt appendix de Cœna Domini, aſperſa leniter Vbiquitate. Hanc repudiantibus reſponſum eſt, ea de parte cum nemine pugnatum iri: modò τὸ ῥητὸν verborũ Cœnæ retineatur. Sed curioſitas abſque vocatione aduolãs, inquirens in ſibi non cõmiſſa, & dogmatis nouitas, ſermonũ & actionum inconſtantia, offendit multos, etiam inter ſe alioqui disiunctos, & à plerisq; vtriusq; partis, primùm ſatis auſterè eſt repulſa, ſicut edita aduerſus ipſos ſcripta teſtãtur, & anno LXX *Henricopoli ab ipſis publicata narratio Germanica de Concordia ſociorũ Auguſtanæ Confeſſionis, in qua ſcribunt hæc verba de Corpore doctrinæ, quod nunc tanquam hæreticum exautorant:* OMNES articuli ſæpius dictæ Confeſſionis Auguſtanæ in ſcriptis D. Lutheri, D. Philippi Melanthonis, præſertim in illis libris, qui titulo Corporis doctrinæ coniunctim ſunt editi, ſicut & in ceteris compluribus ipſius vtilibus & egregiis ſcriptis, D Brentij, & aliorum præſtantium Theologorum, ſecundùm vniuſcuiuſque ipſi à Deo conceſſa dona & iudicium eximium, Chriſtianè & rectè ſunt declarati.

His autem illecebris & blandis captationibus, cùm nondum poſſent, quos volebant, in naſſam ſuam pellicere; ad alteram partem, oralem eſum ſine Vbiquitate defendentem, facta eſt applicatio, & cogitatum de occupandis Principum animis, vt cùm diſputando non poſſent, vi perrumperent, & magnatum autoritate muniti, approbatores inuenirent ſui dogmatis: qua in re aliquot anni conſumti ſunt. Paulatim inſuſurratum illis, diſcedi à Luthero, & ab Auguſtana Confeſſione; Corpus doctrinæ eſſe corruptum; aboleri per illud libros Lutheri: doctrina autem eorum, qui

qui petebantur, partim diſsimulata, partim calumnioſè deprauata: Concordia Lutheri cum Helueticis & Germaniæ ſuperioris Eccleſiis inita, & fundamenta totius cauſſæ Sacramentariæ, ſilentio ſepulta: Autoritas Lutheri, & fictitia Melanthonis & aliorum ab Auguſtana Confeſsione defectio, amplificata: Scripta Polemica Lutheri publicè & priuatim laudata, & inculcata, & horum prætextu dogma Vbiquitarium animis inſtillatum. Initium huius perſuaſionis factum à Principibus, autoritate & potentia antecellentibus, quorum exemplum & ductum ceteri facilè ſequuturi videbantur. Habito conuentu, ſcripta eſt formula conſenſus, in qua vicit veritas, frementibus aduerſariis, & fruſtra Lutherum ſine Scriptura allegantibus. Acriùs ergo vrgeri cœptum. Qui caput mali ſunt, diu per cuniculos, & per alios egerunt, Tundendo & obtundendo, & Sinoniis artibus, tandem perſuaſa Principibus pericula, quæ imminerent, niſi maturè occurreretur: perfectum, vt ipſi aditu inuento audirentur.

His machinationibus, vbi ſeptimo demum anno parta fuerũt Principum patrocinia, non iam vetus illa modeſtia & manſuetudo, ſed noua confidentia, & diu occultatum virus non obſcurè ſe exeruit. A quindecim Theologis, excluſis iis, qui erant ſuſpecti, conſcripti articuli de corporali præſentia Chriſti. Etiam hi non placuerunt; quia in illis coniungebatur adhuc Philippus cum Luthero, non damnabatur Corpus doctrinæ, non ſatis expreſſa erat Vbiquitas corporis Chriſti. Itaque his repudiatis, alij conuentus habiti, nouum doctrinæ Corpus conditum, noua conſenſionis formula ſcripta, paucorum arbitrio, in qua dogma Vbiquitarium ex profeſſo poſitum, & in Canonem doctrinæ Eccleſiaſticæ relatũ. His ceteri iuſsi ſubſcribere, ſine vlla diſputatione, aut exceptione. Aduerſantes & recuſantes ſubſcribere, tanquam res nouas molientes, non tantùm in Eccleſia, ſed etiam in Repub. calumniis oppreſsi, non auditi, non refutati, non collatis ſententiis, indicta cauſſa, à ſuis accuſatoribus condemnati ad proſcriptiones & car-

cares: Ibi cum illis actum de ſubſcriptione, non rationibus, ſed promiſſionibus & minis: Dictum palàm ab iſtorum ſociis, omni ratione cauendum eſſe, ne res ad diſputationem veniret; Si enim accuſatis poteſtas diſputandi, & ſe defendendi fieret, actum eſſe de ſua cauſſa. Propoſitæ quæſtiones inquiſitoriæ, ad quas reſponderi iubebatur ſimplici affirmatione aut negatione; qui non reſpōderet ſecundùm Vbiquitatem, dictum ac factum; Sacramētarius proclamatus: Anathema, qui diſputaret; quia Lutherus diſputârit ſatis. Miſſa deinceps noua formula Concordiæ ad alios Confeſſionis Auguſtanæ Ordines: Petita ſpecioſis rationibus libri cenſura & approbatio. Cùm plerique ſubſcriptionem multis & iuſtis de cauſſis recuſarent, & grauiſſimas Eccleſiarum controuerſias alio modo tractandas & diiudicandas cenſerent, nec non alij alia in Libro deſiderata indicarent, delecti Vbiquitariæ ſectæ Coryphæi arbitrio, ſex Theologi, qui ex formula Torgēſi confecerunt Bergenſem, addentes, dementes, mutantes, ex cenſuris aſſumentes & prætereuntes, ad cauſſam ſuam ornandam, quæ ipſis placuêre.

Indicarunt optimi & Illuſtriſſimi Principes, Librum à Theologis hoc modo confectum, non eſſe publicandum, niſi priùs examinatum & approbatum in libera & generali Synodo, in qua etiam diſſentientes à Libro audirentur. Hîc verò Bergenſes Theologi, vires & artes ſuas omnes adhibuerunt, vt Principes ab iſto conſilio auerterent. Cauſſam dehortationis à Synodo, hanc palàm dixerunt, quia viderent, Librum tam multis non tantùm doctoribus Eccleſiarum, ſed etiam Principibus, & aliis Ordinibus improbari; vt ſi ad Synodum liberam veniretur, de eius ſubſcriptione & publicatione parum eſſet ſperandum. Aliud autem conſilium huic oppoſuerunt, nimirum, ſubſcriptionem ſigillatim ab Ordinibus Auguſtanæ Confeſſionis eſſe per epiſtolas petendam: Hæc autem, vt eliceretur, petendam eſſe ordine à Theologis nominatim præſcripto; primùm videlicet ab iis, quos librum probare

& ſubſcribere paratos eſſe, ex eorum cenſuris non eſſet dubium, & quorum autoritatem ceteri non detrectaturi viderentur; atq; ita deinceps à maioribus ad minores progrediendum; reſeruatis ad extremum iis, de quibus perſuadendis dubitabatur; excluſis & prateritis, de quibus deſperabatur: Recuſantibus autem ſubſcribere, proponendum eſſe conſenſum eorum Ordinum, qui iam ſubſcripſiſſent, adiuncta confutatione rationum, quibus illi ſubſcriptionem detrectarent. Ne quid autem in diſsimilitudine ſubſcriptionum pateret deinceps cuiquam effugij, ſeueriter huc adigendos omnes Theologos, vt ſine vlla exceptione vel declaratione, ſolùm nomina ſua & locorum, in quibus ſeruiunt, ſubſcribant. In horum porrò eundem, quem in Principum & Ordinum ſubſcriptionibus, ordinem ſeruandum; vt primùm iubeantur ſubſcribere Theologi Doctores in Academiis & Conſiſtoriis, deinde in ſingulis diœceſibus Superintendentes; tum demum Paſtores, & miniſtri reliqui Eccleſiarum & ſcholarum, ſinguli nominatim: Atq; has ſubſcriptiones Libro Concordiæ eſſe annectendas, vt quæ non parum ad dogmata Libri hominibus perſuadenda, & ad refutandã Papiſticam de Eccleſiarũ Schiſmatibus calumniã, momenti eſſent allaturæ: In ciuitatibus Imperialibus & liberis, ne quis miniſtrorum poſsit principium ſubſcriptionis detrectare, non ſingulis, ſed ſimul omnibus à magiſtratu mandandam eſſe ſubſcriptionem: His demum confectis, ad reſtitantes mittendam recuſationis ipſorum refutationem, & poſtulandam ab illis ſubſcriptionem; ſi perſtent in ſentẽtia, nihilominus in cœpto progrediendum: Sic enim illos non habituros, quod de vſitata & iuſta Eccleſiæ libertate per ſuffragiorum pluralitatem ſibi ademta, & de neglectis aut non refutatis ſuis ſententiis, poſsint conqueri: His ſubſcriptionibus omnium non impetratis, nihil in Synodo proponi poſſe: illis autem extantibus, iam obtentum fore, quod in Synodo quærendum eſſet: Hiſtoriam Eccleſiæ teſtari, plerunq; ex Synodis maiores diſtractiones eſſe conſequutas: Vt autẽ

deinceps non liceat cuiuis mouere quaſtiones de Religione, Principum fore officium, hanc Concordiam exſequi, & ſeueriter tueri: Hanc voluntatem Principum, ipſorum nomine ſcripta præfationi inſerendam: libros his ſuperioribus annis editos, dogmatibus Libri Concordiæ aduerſantes, publico ſcripto damnandos, & ſimilibus deinceps officinas Typographicas claudendas eſſe.

Hoc conſilium vrgentibus Theologis, nihilominus aliqui Principes perſtiterunt in ſententia, de Synodo generali conuocanda: Theologi rurſus inſtiterunt, poſtulandam ſeorſum à ſingulis eſſe ſubſcriptionem ſine exceptione aut conditione vlla: Si autem omnino poſtularetur Synodus; eam exſequutionis cauſſa hoc modo inſtituendam eſſe, vt mitterentur ab Electoribus & Principibus, terni aut bini Theologi, & totidem Politici; à ciuitatibus præcipuis ſinguli Theologi ſine Politicis: horum decretum ceteros vel coactos ſequuturos. Theologos autem illos mittendos, qui libenter ſint ſubſcripturi, à Theologis Bergenſibus nominandos: Hos mittendos eſſe abſq; omni inſtructione præter Biblia, & ſuam cõſcientiam, cum plenaria poteſtate ſubſcribendi, etiam contra ſuorum magiſtratuum & collegarum voluntatem: Politicorum officium hoc duntaxat eſſe debere, vt caueant, ne Theologi diſſentiant, ſed intra limites Concordiæ ſe contineant; eosq; ad ſubſcribendum tanquam ἐργοδιῶκται adhortentur: Quòd ſi omnino aliqui ne tum quidem vellent ſubſcribere, reliquos ad ſubſcriptionem & publicationem Libri, tamen progredi oportere.

Conſiliũ Theologorum de forma Synodi.

Sed cùm hæc Synodi forma non probaretur, perſuaſerunt Theologi Principibus, vt ſecundùm Decretum Bergenſe, res perageretur. Petitum ergo eſt, vt ſaltem aliqua corrigerentur & mutarentur in Libro, quibus ſubſcribere eſſet graue. Proteſtati ſunt ſex Theologi, ſe ne minimam Libri partem mutaturos, ac ne de verbo quidem vno ceſſuros: nec tantùm Theologis & Miniſtris, ſed etiam Principibus, omnem vlterioris cenſuræ aut mutationis poteſtatem negarunt, vtcunq; illi nec pauca nec leuia in libro deſiderarent:

derarent: Imò rationes afferentibus, quare dogmata libri probare non poſſent, reſpõderunt, ſe non diſcendi, ſed docendi cauſſa veniſſe. Aliqui Principes hac de cauſſa Librum repudiarunt, aliqui ſuas cenſuras, in Libri correctione, præteritas & omiſſas adhuc queruntur, & non ſatis æquo animo ferunt. Quin etiam dum iſta ſic geruntur, ex ipſis Libri concinnatoribus, alij in vniuerſum editionem Libri diſſuaſerunt, alij de ea penè deſperarunt, alij ſiue conſcientia ſtimulante, ſiue metu de rerum ſucceſſu, ceteros monuerunt, à plurimis non probari, quòd res tanta, & ad omnes Eccleſias attinens, tam paucis hominibus committeretur, ſine communi Synodo: Subſcriptio ſimplex ab iis poſtularetur, qui deliberationi & decreto faciẽdo non interfuiſſent: In ipſo etiam Libro eſſe, quæ emendationem vel additionem requirerent: dogmata quædam & anathematiſmos, pugnare cum ceteris libris Normæ: imò & in illis ipſis confirmari Tranſſubſtãtiationem, & alia, quæ in declaratione damnantur: Condemnationem omittendam: Philippi mentionem honeſtam faciendam.

His omnibus nihil moti, perrexerunt in collectione ſuffragiorum. Conuocati ſunt per diœceſes, Eccleſiarum & ſcholarum miniſtri: properanter illis prælectus Liber: A Theologis autoribus Libri, nomine Principum imperata ſubſcriptio. Additæ hortationes ſpecioſæ, ne quis dicat aut faciat quicquam ex affectu, aut contra conſcientiam; cum hac tamen correctione, tam diligenter, & accuratè & ſæpe ſingula Libri verba, à ſe examinata trutina monetaria, & pectine textorio, & ſtylo Spiritus ſancti ſic exarata eſſe, vt nullius conſcientia hac ſubſcriptione lædi poſſit: Et ſimiles ſubſcriptiones iam fieri in toto Imperio: nominatim etiam in multis Eccleſiis celebribus; quæ ne nunc quidem ſubſcribere decreuerunt; & quarum cenſuræ cupientibus eas videre, denegatæ ſunt: Promiſſum quidẽ liberaliter, ſi quis haberet aliquid ſcrupuli, amanter illum, & quãtum ſatis eſſet, auditum & eruditum iri: Cogendum eſſe neminem: ſed cùm quidam petiuerunt, ſaltem

Libri copiam ſibi fieri, vt eum in prælectione non ſatis intellectũ poſſent relegere, promiſſus illis Liber; nunquam datus eſt; ipſi autem paulò pòſt locis ſuis moti. Etiam qui ſubſcripſerunt cum conditione liberæ conſcientiæ, ſi qua deinde illis occurreret in Libri conſideratione dubitatio; moti ſuis locis. Cùm in cœtu à quibuſdam in dubium vocata eſt ſubſcriptio, quorum ſententiis auditis & alÿ mouebantur, ſinguli deinceps ſeorſum ad ſubſcribendum ſunt accerſiti. Sed ne ſic quidem effugere Theologi potuerunt, quin multa & magna grauamina multi ipſis obiicerent, præſertim quòd ſubſcribere iuberentur libro nunquam perlecto. Vituperarunt hunc agendi in re tanta modum, tanquam nouum & iniuſtum, etiam viri Politici. Sed illis reſponſum à Theologis, ſic velle Principes; illos interrogent, quare ſic velint; illos reſponſuros: Si Librum inter prælegendum non ſatis intellexiſſent, at ſpectarent ipſos, vt qui nihil non rectum ſcripſerint: ſicut de audita concione, ſic etiam de Libro ex prælectione, ipſos iudicare poſſe. Obiectum fuit illis, ſuſpectum eſſe non immeritò, quòd nulla in Libro fieret mentio Philippi & Scriptorum eius: Reſponſum ab illis eſt; Philippum quidẽ ſtudiis Philoſophicis & literariis multùm profuiſſe, ſed ſecus eſſe in Theologicis: Sic Salomonem ſcripſiſſe multa Spiritu Prophetico, & tamen in ſenecta prolapſum in idololatriam, vt ſalus ipſius in dubio ſit. Apud alios tamen, encomiis etiam Philippi recitatis negarunt, illius ſcripta ſe reiicere; eius autem mentionem in Libro non fieri, eò quòd à multis nimium ipſius autoritati tributum fuerit; neq; hanc eſſe iniuriam, cùm ne Brentÿ quidem meminerint, qui longè melius quàm Philippus meritus ſit de Eccleſia; Lutheri autem ideò ſe meminiſſe, quia ſit præcipuus Doctor Auguſtanæ Confeſsionis, & quia ab illo, ipſi & omnes ſynceri Eccleſiæ doctores nominent ſe Lutheranos; Siue tamen Philippus ſiue Brentius ſiue Lutherus, aliquid normæ Bergenſi contrarium ſcripſiſſet, hoc eſſe reiiciendum. Obiectum; miniſtros priùs Corpori doctrinæ ſubſcripſiſſe, quod nondũ

ſit publicè retractatum, aut refutatum; non ergo ſe poſſe conſciē-tia & honore ſaluo, hac ſubſcriptione ab illo deficere: Reſponſum; Corpus Doctrinæ obtruſum fuiſſe Eccleſiis, inſciis Principibus; & hoc per illud eſſe quæſitum, vt libri Lutheri remouerentur ex Eccleſiis & Scholis: Etiam ex ipſis Theologis Bergenſibus eſſe ali-quos, qui exiſtimarint, ſe non errare; qui tamen iam victi conceſ-ſerint in aliam ſententiam, publicè damnato Corpore doctrinæ: Id quod illi ipſorum belli fraterculi, quaſi iurati teſtes, alibi ſilen-tio, alibi confeſſione ſua confirmarunt. Obiectum; Prius ſe coa-ctos ſubſcripſiſſe articulis Torgenſibus; his Librum Bergenſem aduerſari; graue igitur ſibi eſſe, toties ſubſcribere contradictoriis doctrinæ formulis: Reſponſum; Torgenſes ſubſcriptiones eſſe irritas, quia articuli illi non fuerint rectè conſcripti: Se igitur ipſos nomine Principũ abſoluere ab omnibus prius factis ſubſcri-ptionibus. Obiectum; Ipſos quoq; Theologos anteà probaſſe Cor-pus doctrinæ, & confeſſos eſſe, omnes articulos doctrinæ rectè in eo explicari: ſicut ipſi ſcribũt in Itinerario ſuo, ſeq; cōſenſiſſe cum Theologis VVitēbergenſibus, ſecũdùm Corpus doctrinæ, teſtatur: Reſponſum; etiam ipſum Philippum ſubieciſſe ſcripta ſua iudicio Eccleſiæ. Obiectum; illos prius confeſſos eſſe, non tantùm voce, ſed etiam in eodem Itinerario ſuo, anno LXX *edito, vbi Deum teſtantur, quòd in Saxonia vbiq; puram & conſentientē doctri-nam inuenerint; ab ea cùm non ſit diſceſſum, quare nũc mutetur; Ne quidem reſponſo hoc dignati ſunt. Obiectum; diſcedi à veteri-bus decretis Principum, factis Frācofurti, Naumburgi; Reſpon-ſum; illa non aboleri. Obiectum; Librum Bergenſem eſſe no-uam Confeſſionem; Reſponſum; Normam conſtitui exemplar Confeſſionis oblatum Carolo Imperatori; non ergo eſſe nouam Cō-feſſionem. Obiectum; grauem eſſe condemnationem tot Eccleſia-rum exterarũ; Reſponſum; Non homines, ſed dogmata condēnari. Quibus perſuadere ſubſcriptionem non potuerunt, eos hortati ſunt, vt ſaltem ſubſcribant, manentes in priſtina ſua ſententia;*

N ij b.
E iij a.

fraudulentis verborum captationibus eos irretire; à ſe inuicem disiungere omni ratione tentauerunt. Si qui contra Librum & ſubſcriptionem hiſcerent, Sacramentarij proclamati, calumniis atrocibus proſciſsi & obruti ſunt. Principibus perſuaſum à Theologis, quicunque recuſarent huic Libro ſubſcribere, eos tanquam homines ſuſpectæ fidei cauendos eſſe. Hæc & ſimilia in diuerſis locis acta ſunt; alibi per Theologos dogmati Vbiquitario fauentes, alibi per Magiſtratus, vt ſuos ad ſubſcriptionem cogerent, perſuaſos; alibi Theologorum technis, alibi autoritate & gratia Principum, alibi populo aduerſus Magiſtratum incitato, alibi incuſſo metu inuidiæ, alienationis animorum à ſe, excluſionis ex pace Religionis. Acriùs ſecundò atque tertiò recuſantibus dictum eſt, non aboleri Corpus doctrinæ; priuatim eis permiſſum, vt ſubſcriberent hac annexa conditione, Quatenus formula Bergenſis cum Corpore conſentit: coram teſtibus autem, obiicientibus conditiones, quibus cum ſubſcripſerant, reſponſum; eos ſubſcripſiſſe ſimpliciter; & in editione Libri, conditiones omnes omiſſæ, nominibus ſolis in catalogum relatis: at nec omiſſa nec mitigata formula obligationis conſcientiarum, ad finem libri annexa, quam ſine illis conditionibus multi non fuerant acceptaturi: Sparſi ſermones minaces, ſi qui perſtarent in recuſatione, remouendos, aut ſi vltrò dimiſsionem peterent, areſto detinendos, Muſæa & ſcrinia perſcrutanda eſſe.

De his iniuriis Theologorum queruntur multis in locis honeſti viri, Miniſtri Eccleſiarum, & propterea ſubſcriptiones ſuas, tanquam per fraudem extortas, retractant, palàm profitentes, ſe non ſecundùm nouum, ſed ſecundùm vetus doctrinæ Corpus, & iam ſentire, & deinceps docturos, ſicut antehac, ſuas Eccleſias; neque aliud ſe promiſiſſe. Quibuſdam perſuaſum, vt non formulæ Concordiæ, & huic annexæ obligationi, ſed tantùm libris ei præfixis ſubſcriberent. De exemplarium noui corporis Bergenſis diſsimilitudine, non pauci ſummi & infimi conquerũtur. Magna pars

parſ ſociorum Auguſtanæ Confeßionis, tam Principum & aliorũ Ordinum, quàm docentium Eccleſias & Scholas, conſtanter etiamnum ſubſcriptionem recuſant, non tantùm de quibus Theologi dubitabant, aut deſperabant; ſed etiam, de quibus omnia certa ſibi pollicebantur: Et tamen illi Principum & Ordinum parti, quæ ſubſcripſit, perſuaſerunt, vt Librum publicarent, freti ſcilicet, & ſuas cupiditates explendi cauſſa abutentes Illuſtriß. Principum edictis & autoritate, & multitudine nominum præſcriptorum & ſubſcriptorum Libro. Nam contemtis diſſuadentium editionem iudiciis, ita prætexunt nomen miſſæ ad illos refutationis, ſicut ſeruilibus ſuffragiis prætendunt nomen conceſſæ libertatis. De Papiſtis cõqueritur præfatio Apologiæ Auguſtanæ, quòd poſt Sophiſticam confutationem Confeßionis recitatam, illi oppoſitam Apologiam Cæſarea Maieſtas non receperit; poſtea verò editum ſit decretum, in quo gloriabantur aduerſarij, ſe Confeßionem ex Scripturis confutaſſe. Similis planè eſt confutatio Theologorum, qui veris argumentis, oppoſuerunt fumos Sophiſticos verborum, & quid altera pars ad hos reſponderet, nec audientes nec curantes, in inſtituto perrexerunt, ac ſi diſſentientes eſſent aſſenſi aut refutati. Sic facilè tota Biblia refutauerint. At vera & ſolida confutatio eſt, quæ non tantùm argumenta, ſed eorum quoque defenſiones, firmis rationibus euertit. Sic à nobis confutata ſunt & confutantur ipſorum Sophiſmata.

Hæc eſt via, qua noui iſti Dioſcori, irrepſerunt in Eccleſias, & Scholas, ſicut vulpes, vt eas vaſtarent, ſicut apri: Hic agendi modus, hoc aucupium fuit, quo Theologi Bergenſes collegerunt, & Librum ſuum, & eius ſubſcriptiones, & in lucem hunc montium partum ediderant. Nihil narramus, quod non ſit actum, vel publicè vel multis teſtibus, quod non in tota Germania notorium ſit, & à nobis etiam in doctrina diſſentientium teſtimoniis confirmetur: ac tantùm breuißimè capita attingimus, ex multorum annorum hiſtoria, quam ſi integram leget poſteritas, ha-

bebit quod miretur, quod exſecretur, & quod caueat.

Etſi autem ingenia callida & Sophiſtica nihil tam inconueniens dicere aut facere poſſunt, cuius excuſationem & titulum ſpecioſum non inueniant: tamen ex hac rerum geſtarum Epitome, omnes boni & prudentes facilè intelligent, quàm procul in his actionibus ab omni iure & æquitate, à præſcripto verbi Diuini, à dilectione Chriſtiana, à more Apoſtolico & Eccleſiaſtico, Theologi iſti receſſerint. Vnus Vbiquitatis Præco, quem ipſius ſocij, omnes Principes & Ordines, omnes denique homines, qui de his rebus audiuerunt, ſciunt & fatentur eſſe totius negotij Cōcordiæ directorem & caput, autorem & fabrum; hæc omnia commouit, egit, gubernauit; & cum paucis ſuis complicibus, grauiſſimarum cauſſarum, ad omnes orbis Chriſtiani Eccleſias pertinentium, tractationem & deciſionem; regulæ omnibus Eccleſiis ſequendæ, præſcriptionem; deq; tot Chriſtianorum hominum fama & ſalute, ſententiam ferendi, poteſtatem ſibi arrogauit. Hi doctrinam, quam teſtimoniis diuinis refutare nequibant, vi & fraude opprimere ſunt conati. Si enim tantos errores, quantos prædicant, animaduerterunt; palàm iſti erant arguendi & refutandi coram Eccleſia; ſiſtendi accuſatores & rei apud legitimos Iudices; rei audiendi, admittendi ad defenſionem, & erroris conuincendi. Sic ſi fuiſſet actum, fructus rediiſſet ad Eccleſiam, quæ videns erroris demonſtrationem, vltrò ſibi ab illo cauiſſet. Nihil horum fecerunt iſti Theologi; ſed per inſidias & ſimulationem conſenſus & amicitiæ, tentarunt illaqueare non probantes ipſorum dogmata: Falſis rationibus & accuſationibus circumuenerunt, & ſibi conciliarunt Principes, vt illorum autoritatis abuſu deiicerent, quos diſputando ſuſtinere non valebant, & ſibi cōpararent ſuffragatores, quorum numero priùs oppreſſis aduerſariis, veritatem, nullo defendente, ſine diſputationis labore, impunè condemnarent. Facilius eſt quidem, vincere carceribus, proſcriptionibus & exiliis, quàm argumentis: ſed hoc pacto non tollitur

litur ſuſpicio malæ cauſſæ ex animis, neq; inquietudo ex conſcientiis, hæc audientium & ſpectantium. Non enim ſic vult agi bona cauſſa. Quis dedit hanc autoritatem his ſex Theologis, vt nouam ſentiendi & loquendi formulam præſcriberent omnibus Eccleſiis? vt ex cenſuris aliorum eligerent & præterirent quas ipſis libéret? Quis non videat, quàm ſit nullius coloris hic prætextus; librum eſſe ſubiectum & approbatum aliorum iudiciis; ipſis ſolis vſurpantibus ſibi ius admittendi aut reiiciendi, addendi, demēdi, mutandi quæ vellent, & librū ſuo arbitrio adornatum & mutatum, cōtra plurimorum voluntatem extrudentibus, nulla ratione habita, quas vel ipſorum vel aliorum mutationes, ceteri probarent aut improbarent, & poſt ſuam correctionem, omnibus aliis omni cenſuræ poteſtate ademta? Hac de cauſſa priùs diximus, non eſſe facile, extra communem doctorum conuentum, communem formulam Confeſſionis condere.

Theologorum erat hortari Principes ad conuocandum viros pios, moderatos & doctos, qui cauſſas vtrinq; coràm explicarēt & conferrent, & quid ſuo & aliorum intelligentium iudicio, Dei verbo conſentaneum deprehendiſſent, Eccleſiis exponerent. Nihil eſt ergo ab ipſorum officio magis alienum, quàm optimorum Principum vltrò ad hanc rem ſuas operas offerentium, laudabile conſilium impedire. Non poterant Theologi, malæ cauſſæ & malæ conſcientiæ, maius argumentum edere, quàm quòd lucem & ſententiarum excuſsionem fugientes, cauſſam ſuam non diuinis oraculis, ſed magiſtratuum edictis defendunt. Mirum eſt autem iſtos Confeſsionis Auguſtanæ cuſtodes vnicos, adeò non meminiſſe, Confeſsionis ſocios in ſua ad Carolum Imperatorem præfatione, ad Concilium generale & liberum, non modò ſe promtiſsimè offerre, ſed etiam ad illud, tanquam in maxima & grauiſsima cauſſa, conſtanter prouocare & appellare. Neq; ſanè vel hodie, ſi verè liberi conuentus poteſtas fieret, is piè aut honeſtè à reformatis Eccleſiis recuſari poſſet. Quid autem eſt abſurdius, quàm

prouocare ad Synodum cum profeſſis hoſtibus, & detrectare conuentum Eccleſiarum, Confeſſionem, excepto articulo Cœnæ Domini, eandem amplectentium? Nam lis de Vbiquitate, nobis non eſt cum Eccleſiis Auguſtanam Confeſſionem profitentibus, ſed cum paucis inquietis & Sophiſticis Theologis, & turba ſine iudicio ex illis pendentium concionatorum.

Habebant Apoſtoli etiam ſoli, autoritatem pronuntiandi de controuerſiis ortis in Eccleſia, & obligabantur diuinitus omnes homines, ad acquieſcendum ipſorum reſponſis citra omnem exceptionem: Et tamen ad conſcientias magis pacandas, ad res controuerſas magis explicandas, ad prætextus & querelas omnes adimendas aduerſariis, non puduit ipſos adhibere cœtum aliorum miniſtrorum & fratrum ex Eccleſiis congregatum, eorumq́ue iudicia; diſſentientes audire, & multam cum illis diſceptationem habere, vt refutatis abunde ipſorum argumentis, decretum commune & explicatum proponeretur populo Chriſtiano. Volebant Apoſtoli & Chriſtus ipſe, conferri ſuam doctrinam cum Scriptura Prophetica. Quæ eſt igitur Theologorum arrogantia, qui audent poſtulare, ab hominibus ſibi tantum tribui, vt etiam nondum cognitis & intellectis, nedum exploratis & ſecundùm Apoſtolica præcepta probatis ipſorum dogmatibus & verbis ſubſcribant, confiſi ſcilicet, quòd nihil ſcriptũ ſit ab ipſis perperam; quaſi non eſſent homines, qui errare & labi poſſint? Nimirum id quod diximus, abunde factis ſuis comprobant, ſe propterea tam vehementer contendere, Lutherum eſſe Prophetam, & tertium Eliã, vt ſe faciant Eliſæos, quorum etiam verba, calamo Spiritus ſancti exarata ſint. Non ſic agebat vetus Eccleſia, ne quidem aduerſus maximè blaſphemos hæreticos. Romanorum autem Pontificum conſuetudo eſt, arrogare ſibi ius condendi articulos fidei, & leges obligantes conſcientias hominum coram Deo, & nolentes hæc decreta probare, ferire anathemate, cogere vi corporali, Imperatores & Reges habere pro ſuis lictoribus, quibus mandent

ſuorum

ſuorum anathematum exſequutionem. Indigna Theologis oratio eſt; Synodum cauendam eſſe, propter diſſenſiones ab ipſorum doctrina. Atqui ſi nulla eſſet diſſenſio, quorſum opus eſſet Synodo? Sed hinc iſtæ ſunt lacrymæ, quòd Synodum eiuſmodi vellet, qualem Principibus præſcripſerunt, in qua ipſi eſſent accuſatores, ipſi Iudices, ipſi facerent & ſaltarent & ſpectarent ſuam fabulam, & ipſi ſibi planſum darent; in qua hoſtem nunquam viſum, è longinquo quaſi funda cæderent, & ſic ſine prælio ſibi triumphum decernerent; abſentes & nunquam auditos, nedum refutatos, vel præiudiciis & factioſis ſuffragiis oppreſſos, autoritate Pontificali condemnarent; in qua aut nemo vellet, aut nemo auderet illis cõtradicere, niſi qui condemnari velit hæreſeos; ad quam nulli admitterentur, niſi ab ipſis delecti, qui facta priùs inter ſe conſpiratione, non ad facienda poſt ſententias collatas decreta, ſed ad ſua προβουλεύματα *domo allata, promulganda conuenirent; atque adeo, in qua Synodo quicquid ſtatuiſſet Vbiquitatis Dictator cum ſuo pedaneo Senatu, id omnes Principes & Magiſtratus ſuis edictis, carceribus & gladiis exſequerentur. Oſtendat hic nobis, ſi quis poteſt, vel Lynceus, diſcrimen inter huiuſmodi Synodum & Tridentinam. Quænam cauſſa eſt alia, niſi hæc ipſa forma Synodi, propter quam dicimus, Concilia Pontificum eſſe conciliabula coniuratorum, ex quibus nihil ſalutare proficiſci poteſt? & propter quam ad ea venire hactenus, omnes Euangelium amplexi detrectarunt? Non eſt ergo Liber Concordiæ publicum Eccleſiæ iudicium & conſenſus, ſed paucorum factioſorum hominum ſyncretiſmus, factus contra omnium Eccleſiarum iudicium, in omnium præiudicium; ac proinde non alio loco, quàm ceteri Vbiquitariorum libri, habendus.*

Extat Lex Imperatoria de accuſationibus iniuſtis coërcendis: Accuſatorum temeritas, tribus modis detegitur, & tribus pœnis ſubiicitur; aut enim calumniãtur, aut prçuaricãtur, aut tergiuerſantur. Calũniari, eſt falſa crimina intendere; Digeſt. ad Senatus Cos. Turpill. l. 1.

præuaricari,vera crimina abſcondere;tergiuerſari, in vni-
uerſum ab accuſatione deſiſtere. *Bergenſes autem Theologi,*
non vno,ſed omnibus his modis, accuſatores temerarij,& iudi-
cum patientia indigni ſunt. Satisné ſtrenuè nos calumnientur,
ſuprà eſt à nobis oſtenſum. Dum autem toties in libro ſuo ſecū con-
fligunt, & ſuis telis ſe conficiunt; imò dum ſua reali cōmunione
Idiomatum,ac teſtimoniorum Scripturæ de æterna Deitate Chri-
ſti,deprauatione,Neſtorio, Eutychi & Ario feneſtram aperiunt;
an non manifeſtè ſatis præuaricantur? Dum Synodum liberam,
& cauſſæ ſuæ defenſionem in legitimo Eccleſiæ iudicio,defugiunt,
& ſuæ in nos actionis principium à condemnatione et exſequutio-
ne faciunt; an nō tergiuerſantur? Iterum ergo dicimus, librum
Bergenſem, & omnes noſtræ doctrinæ accuſationes & conde-
mnationes ab aduerſarijs factas, ne ſpeciem quidem aut colorem
iuris vllum tueri poſſe.

Neq; etiam ſunt ſubſcriptiones iſtæ,quas nobis pro Synodi iu-
dicio ſubſtituunt, communis,meditata, & libera vox Eccleſiæ.
**Minimè enim Theologici eſt artificij,per fraudes & calumnias*
deceptis, & ſibi conciliatis potentiorum & ſuperiorum animis,
eorum autoritate ceteros perculſos, velle ad ſubſcribendum adi-
gere. Non certè ab Orthodoxa Eccleſia, ſed ab hæreticis homini-
bus,ratio hæc olim vſurpata fuit, vt ab Arianis apud Valentem,
ab Eutychianis apud Theodoſium ſecundum. Sic enim Eleuſius
Soc. lib. 4. capite 6. *Cyzicenus Epiſcopus, coactus eſt à Valente ſubſcribere dogmati*
Ariano,territus comminatione exilij & publicationis bonorum:
qua de re conqueſtus Eccleſiæ ſuæ,petiuit alium Epiſcopum ſur-
rogari ſibi,tanquam indigno qui deinceps miniſterio fungeretur.
Theo. lib. 4. cap. 22. *Sic Lucius Arianus inuaſit Epiſcopatum Alexandrinum, non*
Presbyterorum,non Eccleſiarum ſuffragijs,ſed Imp. Valentis fa-
uore,largitionibus, pollicitationibus honorum & opū,& militū
cohortibus in Eccleſiam irrumpens,anteceſſorē ſuum Petrū expel
lib. 2. *lens,& Arianū dogma introducens. Et Seuerus Sulpitius ſcribit;*
Arianis

Arianis facilè fuiſſe quidlibet audere & agere, regis amicitia ſubnixis, quem ſibi prauis adulationibus deuinxerant, perfidiamq́; ſuam occultabant, nihil ſibi prius rati, quàm vt Athanaſiũ (ſicut nunc iſti Melanthonem) Eccleſia mouerent, qui muri inſtar ſe eis ſemper oppoſuerat. Sic indicta eſt ſecunda Synodus Epheſina, fraude Eutychianorum, abutentium bonitate Theodoſii, in qua Iudices armatis militibus ſepti fuerunt, & confirmata eſt Eutychis opinio factione Dioſcori Epiſcopi Alexandrini; Flauianus Epiſcopus Conſtantinopolitanus, rectè ſentiens, ſic percuſſus, & calcibus ex conſeſſu expulſus, vt triduo pòſt mortuus ſit; quem mortuum etiam Dioſcorus calcauit pedibus, quemadmodum & nunc facit; Theodoreto Cyrenſi, cuius extant ſcripta erudita & Orthodoxa, poſtquam octingentis Eccleſiis annos XXVI *cum laude præfuerat, dignitas Epiſcopalis ademta; & omnia ſic acta ſunt, vt Synodus illa nominata ſit* λῃστρικὴ, *ac multi, quorũ vi vel fraude extorta fuerunt ſuffragia, deinceps teſtati ſint conſcientiæ vulnera, deteſtãtes captiuæ manus impiam ſubſcriptionem. Sic autẽ vbi fit; vbi à Magiſtratu vel inuitis imperatur ſubſcriptio, vbi contra eam mutientibus, certæ calumniæ, carceres & exilia parata ſunt; vbi minis, promiſſis, factionibus agitur; ſúntne libera ſuffragia? Vbi nulla diſſentientium intercedit collatio; vbi ſolidis argumentis opponitur ſemel ſophiſtica reſponſionis ſpecies; poſtea præciſa actione, proceditur ad publicationem & exſequutionem decretorum vnius partis; éſtne iuſtum cauſſarum examen? Vbi dogmatibus & rationibus, rebus & verbis non intellectis, iubetur ſubſcribi; ſúntne ſuffragia meditata? Vbi illorum, ad quos ex æquo cauſſa pertinet, pluribus repugnantibus quàm aſſentientibus, pars vna ad deciſionem prorumpit; ſúntne vota communia & congruentia? Omnibus his vitiis manifeſtè obnoxiæ ſunt ſubſcriptiones Bergenſes. Flagitata ſunt ſuffragia, non qualia iuſſi, ſed qualia iubentes vellent ferri, hoc eſt, librum Theologorum approbantia ſimpliciter, nunquam audita parte*

Chronic. lib. 3.

altera: Hæc partim à complicibus lata ſunt, partim extorta à coactis & territis autoritate, imperiis & minis aulicis, partim à circumuentis vanitate promiſſorum, & diſſimulationum inſidiis, partim à turba miſera hominum imperitorum, & iudicare de rebus magnis & variè implicatis, propter inſcitiam non valentium, partim ab incautis & iudicia præcipitare compulſis, partim ab iis, qui librum neque viderunt neque audiuerunt vnquã, partim qui ſemel prælegi auditum non intellexerunt, partim qui nunquam conſiderarunt eius neq; dogmata neq; verba. Nequaquam igitur eſt verum, quod gloriantur Theologi, & perſuadent Principibus, qui actiones ipſorum non inſpexerunt, Omnes Eccleſiarum doctores & miniſtros, lætis animis & ex pectore Deo gratias agentes, liberè & bene meditatos, librum acceptaſſe, approbaſſe & ei ſubſcripſiſſe. Teſtatur præfatio Apologiæ & ipſi Theologi in ſua hiſtoria Confeſſionis Auguſtanæ, ſocios illius Ordines & Theologos, prælecta ſibi ſemel confutationis Pontificiæ exemplum ab aduerſariis poſtulaſſe, ſiquidem nec aſſentiri in cauſſa Religionis, ſcripto non inſpecto, nec de eo ſententiam ſuam dicere poſſent. Quod hoc eis negarunt Pontificij, & tum reprehenſum fuit, & nunc meritò ab omnibus reprehenditur, tanquã iniquum & malæ cauſſæ actio non bona. Non poſſumus ſuſpicari poſteros eorum à prudentia & virtute ſuorum maiorum adeò degeneraſſe, vt quod iniurium iudicant in Papiſtis, iam ipſi erga miniſtros & fratres ſuos factum, approbaturi ſint, vbi quomodo ab his Theologis cum ipſis & cum Eccleſiis ipſorum, & fidiſſimis miniſtris, mortuis & viuis actum ſit, melius cognouerint. Non ergo hic Illuſtriſſimorum atque optimorum Principum, & aliorum magiſtratuum & honeſtorũ virorũ conſilia & actiones agnoſcimus, ſed hominum quorundam erroris & cupiditatis ſocietate coniunctorum, & nomine illorum ac facilitate abutentium, callidas machinationes. Non ſic egerunt, nec agi permiſerunt, laudatiſſimi Imperatores, Valentinianus, Gratianus, Theodoſius,

Arcadius,

Arcadius, qui & ipſi doctorum Synodos conuocarunt, & hanc honeſtiſſimam legem tulerunt : Singuli vniuerſique iudices cognoſcant, in publicis criminibus non oportere emendicatis vti ſuffragiis decretorum, aut relationibus à publicis perſonis deſtinandis credere, ſed rei veritatem inquirere. *Quid illi eſſent pronuntiaturi, ſi nunc in publicis & maximis cauſis religionis, non emendicata, ſed his artibus Theologorum extorta ſuffragia colligi viderent? De conuocatione Synodi Conſtātinopolitanæ primæ per Theodoſium ſic ſcribit Melanthon, Chron. lib.3.* Conſilium etiam Theodoſij memoria dignū eſt, qui cùm hæretici eluderent teſtimonia Prophetica & Apoſtolica, iuſſit proferri teſtimonia ex piis ſcriptoribus, qui ante diſſidia illa fuerāt, & Codices ex veteribus bibliothecis ſuo ſumtu protulit, vt conſenſu purioris antiquitatis conuicti hæretici cederent. Idem ſi nunc fieret, multæ diſſenſiones rectè tolli poſſent. Etſi enim vociferantur aduerſarij noſtri, ſe defendere veterem conſenſum: tamen oppugnant reipſa, ac ludunt nomine conſenſus, cùm intelligunt tantùm recentium temporum conſuetudinem, pugnantem cum antiquitate. Manifeſtum eſt enim, multa tetra deliria recepta eſſe, ignota vetuſtati. Etſi autem fides nititur verbo Dei, & norma IVDICII eſſe debent ſcripta Prophetica & Apoſtolica, & Symbola: tamen vocem purioris Eccleſiæ docentis & commonefacientis audire, pium eſt, iuxta dictum; Niſi araſſetis vitula mea, non inueniſſetis. *Hac ille.* Cod.lib.9. Tit.2.l.14.

Hic verò audimus quidem, quid reſpondeant Theologi requirentibus ab ipſis rationem ſuarum actionum; Principes, inquiūt, ſic iubent; illi interrogati, quare ſic velint, reſpondebunt. Sed quæ hæc eſt iniuria, ſpecie religionis & pietatis perſuadere ſua conſilia Principibus, & horum poſtea culpam & incommoda in ipſos reiicere? Theologi iſti nobis reſpondent, Sic volo ſic iubeo; ſit pro ra-

ZZ

tione voluntas. Hoc ſuum reſponſum aſſingunt, clemẽtiæ & pietatis & iuſtitiæ laude Illuſtriſsimis Principibus. Geminant ergo hac excuſatione ſuam culpam. Vna culpa eſt Eccleſiarum turbatio; altera eſt Principum deceptio ac deformatio, & autoritatis ipſorum abuſus. Quid enim? num etiam iuſſerunt Principes, vt non vocati illuc accurrerẽt, vbi ipſis nihil erat opus; vt per fraudes & calumnias ſe inſinuarent; vt illato nouo dogmate Vbiquitario, perturbarent florentes & quietas ipſorum Eccleſias & Scholas; vt ipſis fucum facerent falſis amplificationibus autoritatis Lutheri, venditatione lapſuum ipſius & librorum Polemicorum pro oraculis Propheticis, diſsimulatione fundamentorum cauſſæ, & deprauatione doctrinæ illorum quos accuſabant? num iuſſerunt, vt ſimularent ſe aſſentiri Corpori doctrinæ, quod oderant cane peius & angue; atque huius prætextu ſua dogmata obtruderent, cum illo pugnantia; hoc autem vbi non ſuccederet, vt fingerent Corpus doctrinæ, Philippum, & omnes, qui non defenderẽt hyperbolas Lutheri, & vbiquitariã præſentiam & mãducationem corporis Chriſti, diſcedere & deficere ab Auguſtana Confeſsione; vt collationem omnẽ cum falſò accuſatis defugerent; vt liberum iudicium publici conuentus detrectarent; Et, vt ſemel rem dicamus, vt modum tractandi & decidendi controuerſias dogmatum, diuino omni & humano iuri, & mori Eccleſiaſtico repugnantem, ſuo arbitratu, nominibus Principum ſe tanquam leones Cumani, tegentes, introducerent? Nunquid hæc etiam iuſſerunt Principes? Certè, quòd non illi, ſed ambitio & ſophiſticæ fiducia, Theologos, & actionem hanc totam, & agendi modum hunc, iuſſerit ſuſcipere, ſatis confirmãt Illuſtriſsimi Principes, cùm teſtantur, non à ſe, ſed ab his Theologis conſilium iſtud eſſe ortum. Quòd autem eo ſolo fine hæc cœperint, vt aduerſarios Vbiquitatis vi opprimerent, cum non poſſent iure; res & actiones ipſæ oſtendunt. Dum itaq; ſua dogmata Principum autoritate conantur ſtabilire, aliud non efficiunt, niſi quòd rurſus legis Impe-

ratoriæ ſe manifeſtos violatores conſtituunt, cuius hæc ſunt verba: Diuinè admodum conſtituit diuus Claudius, conſultiſſimus Princeps, parens noſter, vt iactura cauſæ afficerentur ij, qui ſibi potentiorum patrocinium aduocaſſent: vt hoc propoſito metu, iudiciariæ lites potiùs ſuo marte diſcurrerent, quàm potentiorum domorum opibus niterentur. Cod. lib. 2. Tit. 14. l. 1.

Eſt ergo bis peccatum à Theologis, qui Principes ad ea ſiue iubenda ſiue concedenda impulerunt, à quibus ſi proprio conſilio ea ſuſcepiſſent, ipſos dehortari debuiſſent, & de Magiſtratuũ Chriſtianorum in Religionis negotiis officio rectiùs eos informare. Huius officij rationem, cum videamus, Theologos non modò occultare, ſed etiam corrumpere, de hac etiam paucis aliquid admonere nos cogunt, vt hinc etiam ipſorum conſilia, quæ Magiſtratibus ſuggerunt, rectiùs æſtimari queant.

NON *dubium eſt omnibus Magiſtratibus à Deo ſeueriſſimè iniunctum eſſe, vt non tantùm ipſi ſciant & profiteantur veram de Deo & cultu Dei doctrinam, ſed curent etiam hanc proponi ſuis ſubditis, & omnem aduerſus eam, in dictis aut factis, blaſphemiam & contumaciam prohibeant & reprimant, quoad poſſunt.* De officio Magiſtratus, in cõtrouerſiis Eccleſiaſticis. *Ideo dictum eſt: Dixi ego, vos Dij eſtis, hoc eſt, diuinum officium geritis. Huius autem officij præcipua pars eſt, curare, vt Deus in genere humano rectè agnoſcatur & colatur, & inhibeatur omnis illius contumelia. Hic ſummus finis & ſcopus eſt cuſtodiæ pacis & diſciplinæ, in ſecunda Decalogi tabula comprehenſæ. Non enim pecudum, ſed hominum paſtores ſunt Magiſtratus; nec tantùm ventris ſubditorum, ſed animorum præcipuè curatores & miniſtri. Non igitur ad otium, voluptates, faſtum, expilationes, & expletionem prauarum cupiditatum, collocati ſunt à Deo in gubernationis faſtigio; ſed vt ipſorum miniſterio Deus in mundo regnet, & homines ſint homines, hoc eſt, imago Dei. Quantò igitur magis ipſorum, ſi religionem negligant, exemplum & an-* Pſ. 82. 6.

toritas nocet; tantò maior ipſis incumbit neceßitas prę ceteris hominibus, eam ſeriò curandi; & tantò grauius Dei iudicium illos manet, ſi neq; ipſi veræ pietati ſtudeant, neq; curent, honoréne an contumelia publicè Deus afficiatur in ipſorum ditionibus. Extāt
Deut. 17. 16. *hac de re multa Dei ſeuerißima mandata; vt apud Moſen: Rex ne multiplicato ſibi equos, neque vxores; vt non recedat animus eius à me: argentum quoq; & aurum ne multiplicato ſibi admodum: ſed cùm inſidebit ſolio regni ſui, deſcribat ſibi exemplum huius Legis in libro, ex eo qui erit in conſpectu Sacerdotum Leuiticorum: Eſtoq; penes eum, & legito in eo omnibus diebus vitæ ſuæ, vt diſcat timere Iehouam Deum ſuum, obſeruare omnia verba huius Legis, & ſtatuta iſta, faciendo ea: Ne efferatur animus eius præ fratribus ſuis, & ne recedat ab hoc præcepto dextrorſum aut ſiniſtrorſum, vt prolonget dies in regno ſuo, ipſe & filij eius in*
Pſ. 2. 10. *medio Iſraëlis. Et in Pſalmo: Nunc ergo reges, animaduertite; erudimini, Iudices terræ: Colite Iehouam cum reuerētia, & exultate cum tremore. Oſculamini Filium, vt non iraſcatur, & pereatis in via, ſi exarſerit vel minimum ira eius.*

Non eſt autē huius loci, de toto Magiſtratus officio, in curanda religione, dicere; ſed de illa duntaxat parte, quæ tum requiritur, quando controuerſiæ de dogmatibus Religionis in ipſorum ditionibus exiſtunt. Hîc illis omnem operam eſſe dandam, vt quàm primùm vera & ſalutaris pax reſtituatur Eccleſiis, in qua Deus rectè colatur, & populus rectè doceatur, in confeſſo eſt: Sed compoſitionis modus, qui ſit legitimus, de eo res ipſa loquitur, nō omnes conſentire. Quoties ergo diſſenſiones oriuntur Eccleſiaſticæ, Magiſtratus Chriſtianus aut habet cognitum certò, vtra pars veritatem tueatur, aut non habet. Rurſus, quibus perſpecta eſt veritas, aut ingredientes gubernationem ſuam, inueniunt falſis dogmatibus occupatas vel turbatas Eccleſias; aut in Eccleſiis, quas puras & pacatas acceperunt, deinceps controuerſiæ excitātur. Si falſam doctrinam inueniunt, eius prohibitio & mutatio à refu-

à refutatione incoanda eſt. Ne quid autem videantur agere ex opinionibus vel affectibus ſuis, vtq́ ſubditos citra tyrannidis calumniam, & ſine ignorantiæ prætextu, non coactos imperio, ſed ſpontaneos, & veritatis illuſtratione conuictos, ad meliorem ſententiam ab erroribus traducant; hoc ita obtinebunt, ſi adhibeant ſibi viros prudentes & doctos, ſiue ex ſuis, ſiue aliunde euocatos: Et coram illis, ſe audientibus, & ſingula cognoſcentibus, iubeant falſa docentes, rationem ſuæ doctrinæ reddere: curent eos refutari, doceri & conuinci, quantum ſatis eſt, hoc eſt, donec omnes ipſorum obiectiones ita ſint diſcuſſæ, vt quod erroribus prætexāt, ampliùs non habeant. Sic enim, ſecundùm præceptum Apoſtoli, Rom. 14.1 Tit.1.11. *& infirmos in fide aſſument, & cōtumacibus os obturabunt. Hac autem cauſſarum cognitione & diiudicatione peracta, curent veritatem proponi populo, ſiue per illos, qui agnitos errores deponunt, ſiue per alios, ſi illi couicti pertinaciter veritati contradicant: Et quidem cauſſas mutationis, quemadmodum doctoribus errorum, ſic etiam Eccleſiis explicari iubeant.*

Ab hac veritatis ſufficienti declaratione, etiam ad abolitionem Idolorum, & vitioſarum conſuetudinum emendationem eſt progrediendum. Sic ſecundùm Legem Dei, propoſitam populo, reformatio Eccleſiæ & cultus diuini facta eſt per Chizkiam & per 2.Reg. 18. 2. Reg. 23. *Ioſiam. Sic poſt reditum ex Babylone fiebat inſtauratio cultus per* Nehem. 8. *Nehemiam, Ezram, & alios principes populi & ſacerdotum: Sic his temporibus egerunt pij Principes tum Saxonici, tum alij, & reliqui Ordines & Magiſtratus in Imperio & extra illud, qui admoniti de erroribus Papatus, primi reformarunt ſuas Eccleſias; Sic optimus & laudatiſſimus Princeps Fridericus* III. *Palatinus Elector: quorum nota ſunt moderationis, & legitimæ actionis exempla; qui non carceribus & exiliis, ſicut Theologi Bergenſes, ſed priuatis & publicis diſputationibus, & argumentorum robore vicerunt aduerſantes veritati, omnibus defendendi ſuam cauſſam fecerunt copiam, nulla aduerſus diſſentientes vſi violen-*

tia, nec niſi apertè contumaces, & in veritatem cõtumelioſos, & Eccleſiæ ac pacis turbatores, à functionibus publicis remouerunt.

Sin autem piorum Magiſtratuum temporibus, noua certamina, in ipſorum Eccleſiis exoriãtur; ſtatim quidem, quæ ſciunt eſſe falſa, doceri & ſpargi prohibeant, ſic tamen, vt ſimul eodem modo, quo dictum eſt, erudiri & refutari errantes curent, non tam ſui de veritate confirmandi, quàm Eccleſiarum & errantium cauſſa, vt non tantùm caueantur errores & ſchiſmata, ſed etiam ſanentur conſcientiæ eorum, qui ſunt ſanabiles, & inſanabilibus adimatur prætextus conquerendi de oppreſſione violẽta. Poſſunt autem priuata diſſidia priuatim, publica publicè componi. Sic e-
Act. 15. *gerunt Apoſtoli, exorto diſſidio Antiocheno, cùm nondum haberet Eccleſia Chriſtianos Magiſtratus; ſic poſtea fideles Epiſcopi,*
Euſeb. lib. 7. hiſtor. *ſub Ethnicis Imperatoribus, vltrò conuenientes Antiochiam, ad reprimendas blaſphemias Samoſateni; ſic pij Imperatores, Conſtãtinus, Martianus, Theodoſii, qui exortas ſuis ætatibus hæreſes, conuocatis Synodis doctorũ, legitimis & liberis Eccleſiæ iudiciis repreſſerunt.*

Quòd ſi verò ignorent aut dubitent Magiſtratus, vtra pars ſiue in veteribus ſiue in nouis certaminibus, veritatem tueatur, hîc ſanè maiori cautione opus fuerit, ne grauiſſimo cum peccato, & Eccleſiæ damno, innocentes cõdemnent, aut perſequantur, premant meliora, euehant deteriora. Nihil quidem eſt conſultius, neq; magis ſalutare, quàm in primis ſcintillis extingui incendia contentionum. Sed cum non ſemper poſſit ſubitò perueſtigari veritas in rebus dubiis, præſertim magnis & arduis: ne interea, dũ ſit inquiſitio veri, creſcendi poteſtas detur gliſcentibus incendiis; primùm omnium prohibenda eſt ſeueriter inſectatio mutua diſſidentium, omnia conuitia, ſcommata, condemnationes, contentiones, & pugnantium ſententiarum defenſio ad populum. Sæpe enim fit, vt contẽtionum feruore exulcerati animi, aut nunquã, aut non facilè deinceps ad concordiam reducantur, etiam vbi re-

rum,

rum, de quibus diſſenſio eſt, non difficilis erat explicatio; & quæ ſemel protulêre, dum retractare aut abiicere homines pudet, ea defendere pergant, de quibus facilè cederent, ſi defendere non cœpiſſent: id quod ſummo cum dolore in hoc ipſo de Cœna Domini certamine, hactenus experiuntur Eccleſiæ. Contrà verò vbi actiones gubernat pietas & dilectio, ac ſyncerum gloriæ Dei & ſalutis Eccleſiæ ſtudium, etiam diſſentientes de aliquo doctrinæ capite, non rumpunt vnitatis vinculũ ſchiſmatibus, ſed diſſenſionẽ omni ſtudio tegentes, à priuatis collationibus non deſiſtunt, donec inuenta veritate, priùs inter ſe conſentiant, quàm eos diſſenſiſſe quiſquam animaduerterit. Peccant ergo doctores temeritate, ſi ſpargant, peccant gubernatores lentitate, ſi permittant ſpargi in vulgus, ſententias receptæ doctrinæ aduerſantes, antè quàm priuata conſideratione fratrum & collegarum examinatæ ſint, vt quod rectius eſſe deprehenſum fuerit, vno conſenſu ab omnibus retineatur & doceatur. Eadem ſeruanda eſſet ratio, ſi omnes alicuius Eccleſiæ miniſtri, ab aliis Eccleſiis diſſentire inciperent: Ad collationem ſuæ ſententiæ, cum aliis Eccleſiis adigendi eſſent. Si vincant argumentis; perſtent in ſententia, ſiue aſſentientibus, ſiue non aſſentientibus aliis: ſi vincantur; aut taceant, aut cum aliis congruentia loquantur.

Dum autem hoc modo cauet pius Magiſtratus, ne ſchiſmatibus diſtrahantur Eccleſiæ, néue dubitante conſcientia, & lite pẽdente, quenquam condemnet, vel inſcius in illud iudicium incidat, de quo dicitur: Væ qui dicitis bonum malum, & malum bonum; lucem tenebras, & tenebras lucem: ſine vlla ceſſatione, in certam cauſſæ cognitionem ipſi eſt incumbendum, vt nõn modò ſuam conſcientiam ex dubitationibus euoluat, ſed etiam excluſis erroribus, vera doctrina proponatur ſubditis. Ieſa. 5. 20.

Ceterùm in hac inquiſitione, multa magna impedimenta cauenda & remouenda ſunt. Verbũ Dei, tanquam vnica diiudicationis regula, ſequendũ eſt. Hoc facere omnes videri volunt. Vt

autem non tantùm glorientur, aut videantur ſibi id facere, ſed reipſa faciant; ante omnia hoc in conſpectu ſit oportet, neq; Principibus, neq; Epiſcopis, neq; vlli creaturæ conceſſum eſſe, ſuo arbitratu religiones condere, aut mutare, & homines ad eas recipiendas, vi corporali adigere. Eſt enim hæc tyrannis, quæ exercetur in animas & conſcientias, multò atrocior, quàm quæ exercetur in res & corpora: Siquidem hæc fortunas & vitam hominum temporariam; illa ſalutem æternam, & gloriam Dei oppugnat.
Dan. 3. *Sic Nabucadnezar exiſtimat pulcrum & glorioſum fore, ſi ampliſsima Monarchia Babylonica, ſicut vnum Regem agnoſcebat, ſic etiam vnum Dei cultum haberet, eumq; ſplendidum & magnificum, & à ſe conſtitutum, vt vnus ipſe ampliſſimi regni, & ſanctiſsimæ religionis autor, omnibus ſeculis celebraretur. His cogitationibus adductus, facit ſtatuam auream, & ſanguine repugnãtium ſcribit legem, de hac ſtatua ab omnibus ſubditis adoranda. Similia decreta de religione ſcribi, non eſt infrequens in mundo; quibus tamen aduerſantes Daniel & eius ſocij mirabiliter à Deo ſeruantur, aut etiam ex eorum cineribus noui errorum aduerſarij excitantur.*

Porrò ſicut non ſuo tantùm iudicio ſtare, ita nec ex aliis toti pendêre debẽt, vt alienis potiùs, quàm propriis oculis & auribus videant & audiant: ſed ſic aliorum ſententias audire, vt ipſi quoq; rationes conſiliorum & decretorum requirant & intelligant. Non ergo inueteratæ conſuetudines, non multitudo, non gratia, non autoritas, non metus hominum, ſed ſola vox diuina, erit ipſis deliberationis & iudicij regula; ne fortè imprudentes reperiantur in numero regum illorum, qui vires & poteſtatem,
Apoc. 17. 13. *& regnum ſuum tradunt beſtiæ, portanti mulierẽ illam ebriam ſanguine ſanctorum martyrum Ieſu. Ac ne in hos laqueos incidant, cauendi præcipuè ſunt adulatores, calumniatores & Sycophantæ, qui ſpe conſequendi opes & honores, ſtudent Principibus grata dicendo, ſe in ipſorum animos inſinuare, vt eorum autoritate*

tate deinceps pro libitu abutantur. Hos explorant cordati gubernatores, cùm vident eos ad nutum dominorum inflectere & palliare conſilia, rationibus vel extra cauſſam quæſitis, vel non in verbo Dei fundatis; alios clàm obtrectando premere ac ſuſpectos facere; & à cognoſcenda partis alterius defenſione, Principes, quibus poſſunt, modis, auertere & dehortari, & apertos cum accuſatis congreſſus defugere; ſua & ſuorum gregalium ſcripta, falſis conuitiis & criminibus, ac facetiis infacetis referta, ipſis obtrudere; aduerſariorum autem ſcripta, tanquam venenum non attingendum, ex manibus eorum excutere. Horum fides meritò prudentibus eſt ſuſpecta. Sic de Conſtantio patre Conſtantini Euſeb. de vita Conſtant. li. 1. *Magni ſcribitur: eum propoſito edicto, vt qui Diis Ethnicis ſacrificarent, in aula & dignitatibus ſuis manerent, qui non ſacrificarent, iis exciderent; paratos ſacrificare, remouiſſe, perſtantes autẽ in fide Chriſti, retinuiſſe; hac ratione reddita, quòd qui Deo fideles non eſſent, nec Regi ſuo fideles fore exiſtimaret; illos autem eſſe dignos Principis gratia, qui hanc Dei gratiæ nõ anteponerẽt.*

Augetur autem periculum, ſi his adulatoribus externis, etiã interni accedant, hoc eſt, affectus & cupiditates priuatæ, ſtabiliendi & amplificandi potentiam, autoritatem & gloriam, ſicut Ierobeamus metu amittendi regnum, inſtituit nouum cultum; 1. Reg. 12. *aut captandi gratiam hominum; ſiue potentum, vt Iudæi in gratiam Aſſyriorum & aliorum Ethnicorum, colebant ipſorum Idola;* Ezech. 23. *ſiue amicorum, vt Solomon in gratiam vxorum, inſtituebat* 1. Reg. 11. *idololatricos cultus. Qui itaque aberrare à ſcopo nolunt, eos hæc omnia remouere ex animo, & ſolam Dei gloriam, & veritatis illuſtrationem ac propagationem in conſpectu poſitam habere eſt neceſſe. Hoc ſanè, quicunq; fecerint, ſiue ſummi, ſiue infimi, non habebunt cauſſam conquerendi, ſe non eſſe hac eruditione præditos, vt de arduis controuerſiis iudicare valeant, de quibus etiam doctiſſimi quiq; diſſentiunt. Quotquot enim reſponſa vocis diuinæ de rebus ſcitu neceſſariis, ſeriò inquirunt, audiunt, legunt, me-*

ditantur, conferunt inter ſe Scripturæ teſtimonia & fidei analogiam, eiq́; repugnãtia non admittunt, & ſe doceri à Deo petunt; his omnibus promittit Deus, ſe daturum Spiritum gratiæ & veritatis, intelligentiæ & iudicij, vt à ſalutis fundamento non aberrent: ſicut dicitur; Omnis qui quærit, inuenit &c. Huius pro-
Matt. 7. 7. *miſsionis veritatem, quam omnes verè pij experiuntur, in dubium vocant, qui ſe veritatem ſeriò quæſitam inuenire non poſſe cauſſantur. Quiſquis autem ad quærendam veritatem vult ingredi viam non præpoſteram, neceſſe eſt, vt non priùs ad ſuam ſententiam ſtabiliendam ſuffragia multitudinis conquirat, quàm ſuffragandi veras & firmas rationes inquiſiuerit & inuenerit. Hæ porrò vt inueniantur; & ſententias & argumenta diſſidentium rectè cognoſci & intelligi, diligenter examinari ad normã Scripturæ ſacræ, & ſufficienter audiri ac refutari errantes oportet, donec illis prætextus probabilis errandi, omnis ſit ademtus, vt neq́; opprimatur iniuſtè cuiuſquam vera ſententia, neque ſe oppreſſum eſſe, aliqua cum ſpecie quiſquam poſsit queri.*

Ad euitandam etiam dubitationem omnem & calumniam, vtq́; non alienum officium, hoc eſt, Eccleſiæ ſibi vſurpet, ſed ſuum, videlicet Politici Magiſtratus officium, cum Eccleſiaſtico officio miniſtrorum, doctorum, & aliorum præcipuorum membrorum Eccleſiæ ſuæ, rectè ac piè coniungat; ſic praeeſſe debet Chriſtianus Magiſtratus his actionibus, vt & ſuos miniſtros Eccleſiæ, aliosq́; viros pios, doctos & prudentes, ſibi adiungat, & ſi quando hi non ſufficerent, etiam ex aliis Eccleſiis accitos, intra Scripturæ limites ſe continere cogat; metas legitimæ diſputationis excedẽtes, aut ex affectibus aliquid agentes, autoritate ſua coërceat; in iudicando autem & ſtatuendo, ſuffragiorum neque dictator aut dominus, neq́; ſeruus ſit, ſed ſocius & explorator, pari cum aliis iure ſententiã ſuam dicens; non acquieſcat iis, de quibus ex verbo Dei ſibi non ſatisfactum ſentit; iis autem ſe cum aliis libenter ſubiiciat, quæ verbo Dei conſentanea eſſe, conſcientia ipſius teſtatur;

tur; eaq́ deinceps teneri ac doceri præcipiat; veritati, poſt refutationem perſpicuam & ſolidam, contradicentibus, imperet ſilentium: In conſciẽtias quidem ſibi ius non ſumat; ſed Idololatriam, blaſphemias, pacis & diſciplinæ externæ turbationem, ſi opus ſit, etiam vi corporali reprimat, proportione tamen cauſſarum & ſeueritatis ſeruata. Sic in veteri Teſtamento fecerunt ſancti Reges, Ioſaphat, Chizkias, Ioſias. Primùm ipſi toto corde dicuntur quæſiuiſſe Deum Iſraëlis: deinde Legem Dei in lucem reuocaſſe & curaſſe, vt Sacerdotes & Leuitæ ſecundùm hanc docerent populum: tandem etiam ſuſtuliſſe Idola, & vi repreßiſſe impietatem dogmatum, cultuum & morum. Sic & Noui Teſtamenti tempore, poſtquam dedit Deus Eccleſiæ ſuæ Principes & Magiſtratus Chriſtianos, ſummi Imperatores Conſtantinus Magnus & Martianus, conuocatis Synodis Nicæna & Chalcedonenſi, aduerſus blaſphemias Arij, Neſtorij & Eutychis, ipſi interfuerunt & præfuerunt diſputationibus, & aßidentes inter Epiſcopos, vnà audiuerunt, expenderunt, & dixerunt ſententias: autoritate ſua & imperio, Epiſcopos & alios diſputantes, intra limites ſacræ Scripturæ, ordinis & modeſtiæ, continuerunt: Sic tamen, vt Conſtantinum non puduerit Epiſcoporum conſeruum ſe nominare: Et Martianus dixerit in conſeſſu: ſe ad confirmandum fidem, non ad oſtendendum potentiam exemplo Conſtantini, Synodo interesse velle, vt inuenta veritate diſſidia tollantur.

2. Par. 17. & 29. & 34.

Euſeb. vita Conſt. lib. 3.

Decret. diſtin. 96.

Summa igitur eſt, officium & ius ſolius Dei eſſe, præſcribere hominibus normam ipſum agnoſcendi & colendi; miniſtrorum Eccleſiæ eſſe, doctrinam à Deo traditam ſyncerè proponere: Magiſtratuum eſſe, curare, vt miniſtri officio ſibi commiſſo fideliter fungantur ſine corruptelis & additamentis humanis; præſertim autem in controuerſiis Eccleſiaſticis, cõuocare cùm opus eſt, Synodos doctorum & eorum quos ipſi cum aliis prudentibus iudicant idoneos & adhibendos eſſe ad hoc iudicium; conuocatos gubernare, vt omnia ritè & ordine fiant; vnà cum aliis dicere ſententiã,

AAA 2

& decernere; & communi conſenſu decreta, poteſtate ſua tueri.

Officia hæc multis modis homines confundunt & corrumpũt. Aliàs Magiſtratus, aliàs Epiſcopi rapiunt ad ſe, quod ſolius Dei eſt; aliàs Epiſcopis à Magiſtratu, aliàs Magiſtratui ab Epiſcopis, ius ſuum eripitur, dum vel aſſentatores perſuadent Principibus, quicquid ipſis de religione videtur, ad hoc ſine vlla cognitione & exceptione approbandum & acceptandum, ſubditos iure ab eis
Diſtin. 96. *poſſe cogi; Vel Pontifices & Epiſcopi ſuis legibus Magiſtratus in vniuerſum à religionis curatione excludunt & repellunt, conuocandi Synodos ex ſolis ſibi iuratis, & eas gubernandi, & in illis decidendi, & quod libet ſtatuendi ius ad ſe ſolos omne rapiunt, Magiſtratibus autem nihil relinquunt, niſi vt tãquam ipſorum ſerui, omnia eorum decreta, velut oracula diuina gladio propugnent & exſequantur.*

Horum imitationi ſtudere Theologos Bergenſes, propoſita ab ipſis forma Synodi, luculenter oſtendit. Sed hunc ſuum conatum, putant ſe occultare poſſe, dum Principibus perſuadent, ipſos iam dudum veritatem ſic tenere, vt inquiſitione aut collatione ſententiarum nulla ſit opus, ſed tantùm imperio, quo ſubditos ſuam ſententiam iubeant amplecti. Hoc vbi fit, licet periculum & difficultas magna obiiciatur Eccleſiis, tamen huic etiam malo remedium inueniri poteſt, ſi Deum timentes Magiſtratus admoneantur de his duobus: Primùm, Etſi rectiſſimè ipſi ſentiant, & de veritate ſint certiſſimi; tamen non ſui tantùm, ſed etiam ſubditorum ipſis habendam eſſe rationem, & propter horum conſcientias & ſalutem, ſe obligatos eſſe ad reddendam fidei ſuæ rationem Eccleſiæ, & ad ſubditorum errores demonſtrandos, ſi velint eos ab his ad veritatem transferre: Deinde, non rarò homines videri ſibi ſcire, quæ ſi diligentiùs excutiant, experiuntur ſe reuera non ſciuiſſe, & quod arbitrabantur eſſe fidei πληροφορίαν, *id præconceptæ opinionis duntaxat perſuaſionem fuiſſe, quæ non tam veris quàm ſpecioſis rationibus, vel affe-*

ctu

&u aliquo humano, vel autoritate humana nitebatur. Hæc autem fundamenta, ſi ad normam Verbi diuini examinentur, facilè euaneſcunt. Exemplum huius rei in præſentibus controuerſiis illuſtre eſt. Inculcant hominibus Theologi, eam eſſe veram & germanam Auguſtanæ Confeſsionis ſententiam, quæ SEMEL *exhibita eſt Carolo* V. *Hic ſi Scripturam conſulamus, & propriam vniuſcuiuſque conſcientiam, vtraq; dictabit illicò: Non quod ſemel aut ſæpius, ſed quod rectè eſt receptum, id demum eſſe retinendum: neque defendendum eſſe, quicquid ſemel eſt elapſum; Sed ſi congruat cum voce diuina, retinendum, ſi non congruat, emendandum eſſe: vt omittamus iam, videndum etiam eſſe, an verè ſit receptum, quod receptum eſſe dicitur. Inculcant item magno clamore: Lutherus fuit Propheta; Ergo dogma ipſius de orali eſu carnis Chriſti verum eſt. At ſi Scripturam conſulamus, mox nobis innoteſcet, qui ſint Prophetæ & Apoſtoli; ac proinde nec Lutherum, nec alium quenquam doctorem Eccleſiæ, illis poſſe annumerari. Videmus item Lutherum de ſe confiteri, quòd poſsit errare, ac propterea non velle ſibi credi, niſi quod è Scriptura probauerit. Hoc de ſuis libris non dicunt, nec poſſunt dicere Prophetæ & Apoſtoli; niſi Spiritum Dei in ipſis loquentem velint erroris ſuſpectum facere. Rurſus, ſi verba Chriſti, ex quibus Lutherus ſuam ſententiam probare voluit, conferamus cum verbis Lutheri, non tantùm errare ipſum potuiſſe, ſed reipſa etiam erraſſe apparebit; quandoquidem Chriſtus dixit; Hic panis eſt meum corpus; Lutherus autem, In hoc, vel Sub, vel cum hoc pane eſt corpus Chriſti. Sic & reliquorum argumentorum, quibus dogma hoc ſtabilitur, aut falſa principia, aut vitioſam conſequentiam deprehendet facilè, quiſquis ad lapidem Lydium Scripturæ ſacræ illa explorauerit. Iccircò in illis artibus, quibus ab hac exploratione mentes hominum auertunt, omnem ſuæ cauſſæ tuendæ fiduciam Theologi iſti collo-*

carunt. His verò artibus, cum Libri Bergenſis ſubſcriptiones à Principibus aliiſq; Ordinibus, & à miniſtris Eccleſiarum impetratæ ſint; etiamſi doctrina Libri nihil haberet vitij; tamen concordiæ Eccleſiarum, & legitimæ de dogmatibus iudicandi regulæ nomen tueri nequaquam poſſet. Hoc vbi pij Principes & gubernatores, & alij viri honeſti, Deo ipſorum oculos à Sophiſtarum fumis vindicante, cœperint perſpicere; multorum de nobis mitiora & æquiora iudicia fore non dubitamus.

Capvt xi.

De incommodis exequutionis Concordiæ Bergenſis.

Ostensvm *eſt à nobis hactenus, qualis ſit liber Bergenſis, quo iure tot Eccleſias condemnet, vnde & quomodo natus ſit & prodierit: Reſtat vt oſtendamus, quid ex ipſo naſciturum, & qui fructus ad Eccleſias & Reſpublicas redituri eſſent, ſi ſecundùm ipſum de Chriſtianiſmo ſtatuendum & iudicandum foret. Sunt autem per aliquot iam annos, quibus parturierunt Theologi hanc ſuam Concordiā, incommoda & detrimenta nec pauca nec exigua, publica & priuata, quæ ex receptione Libri iſtius eſſent conſequutura, à multis vltrò citroq́; in publicis & priuatis actionibus, expenſa & diſputata. Nos itaque duntaxat capita illorum præcipua hic annotabimus. Ex his enim, quæ hactenus dicta ſunt, cuiuis intellectu facile eſt, quàm multiplex iniuria in Deū, ignominia verò & damnū in Eccleſiam, in Scholas, in Politias, in Illuſtriſſimos Principes & Ordines Auguſtanæ Confeſſionis, in multos infirmos in Eccleſiis reformatis, & apud aduerſarios, in Lutherum, Melanthonem, & præcipuos quoſq́; huius ætatis Eccleſiarum doctores, in tot ſanctorum myriades, atq́; adeò in totam poſteritatem, eſſet redundaturum, ſi liber Bergenſis regula Chriſtianiſmi conſtituatur.*

Si nihil aliud Eccleſiis, & præſertim Germaniæ, incommodi importaret hæc noua formula Concordiæ, ſufficeret ad repudiandam eam, vnum illud ingens malum, quòd multipliciter in ea deprauatur & peruertitur doctrina religionis Chriſtianæ. Nulla eſt enim maior Dei contumelia, quàm ſacrum ipſius os arguere mendacij, & negata ac damnata ab hominibus veritate, nobis ab ipſo miſericorditer patefacta, opiniones & ſermones falſos 1.

de ipſo & eius voluntate ſpargere. Hæc præcipua eſt nominis ſui profanatio, quam non impunè dimiſſurum ſe minatur. Neque damnum dari poteſt maius gregi Dominico, imò nec toti hominum generi, quàm ſi pabulum animarum, veneno inficiatur. Corruptelas & falſa dogmata in libro expreſſa, aliquot ſuprà enumerauimus. Sed multò plura & magis deteſtanda ſunt alia, quæ reiiciuntur quidem à Theologis verbotenus; interea tamen ex iis, quæ aſſerunt, conſequuntur. Non autem ſatis eſt, verbis à ſe proculreiicere falſa dogmata, ſi interea iaciantur eorum fundamenta, quibus facilè ſuperſtruuntur, & radices eorum ſerantur, ex quibus facilè pullulant. Neq; Satan hanc occaſionem negligit, vt poſitis & conceſſis antecedentibus, paulatim extruat conſequen-

1\. *tia. Si caro Chriſti ſubſtantia ſua eſt vbique; duæ erunt eſſentiæ infinitæ, hoc eſt, diuinæ, videlicet increata, quæ ex ſe, & creata,*

2\. *quæ ex alio immenſitatem habeat. Si realiter carni ſunt communes proprietates diuinæ, quæ non aliud ſunt niſi ipſiſſima Deitas; humana natura conſtans anima & corpore, erit Deus; creatura erit creator; quæ omnia gloriæ Dei aduerſantur, de qua dicitur:*

Ieſa. 48. 11. *Gloriam meam alteri non dabo. Et eiuſdem impietatis eſt, negare quòd homo Chriſtus ſit Deus, & affirmare quòd humanitas ſit*

3\. *Deus. Si caro vna & eadem ſimul eſt vno loco circunſcripta, & omnibus locis incircunſcripta, ſimul viſibilis & inuiſibilis &c. omnia contradictoria erunt poſſibilia in Deo; contra dictum:*

2\. Tim. 2. 13. *Non poteſt ſe ipſum negare. Si communicatio Idiomatum realis*

4\. *eſt, & nomina concreta & abſtracta idem ſignificant; aut vera Deitas dicenda erit paſſa & mortua realiter: aut ſecundùm Arij blaſphemiam, non erit Chriſtus æterno Patri ὁμοούσιος: Siquidem æterna Patris eſſentia & Deitas pati & mori non poteſt. Horum*

5\. *autem vtrunq; blaſphemum eſt. Si perſonalis vnio conſiſtit in reali communione proprietatum diuinarum; caro erit vnita tribus perſonis Deitatis, quarum vna & communis eſſentia ſunt*

6\. *illæ proprietates, hoc eſt, tres perſonæ erunt incarnatæ: Etſi tres incar-*

incarnatæ; etiam tres erunt paſſæ, & iam non erunt tres, ſed vna perſona (quia Chriſtus vna perſona eſt) ſecundùm hæreſin Sabellij ſeu Patripaſſianorum. Si communio Idiomatum eſt realis 7. *in duabus naturis; nequaquam realiter naturæ differunt: quia realis communio tollit realem differentiam proprietatum & naturarum. Si homo Chriſtus non alia ratione eſt Deus, & ab aliis* 8. *ſanctis differt, niſi quia realiter ipſius humanitati omnipotentia diuina communicata eſt, & Deus per illam omnia operatur; non eſt eſſentialis atq; æternus, ſed factitius & creatus Deus, ſecundùm Arij & Samoſateni blaſphemias; & quicquid diuinarum proprietatum & operationum in Scriptura de ipſo dicitur, non confirmat æternam eius & Patri coëſſentialem naturam, ſiquidē de homine deificato & veræ Deitatis inſtrumento intelligendum eſt. Si aliquæ Dei eſſentiales proprietates humanitati realiter* 9. *communicatæ ſunt, neceſſe eſt, omnes communicatas eſſe: Sunt enim illæ omnes ipſa Dei vnica eſſentia, ideoq; diuelli nequeunt, & vna ſine ceteris realiter competere nulli rei poteſt. Ergo etiam æternitas & reliqua omnia Dei attributa erunt realiter communia carni. Hæc autem ipſiſſima eſt Eutychis & Schvuencfeldij hæreſis. Etſi enim fortiter negant ſe Eutychianos eſſe; tamen verbis mutatis Eutychis impietatem tuentur: & qui antecedens ponit, etiam conſequens ponit, vtcunq; hoc inficiando ſecum ipſe luctetur. Ac ſimpliciores non intelligunt ſophiſticas ipſorum diſtinctiones, quibus contradictiones ſuas nituntur conciliare Theologi: qui autem eas intelligunt, vident, illis nequaquam antilogias tolli. Si vnio hypoſtatica nihil aliud eſt, niſi realis com-* 10. *munio Idiomatum Dei eſſentialium, & operatio Deitatis per hominem (hanc enim communionem proprietatum & operationū, & vnionem naturarum pro eodem ſumunt, & hanc communionem volunt eſſe differentiam ſpecificam vnionis perſonalis, qua ſublata vnionem ſublatam eſſe clamant) duæ igitur naturæ in Chriſto non ſunt vna perſona: quia etiam Deus Pater cum Filio*

& Spiritu ſancto realiter communem habet omnem Deitatis plenitudinem, hoc eſt, omnia Deitatis Idiomata, & omnia ſua opera per Filium & Spiritum ſanctum exſequitur; & tamen illi non vna, ſed tres perſonæ ſunt: aut ſi realis communio Idiomatum, & alterius per alterum operatio, vnitatem perſonæ efficiunt; æternus Pater, Filius & Spiritus ſanctus, non tres, ſed vna perſona

11. *trinomia erunt, ſecundùm Sabellium. Si caro Chriſti eſt realiter omnipotens, ac proinde realiter Deus; non eſt caro vera, non caro noſtra, non carni noſtræ ὁμούσιος: atq; ita conſolationis & ſa-*

12. *lutis noſtræ fundamentum tollitur. Si naturæ Chriſti diuelluntur, niſi corpus eius ſit vbique; corpus illud ſimul fuit in vtero matris, ſimul in præſepi, in cruce, in ſepulcro, & extra hæc vbique, in*

13. *cælo & in terra. Si autem fuit ſimul extra hæc, vnum & idem corpus exiſtens; ſimul fuit conceptum in vtero, patiens & moriens in cruce, iacens mortuum in ſepulcro, & conceptum, crucifixum, patiens, moriens, mortuum iacens, in cælo & vbique; & vel vterus virginis, & crux, & ſepulcrum vnà cum corpore fuerunt vbique; vel corpus fuit conceptum ſine vtero, crucifixũ ſine cruce, ſepultum ſine ſepulcro: quæ omnia repugnant articulis fidei, qui docent, Chriſtum non in cælo, aut in India, aut in Germania, ſed in vtero Mariæ, in Iudæa, in cruce, in ſepulcro, fuiſſe conceptum, natum, paſſum, crucifixum, mortuum & ſepultum.*

14. *Si autem ſecundùm articulos fidei hæc omnia tantùm in vno loco, in vtero, in cruce, in ſepulcro facta ſunt; idem corpus ſimul circunſcriptum & non circunſcriptum, vno loco tantùm, & in omnibus locis ſimul fuit: conceptum & non conceptum, loco motũ & non motum, natum & non natum, crucifixum & non crucifixum, mortuum & non mortuum, ſepultũ & non ſepultum, ſuſcitatum & non ſuſcitatum, ſublatum in cælum, & non ſublatum: alibi ſenſile, alibi inſenſile, alibi in cruce pendens & mortuum, alibi viuum & diuina Maieſtate & omnipotentia præditum; quæ omnia non tantùm verbo Dei & fundamentis fidei, ex diametro*

repugnant,

*repugnant,ſed etiã totius religionis in ludibrium conuerſio ſunt,
in Deum & Filium eius contumelioſa,affingens ei voluntates &
operationes contradictorias. Si denique Chriſtus carne ſua alibi* 15.
*viſibilis,alibi inuiſibilis eſt,alibi paſſus, alibi non paſſus eſt; fieri
non poteſt,quin diuerſa corpora ipſi tribuantur; aliud paſſum, a-
liud non paſſum; aliud mortuum, aliud non mortuum; aliud
ſenſile,aliud inſenſile; aliud finitum & circunſcriptum,aliud in-
finitum & incircunſcriptum.In vnum enim & idem corpus hæc
ſimul competere Dei veritas non patitur. Si ergo vera Chriſti
caro eſt finita & viſibilis,paſſa,mortua,ſuſcitata,localiter in cæ-
lo degens, vt Scriptura teſtatur,& ſalus noſtra poſtulat; vnde &
quorſum illa caro infinita,inuiſibilis,non mortua,non ſuſcitata,
non ſublata in cælum, quam ignorat Scriptura, & fides ſancto-
rum? Sin autem vera caro Chriſti eſt iſta incircunſcripta, &* 16.
*inſenſilis,ſemper immortalis & omnipotens; ea profectò quæ ſem
per fuit,& eſt viſibilis,palpabilis,crucifixa,mortua,ſepulta,ſuſci
tata,& aſſumta ſurſum; non erit vera & propria caro Chriſti,
ſed vel alia quæpiam,& alterius naturæ ac ſubſtantiæ caro, vel
non caro vera,ſed ſpectrum & phantaſma carnis; & vniuerſa in
carne Oeconomia,hoc eſt,incarnatio,paſſio,mors, reſurrectio &
aſcenſio Filij Dei,non reuera,ſed tantùm apparenter & ſpeciete-
nus erit geſta,ſecundùm furorem Marcionis. Quod enim de loco
in locum non mouetur,id neq; ex vtero egreditur,neq; in crucem
tollitur,neq; in ſepulcrum ponitur,neq; in cælum aſſumitur, neq;
illinc redit,vtcunq; hæc omnia fieri videantur: imò etiam in illo
ipſo loco Chriſti corpus ſimul erit inuiſibile, in quo conſpicitur &
ſentitur. Si enim vbiq;, ſanè & ibi exiſtet inuiſibile, vbi viſi-
bile eſt; ac proinde ſimul viſibile & inuiſibile erit non tantùm in
diuerſis,ſed etiã in vno & eodẽ loco,id eſt,nomine tenus idem,ſed
reipſa aliud corpus latens & verũ,aliud apparens & phantaſti-
cum: atq; ita nos adhuc hærebimus in peccatis noſtris,& in morte
æterna. Si corpus & anima Chriſti fuerunt vbiq;, Ergo anima* 17.

non potuit à corpore ſeparari, & Chriſtus in cruce nō verè expirauit, nō verè mortuus eſt, ſed mori dūtaxat & animam exhalare viſus eſt: nec verè reuixit; non enim rediit anima in corpus, à quo nunquā ſeparata & abducta fuit. Sic autē nos per eius mortem & vitam, nec à morte liberabimur, nec vitæ fiemus participes. Non enim ſpectris & imagine rerum, ſed veris & ſolidis rebus, vera morte & reſuſcitatione Mediatoris noſtri, gerentis carnem noſtram, iuſtitia Dei placatur, veritas ipſius impletur, & ſalus noſtra perficitur ac nititur; vt Amphilochius Iconij Epiſcopus ait: Aſſumtus eſt, qui ex terra eſt: propterea & ſeruatus eſt, qui ex terra eſt. *Item;* Si aliud aſſumſit corpus, quid hoc ad meum corpus, quod ſalute indiget? *Et Athanaſius:* Non liberati eſſemus à peccato & damnatione, niſi natura fuiſſet caro humana, quam induit λόγος: nihil enim commune nobis fuiſſet cum alieno.

Theod. dial. 1. & 2.

18. *Si perſonalis vnio naturarum in eo conſiſtit, quòd proprietates eſſentiales humanitas cum Deitate realiter communes habet: Chriſtus, ſiquidem verè mortuus, paſſus, & ſepultus eſt; illo tempore non fuit verè Deus & homo, ſed diuinitas à carne non vbiq; exiſtente ſeparata fuit, atque ita Deus non eſt pro nobis mortuus ſua carne, neque nos redemit ſuo ſanguine, contra Scripturæ aſſeuerationem.*

19. *Si realis communio Idiomatum conſtituit vnionem perſonalem; aut etiam caro & oſſa Chriſti erunt intelligentia, & immenſa ſapiētia prædita, aut λόγος tantùm cum anima, non autem cum corpore erit vnitus perſonaliter, & in morte corpus ipſi vnitum non manſit; contra fidem Chriſtianam, quæ ex verbo Dei ſtatuit, λόγον & corpus verè humanum, & animam rationalem aſſumſiſſe, & quod ſemel aſſumſit, nunquam depoſuiſſe.*

20. *Si vnio hypoſtatica in eo conſiſtit, quòd diuinitas omnia per naturam humanam operatur, & per eam accendit fidem, conuerſionem & vitam æternam; ſequetur, quòd etiam anima & corpore ſuo humano det Spiritum ſanctum hominibus, hoc eſt, creatura operetur per creatorē, quod & Scri-*

ptura

ptura & aduerſariorum teſtimonio abſurdũ eſt; Sequetur item, 21.
quòd natura humana ſe ipſam Spiritu ſancto vnxerit, contra Scripturam, quæ dicit, Chriſtum vnctum eſſe Spiritu ſancto à Deo: Sequetur etiam, quòd humana natura per ſe ipſam excita- 22.
ta ſit à mortuis, per ſe ipſam ſuſtentetur & glorificetur à λόγῳ, cõtra Scripturam, quæ ſuſcitatam ſeruari & glorificari teſtatur à Patre, per λόγον & Spiritum ſanctum. Præterea, ſi corpus Chriſti 23.
tale eſt, quod ſit vbique, & tamen ore comeditur; corpus idem erit ſimul immobile, quia vbique, & mobile, quia ore intra corpus recipitur: quo nihil cogitari poteſt abſurdius. Neque hîc poſſunt iſti Theologi abſurditatem tegere diſtinctione modorum exiſtendi; quia & vbiq; & in pane volunt Chriſti corpus adeſſe ſecundùm modum Maieſtatis ſiue dextræ Dei, vt ipſi ſua lingua vbiquitaria loquuntur: Ergo idem corpus ſecundùm eundem exiſtendi modum, eſt mobile & immobile, ac proinde finitum & infinitum: quod enim de loco in locum tranſit, finitum & comprehenſibile eſſe neceſſe eſt. Si corpus Chriſti eſt in pane vel vbiq; inſenſile, 24.
infinitum; non habet partem extra partem, non habet ſuam magnitudinem & lineamenta, quod nihil aliud eſt, niſi incorporeũ eſſe; Si autem eſt eiuſmodi, ſi denique omniſcium, omnipotens, & proinde Deus eſt; non eſt ergo verum corpus, nedum humanũ corpus: non ergo Cœna Domini eſt Sacramentum & κοινωνία veri corporis Chriſti: non eſt teſtimonium, nos eſſe membra eius, ipſi per fidem inſitos, ex carne & ex oſsibus eius: non enim caro ipſius erit carni noſtræ ὁμούσιος. Sic nullum erit argumentum Pauli, Cœnam Domini allegantis, tanquam teſtimonium noſtræ cum Chriſto communionis: nullum erit argumentum Patrum, ex Cœna Domini contra hæreticos probantium veritatem carnis Chriſti, tanquam ex veritate ſignorum diuinorum, veritatem rei ſignificatæ. Si corpus Chriſti eſt ſubſtantialiter in pane, etiam e- 25.
rit in pane ſanguis; quia corpus non eſt exſangue; & ſi in vino ſanguis, etiam corpus in eo erit; quia ſanguis non eſt extra corpus:

mors enim nõ amplius ei dominatur. Et in Cœna loquimur de præ-
ſentia viui Chriſti, inquit Apologia Auguſt. Art. x. Erit ergo pa-
nis etiam ſanguis, & vinum etiam corpus, contra verba & ordi-
26. *nationem Chriſti. Sin autem in pane tantùm corpus, & in vino*
tantùm ſanguis exiſtit; impiè diuelluntur corpus & ſanguis Chri-
27. *ſti. Si vnio Sacramentalis eſt exiſtentia corporis in pane, & ſan-*
guinis in poculo; etiam in aqua Baptiſmi ſanguis erit ſubſtantia-
liter, & corporaliter affundetur corporibus baptizatorum: quia
tam eſt Sacramentalis vnio ſanguinis & aquæ, quàm ſanguinis
& vini, & tam verè lauamur ſanguine Chriſti, quàm verè eum
28. *potamus. Si panis propriè & ſubſtantialiter eſt corpus fractum*
pro nobis in cruce (volunt enim verbum ES T, *in verbis Cœnæ*
ſumi ſubſtantiuè ſeu ſubſtãtialiter, quod non eſt, niſi propriè) etiã
fractio panis erit propriè & ſubſtantialiter & corporaliter fra-
ctio corporis, & effuſio vini erit corporalis effuſio ſanguinis, quod
ſine manifeſta impietate dici non poteſt, & tamen ex aſſertione
29. τοῦ ῥητοῦ, *neceſſariò conſequeretur. Si panis eſt propriè & ſubſtan-*
tialiter corpus Chriſti, etiam perſonaliter erit vnitus λόγῳ, *& pro*
nobis paſſus, & propriè de ipſo dicenda erunt, quæcunque de vero
Chriſti corpore dicuntur: & ſic eadem euadet vnio hypoſtatica
& Sacramentalis: quia panis, ſecundùm illos, ſubſtantialiter eſt
30. *illud ipſum corpus, quod* λόγῳ *perſonaliter vnitum eſt. Si panis*
ſine figura dicitur corpus Chriſti, non manet verus panis. Non e-
nim eadem ſubſtantia eſt panis & carnis Chriſti; neq; panis car-
neus, neque caro triticea eſt. At Scriptura & ſenſus teſtantur,
31. *non mutari aut abiici panis ſubſtãtiam. Si panis propriè & ſub-*
ſtantialiter eſt corpus Chriſti; cum diſcipulis communicans Chri-
Matth. 26. 29. *ſtus, ſe ipſum ediſſet & bibiſſet. Dicit autem ipſe; Non bibam poſt-*
hac ex hoc fructu vitis, donec bibam illum vobiſcum nouum in
De doctr. Chriſt. li. 2. cap. 3. *regno Dei. Et Auguſtinus:* Sacramento corporis & ſangui-
nis ſui prægustato, ſignificauit quod voluit. *Et Chryſoſtomus:*
In Matth. hom. 83. Ipſe quoque bibit ex eo, ne auditis verbis dicerent; quid
igitur?

igitur? Sanguinem bibimus? & carnem comedimus? ac i-
deo perturbarentur. *Si corporalis manducatio corporis Chri-* 32.
ſti, eſt confirmatio fidei & manducationis Spiritualis; idem cor-
pus Chriſti erit ſignum & res ſignata; quod repugnat naturæ Sa-
cramentorum: Erit item ſignum Sacramentale inuiſibile; quod 33.
etiam aduerſatur rationi Sacramentorum, quæ ſunt ſigna & ver
ba viſibilia. Item, miraculum inuiſibile erit ſignum ad confirmã 34.
dam fidem promiſſionis gratiæ; quod eſt contra naturam miracu-
lorum, quæ ſunt viſibilia, & non debent ſtatui ſine manifeſto te-
ſtimonio ſenſus aut verbi Dei; Repugnat & vſui Sacramentorũ,
quæ pignoribus & ſymbolis viſibilibus debent fulcire infirmita-
tem fidei: hîc autẽ difficile creditu, per magis difficile, & in Scri-
ptura non traditum, neq; cum ea conſentiens, confirmaretur. Si 35.
manducatio corporalis carnis Chriſti, ſignificatur per manduca-
tionem panis; aliud ſignificatur, promittitur, & exhibetur in Sa
cramẽto, quàm in promiſſione gratiæ, quæ ſolam ſpiritualem com-
munionem Chriſti, quæ per fidem eſt, complectitur. Sunt autem
Sacramenta ſigna viſibilia promiſſionis gratiæ. Si abſque corpo- 36.
rali præſentia & manducatione Chriſti, Cœna Domini eſt vacuũ
& inane ſignum; ergo & Baptiſmus erit inane ſignum, & verbũ
Euangelij erit inanis vox, ſine corporali præſentia & perceptio-
ne Chriſti; quod ſine contumelia miniſterij Euangelici nemo di-
xerit. Si Cœna Domini ſecundùm τὸ ῥητὸν *eſt Nouum Teſtamen-* 37.
tum ſeu fœdus per ſanguinem Chriſti initum cum Deo; aut erunt
duo Noua Teſtamenta, alterum Ceremonia temporalis, alterum
æterna reconciliatio cum Deo; aut quicunq; non perceperunt Cœ-
nam Domini, non erunt participes Noui Teſtamenti, atq; ita nec
ſalutis æternæ. Item, erunt etiam impij & infideles participes 38.
Noui Teſtamenti, id eſt, reconciliationis cum Deo. Si Chriſtus in 39.
Cœna Domini corporaliter editur; etiam corporaliter in homini-
bus manet, poſt illum ingreſſum intra animas & corpora veſcen-
tium; contra Scripturã, quæ dicit: Qui adhæret Domino, eſt vnus 1. Cor. 6. 17.

1.Ioh.4.13. *Spiritus cum ipſo. Et; Ex hoc cognoſcimus quòd in nobis manet*
40. *& nos in ipſo,quia de Spiritu ſuo dat nobis. Si autem in veſcenti-*
bus corporaliter manet; ergo in aliis, videlicet in fidelibus, qui
non acceſſerunt ad Cœnam Domini,manet Chriſtus tantùm ſpi-
ritualiter;nunquam enim corporaliter eum ederunt:in aliis,vi-
delicet in impiis accedentibus ad Cœnam Domini,tantùm corpo-
raliter;non enim iſti edunt eum nec manentem in ſe habent ſpi-
ritualiter: in aliis autem ſpiritualiter & corporaliter, videlicet
in piis ſumentibus Cœnam Domini; vtpote qui edant eum ſpiri-
tualiter & corporaliter.Non enim editur Chriſtus,vt euaneſcat,
aut rurſus diſcedat;ſed vt maneat deinceps in manducantibus
ipſum. Hæc autem varia manſio Chriſti in hominibus,repugnat
communioni Sanctorum, quam in Chriſto omnes & ſoli fideles
vnam & eandem habent,vſq; in æternum.Deniq; erit quartum
genus hominum ,nimirum impij qui ad Cœnam nunquam acce-
dunt; In his neq; ſpiritualiter neq; corporaliter erit Chriſti cor-
pus;quandoquidem illi hoc neutro modo manducant & recipiũt:
41. *ac proinde nec erit* VBIQVE. *Si Chriſtum manducant etiam*
impij; auellitur Chriſtus à ſuo Spiritu,& à ſuis beneficiis; contra
vniuerſam Scripturam,quæ teſtatur,neque Chriſti ſine Spiritu
Ioh. 6.57. 58. *& vita, neq; horum ſine Chriſto,quenquam fieri participem, &*
42. *qui manducat ipſum,hũc viuere propter ipſum. Si propter phra-*
ſim Sacramentalem,qua panis corpus Chriſti nominatur, Chri-
ſtus editur ſine fide; etiam aliæ res ſignificatæ & promiſſæ, in hoc
& in omnibus Sacramentis, neceſſariò accipi poterunt ſine fide:
quia eadem cauſſa,videlicet loquutio Sacramentalis, qua ſignis
rerum nomina & proprietates tribuuntur, in omnibus Sacra-
43. *mentis reperitur. Si ad verborum recitationem ſuper panem,*
& ad ritus externi obſeruationem,adeſt huic pani corpus Chriſti
ſubſtantialiter, & cum eo manducatur corporaliter; etiam Iu-
dæi, Mahumetani, & omnes Athei, qui ſunt illis deteriores, ſi
accedant ad Cœnam Domini,ſiue profitentes,ſiue non profitentes

nomen

nomen Chriſtianum, edunt corpus Chriſti: quod repugnat inſtituto Chriſti, qui ſuis diſcipulis & fidelibus Cœnam ſuam inſtituit; ſuis autem hoſtibus ſiue profeſſis ſiue occultis, tam eam non inſtituit aut in ea quicquam promiſit, quàm canibus & porcis.

Deplorādæ ſunt corruptelæ Religionis Chriſtianæ, quas recitauimus, & earum ſimiles; ſed longè triſtius eſt, quòd his monſtris opinionum, ſtabilitur & fouetur in animis hominum Idolomania Pontificia, quæ non nititur mutatione panis in carnem Chriſti, ſed corporali præſentia Chriſti. Siue enim ſub ſpecie panis ſiue ſub ipſo pane lateat Chriſtus, ſi modò corporaliter ibi eſſe ſtatuatur, vbi iſte panis eſt; eadem abſurda & idololatrica commenta ſequuntur. Nam ſi verum eſt, quod iſti Theologi dicunt, corporalem & oralem eſum carnis Chriſti, fieri ad fidelium conſolationē, ad ſanctitatis, ſalutis ac vitæ æternæ in hominibus effectionē, ad corporum viuificationē, & glorioſam reſuſcitationē; nō habebūt vitam, qui Chriſtum oraliter non manducarunt, & non ſufficiet ad hæc beneficia Chriſti percipienda, ſola manducatio & communio Chriſti ſpiritualis, quæ fit per fidem; ſicut dicitur; vt habitet Chriſtus in cordibus veſtris per fidem. Cum autem oſtenſum ſit, Eph. 3. 17.
manducationem illam oralem nihil eſſe, niſi figmentum hominū: intelligunt pij, non ſatis deplorari poſſe ſuperſtitioſam opinionem, qua corrumpitur manifeſtè doctrina de iuſtitia & ſalute per Solam *fidem accipiēda; & quod Scriptura* Soli *manducationi* Ioh. 6.
ſpirituali carnis Chriſti aſſignat, hoc ad commentitium eſum oralem transfertur. 44.

Cum aduerſarij noſtri de Cœna Domini, & eius vſu, præclarè, magnificè & diuinè videri volunt diſſerere, & ſuæ Theologiæ theſauros explicare; fructus oralis manducationis carnis Chriſti multos annumerant, deprædicant, amplificant: de cauſſa ſumtionis panis & vini altum ſilentium eſt, aut nihil dicitur niſi quòd ſint organa, id eſt, opercula aut vehicula, quibus occultatum corpus & ſanguis Chriſti recipiantur ore intra veſcentium corpora.

Sic vera & vnica ſalutis via & Sacramentorum vſus obſcuratur, & miſer populus conſolationem quærere, fiduciam collocare docetur in vanitate & mendacio; & impia operis operati, quam vocant, opinio confirmatur. Hoc inculcatur valentibus animæ Viaticum. *præſidium, ægrotis remedium, morientibus viaticum; quo accepto decedentes è vita, ſancti & beati prædicantur, ſine quo morientes, minus propitium numen habuiſſe iudicantur. Hinc apud plurimos obtinet hæc opinio, ſiue aliquid ſiue nihil ſciãt de Chriſtianiſmo, ſi modò fortiter teneant præſentiam Chriſti corporalẽ in pane, ſe optimos eſſe Chriſtianos; & inualeſcit conſuetudo, vt totum annum Bacchanalia viuentes, ſi ſemel accedentes ad Synaxin, biduum vel triduum Curios ſimulent, omnia ſua peccata, velut ſumto pharmaco, expurgata & deleta eſſe putent, atque ita ſecurè noua debita contrahere pergant; aut per omnem vitam nihil de Deo cogitantes, ſufficere ſibi fingant ad ſalutem, ſi morituri, accerſito Sacerdote, amuleto ſe cibari petant. Hæc non ſunt* λογομαχίαι, *nec de lana caprina contentio, ſed de rebus maximis, & fundamentis Religionis diſputatio.*

45. *Adhæc, verbis quidem deteſtantur Sacrificium propitiatorium Miſſæ Papiſticæ, ſed reipſa fundamentum eius retinent ac tuentur. Dicunt enim, qui nunc idola Pontificia excuſant, ſe non mactare, aut crucifigere Chriſtum in miſſa, ſed eum corporaliter præſentem & geſtatum in manibus Sacerdotum, offerre, exhibere & monſtrare æterno Patri, ac petere, vt ſibi & aliis peccata remittat, & det vitam æternam propter hunc ſuum Filium, quem* Thucyd. lib. 1. *ipſi teneant ſuis manibus: quemadmodum Themiſtocles dux Athenienſis, profugus, ſupplicat Admeto Moloſſorum regi, ſedens ad aram, & manibus tenens, patriꝗ, oſtendens Admeti filiolum, & orans propter eum ſibi parci, nec ſe dedi hoſtibus. Atque hanc volunt eſſe ſacrificij in cruce ſemel facti, ad ſingulos applicationẽ. Sic enim ſcribit Hoſius de ſacrificio Miſſæ:* Quam Chriſtus obtulit in cruce hoſtiam, eam Patri ſiſtimus, ſupplices orantes,

tes, vt illius contemplatione, nobis placatus & propitius eſſe, ſuæque promiſſionis, ac fructus illius, quem illa mundo attulit vniuerſo, nos participes eſſe velit. *Et ibidem*: Chriſtus hîc offertur, vt iam pridem promeritã remiſſionem peccatorum & ſalutem in cruce, fide & deuotione nobis applicemus. *Hæc ille & alij, qui nunc Papatum callida rhetorica fucare conantur.*

Hos nouos colores veteris Idoli, non facilè abſtergent, qui corporalem præſentiam Chriſti in pane defendunt. Ea enim poſita, facilè obtinebitur, petendam & expectandam eſſe à Deo remiſſionem peccatorum, propter hunc Filium ſuum, qui manibus Sacerdotum de altari tollitur, & in hominum ora defertur: Sicut ille Theologus dicebat: Oportet vt dicas, quid hoc ſit, quod Sacerdos habet in manu. *Hæc autem, cum Chriſti fictitij in Sacerdotum manibus, ſit oblatio; ſine dubio idololatrica eſt.* Melanch. ad Palat.

64. *Denique, manet adoratio panis Pontificia, ſiue Chriſtus ſub ſpecie, ſiue ſub eſſentia panis corporaliter præſens fingatur adorari. Si enim ibi præſens eſt Chriſtus ſuo corpore, neceſſariò ſequitur, in pane ſiue ad panem illum eſſe adorandũ. Neq; excuſatur Idololatria, cùm dicitur non panis aut non ſpecies panis, ſed Chriſtus in ea latens adorari. Eſt enim idololatricum, adorare Deum ad vllam rem creatam conuerſa animi cogitatione & corporis geſtu, reuerentiam numinis ſignificante, ſine expreſſo Dei mandato. Non tantùm enim aliud loco veri Dei colere, quod in primo Decalogi præcepto prohibetur; ſed etiam aliter, atque ipſe præcepit, Deum colere, Idololatriæ crimen eſt, quod in ſecundo præcepto vetatur, & paſſim in Scriptura. Hoc autem genus Idololatriæ committunt, qui honorem & adorationem Dei ad vllum locum, aut vllam creaturam alligant & dirigunt, ad quam alligari & dirigi eam Deus non iuſſit. Hæc ſola fuit cauſſa, quare Deum rectè coluerint, qui animi reuerentia & corporis geſtu cõuerſi ad Arcam fœderis, ipſum adorabant, tanquam ibi ſingulari modo præſentẽ*

ad exaudiendum inuocantes: quia Deus hanc adorationem ceremonialem ſui ad Arcam præceperat, addita promiſsione de exaudiendis ipſum ibi adorantibus. Contrà verò, qui eundem Deum qui colebatur Ieroſolymis, profitebãtur ſe adorare ad vitulos aureos in Dan & Bethel, & in templo Samaritano, eos tanquã Idololatras accuſant Prophetæ, & puniẽdos ab irato Deo minantur, ſicuti eſt factum. In Nouo autem Teſtamento, poſt Chriſti aſcenſionem in cœlum, omnis eiuſmodi adoratio Dei ceremonialis, qua conuerſi ad rem aut locum certum in terris, Deo reuerẽtiam præ-

Ioh. 4. 21 *ſtemus, à Deo ſublata & damnata eſt: Venit enim tẽpus, quo neq; Ieroſolymis, neq; alibi in terris adorandus eſt pater, ſed in Spiritu & veritate, ſurſum ſublatis cordibus in cœlum. Qui igitur Chriſtum adorant in iſto, vel apud iſtum, vel coram iſto pane, tanquã ibi corporaliter præſentem; æquè craſſam, & Deo diſplicentẽ Idololatriam admittunt, atque is, qui coram quouis pane communi, aut quouis trunco aut lapide procidens, in eo Chriſtum ſe adorare dicat. Iam verò, ſi Chriſtus in pane Euchariſtico præſens eſſet corporaliter, neceſſariò nos ad panem hunc conuerſos, oporteret ipſi reuerentiam & adorationem Deo debitam exhibere. Alligata eſt enim adoratio ad hãc naturam humanam aſſumtam à Filio Dei, vt vbicũque vel ſenſu noſtro, vel verbo ipſius conſtat, eam eſſe præſentem, eò dirigi adorationem & honorem Chriſti animo &*

Heb. 1. 6. *corpore neceſſe ſit: Sicut dictum eſt: Adorent eum omnes Angeli Dei. Eſtq; fabula impia & in Chriſtum contumelioſa, quod aliqui reſpondent, Chriſtum adeſſe huic pani ſuo corpore, non vt in eo adoretur, ſed vt in eo edatur, neq; iuſsiſſe ibi ſe adorari, ſed edi. Sufficit enim vniuerſale Dei mandatum de adorando Chriſto, ad aſſerendum ei ſuum honorem. Si igitur conſtaret, eum ibi præſentem eſſe corpore ſuo; tam non eſſet nobis expectandũ ſpeciale mandatum, de reuerentia & honore diuino ipſi in hoc pane exhibendo, quàm non expectabat nec expectare debebat Thomas ſingulare mandatum de adorando Chriſto, quem videbat ob oculos*

ſuos

ſuos ſtantem in conclaui, ſed eo agnito ſtatim ſui memor officij, procidens coram eo exclamat; Dominus meus, & Deus meus. In regis aut Principis conſpectum nemo ſanus prodit, quin ad illum conuerſo vultu, reuerentiam ei debitam exhibeat: Quæ igitur fuerit impietas, ſi Chriſtus tam propè nobis aſſiſtat corporaliter, vt per manus Sacerdotum in ora noſtra cum pane ſe deferri patiatur, non toto animo & corpore ad panem illum conuerſo, diuinos honores Chriſto præſtare? Nec obſtat, quòd ibi non cernitur oculis. Si enim verbi ipſius teſtimonio conſtaret eum adeſſe ibi ſuo corpore, hoc magis ad credendum, & ibi adorãdum ipſum, nos obligaret, quàm teſtimonium noſtri ſenſus. Sic Ioh. 9. 38. cæcus agnitum Dei Filiũ ſtatim adorat.

Neq; illud ſuperſtitionem excuſat, quòd Deus & Chriſtus in omni loco adorãdus eſt. Fieri enim adoratio Dei debet in omni loco, non autem ad omnem locũ dirigi, ſed eò tantùm, quò ipſè præcepit. Sic Daniel adorabat Deum in media Babylone, non conuerſus animo & corpore ad ſtatuas & Idola Babylonica, neque ad perſonam regis Aſſyrij aut Perſici, ſed verſus Ieroſolymam & locum Arcæ fœderis, à Deo deſtinatum adorationi ceremoniali. Dan. 6. 10.

Non igitur defunguntur hîc Theologi, dum adorationem panis & vini, aut ſpecierum panis & vini damnant, & Chriſtum in vero vſu Cœnæ adorandum eſſe, à nullo niſi hæretico Ariano negari poſſe dicunt. Multum enim differunt, adoratio Chriſti in Cœna, & adoratio Chriſti in pane. Non interrogantur, an adoranda ſint Elementa viſibilia: hoc enim cum ipſis negamus: imò etiam Papiſtæ negant. Non interrogantur, an Chriſtus ſit adorandus in vſu Cœnæ: Hoc enim cum ipſis fatemur & aſſerimus. Sed interrogãtur, an Chriſtus ſit adorandus in pane, aut in ſpecie panis, tanquam in loco eo, in quo panis eſt, corporaliter præſens. Hoc Papiſtæ fatentur, magis in hac parte ingenui, quàm iſti Theologi, qui ſoli volunt haberi & dici Lutherani. Nos negamus, ex rationibus iam expoſitis. Iſti autem diſſimulant, quaſi per regionem pacatam tranſeuntes. Non eſt de Eccleſia, qui non adorat

Deum & Chriſtum cum Eccleſia præſertim congregata ad verbũ Dei audiendum & Sacramentis vtendum: non manducat Chriſtum in Cœna, qui non orat, vt Chriſtus in ipſo & ipſe in Chriſto maneat, & de hac manſione Chriſto agit gratias. Sed hinc non ſequitur, Chriſtum eſſe adorandum in pane. Aliter docuit nos o-
Matt. 14. 19. *rare Dominus; Pater noſter, qui es in cœlis; aliter adorat ipſe, cùm*
Ioh. 17.1. *ſuſpiciens in cœlum benedixit: cùm ſublatis in cœlum oculis, di-*
Act 7.55. *xit; Pater, venit hora &c. Et Stephanus intendens oculos in cœ-*
Col. 3.1. *lum; Aliter Apoſtolus, iubens nos, quæ ſurſum ſunt quærere, & ſapere, vbi eſt Chriſtus ad dextram Dei ſedens: aliter Eccleſia, quæ dixit olim in Cœnæ adminiſtratione;* SVRSVM CORDA.

Horribilem impietatem eſſe vociferantur, ſi quis dicat, Corpus Chriſti tam procul abeſſe à pane, quàm cœlum à terra; & fidẽ viſibili ſigno, ſicut verbo, excitatam, ſe in cœlum ad Chriſtum at-
I.Cor. 10. hom. 24. *tollere. Impius ergo illis & Sacramentarius eſt Chryſoſtomus, cùm inquit:* Aquilas autem appellat, vt oſtẽdat, ad alta cum oportere contendere, qui ad hoc corpus accedit, & nihil cum terra ei eſſe debere commune, neque ad inferiora trahi ac repere; ſed ad ſuperiora ſemper volare, & in Solem iuſtitiæ intueri, mentiſque oculum acutiſſimum habere. Aquilarum enim, non graculorum hæc menſa eſt, & tunc occurrent ex cœlis deſcendenti, qui nunc dignè fruuntur, quemadmodum qui indignè, vltima patientur. *Cur igitur nunc intentis oculis in panem, &* DEORSVM *conuerſis cordibus ad panem, iubemur in animo ſic orare; Domine Ieſu Chriſte, qui corporaliter præſens es in hoc pane, & cum hoc pane ingrederis in os meum, ſerua me? Cur non hanc etiam adorationem Chriſti, in ſuos anathematiſmos retulerunt Theologi? Nimirum, quia vident hac negata, actum eſſe de corporali præſentia Chriſti in pane. Nobis autem vterque, & qui non adorat Chriſtum in Cœna, hoc eſt, nõ petit & expectat ſalutem à Chriſto & propter Chriſtũ, in vſu Cœnæ ſacræ, & qui adorat Chriſtum in pane, hoc eſt, petit*

& expectat ſalutem à Chriſto & propter Chriſtum corporaliter præſentem in pane, anathema eſto. Liceat enim nobis quoq; vnũ anathema iuſtum proferre, cum illi tam multa iniuſta impunè protulerint. Ac ſanè, non minùs neceſſarium fuiſſe hunc anathematiſmum, ab ipſis omiſſum, quàm erant multi ab ipſis poſiti, vtinam non loqueretur experientia. Notum eſt, ex quo fonte promanent præcepta de reſecandis barbis ſuperioris labri, & de bene remouendis peplis; raſiones pauimentorum, exuſtiones veſtium, in quas caſu aliquo gutta ex poculo delapſa ſit; indignitas laicorũ attrectandi manibus panem conſecratum; priuilegium ſacerdotale ſuis manibus geſtandi corpus Domini; iteratæ conſecrationes panis & vini, ſi fortè primò conſecrata non ſuffecerunt cõmunicantibus; cautio non attingendi dentibus cruſtula ſacrata, & deglutiendi integra, aduerſante licet confeſſione Berengarij; ſputorum proiectiones per dies aliquot in parietes aut ſtrophia; & horum ſimilia, quæ cum deploranda potiùs quàm ridenda ſint in hac Euangelij luce, non ſine dolore cogitamus. Quòd ſi autem Theologi Camarinam hanc mouere perrexerint; hoc efficient, vt mundus videat, eos cauſſam multò difficiliorem ſuſcepiſſe, quàm cui tuendæ vniuerſa ſophiſmatum ſuorum armatura ſufficiat. Nunc ſatis eſt nobis oſtendiſſe, in libro Bergenſi, partim ipſius dogmatibus, partim ex his conſequentibus abſurdis, multipliciter doctrinam Eccleſiæ deprauari, articulos fidei euerti, in ſpectra & allegorias transformari, & in ſenſus alienos detorqueri, hæreſium & Idolorum fundamenta poni, & radices plantari. Neque hæc ſunt eiuſmodi abſurda, qualia ipſi nobis ſolent obiicere, falsò & ſophiſticè extructa, ſed ex ipſorum dogmatibus neceſſariò conſequentia, ac proinde falſitatem illorum arguentia: ſiquidem ex quo falſum ſequitur, ipſum quoq; falſum eſſe oportet. Non tamẽ omnia recitauimus; nec articulos ceteros libri iam attingimus.

Omittimus etiam, quòd non poſſunt doctrinam Chriſtianam

non corrumpere & obſcurare ipſorum noua, & hactenus in Eccleſia inaudita multarum rerum definitiones, vt, vnionis hypoſtaticæ, communicationis Idiomatum, cœli, & Aſcenſionis in cœlum, dextra Dei, & Maieſtatis Chriſti, vnionis Sacramentalis &c: noua item detorſiones dictorum Scripturæ de Chriſto, à perſona ad naturam alteram, ab officio ad naturarum proprietates & operationes &c: noua & ſophiſticæ diſtinctiones, vt, Actus primi Vbiquitatis & ſecundi; trium modorum vnius corporis exiſtendi alicubi; duplicis Eſſe corporis, perſonalis & naturalis; Vbiquitatis per ſe ſiue ex ſe, & per diſpenſationem: Veterum autem, in Scriptura & Eccleſia traditarum & neceſſariarum diſtinctionũ prætéritio, obſcuratio & confuſio, vt, communicationis Idiomatum & vnionis naturarum; donorum naturæ humanæ & eſſentialium proprietatum Dei; vnionis hypoſtaticæ ſeu incarnationis & exaltationis; proprietatum vtriuſq; naturæ & officij perſonæ; Abſtractorum nominum diuinæ & humanæ naturæ & Cõcretorum; Infirmitatum carnis & propriorum naturæ humanæ, & officij Mediatoris; Vnionis & communionis; Aſcenſionis & ſeßionis ad dexteram Patris; Prærogatiuarum naturæ humanæ & officij; Temporum humilitatis & gloriæ; præſentiæ Dei in Chriſto homine & in aliis creaturis, & ſimilium rerum, quarum diſcriminibus non obſeruatis, tota religionis doctrina tenebris inuoluitur, quemadmodum in libro Bergenſi apparet.

Huc accedit, quòd vberrima ſcaturigo ſectarum, & breuiſſima ad errores via eſt, cum autoritate ſacrarum literarum obſcurata, hominum ſcripta & placita æquantur diuinis, & normæ fidei præter Scripturam conſtituuntur, ſicut à Theologis Liber Bergenſis & ſcripta Lutheri. Neq; occurritur huic periculo, dum veteres hæreſes & recentes excludunt & damnant. Multas enim ex his, mutatis verbis poſtliminio reuocant & ſtabiliunt: Et paßim referunt ſe ad ſuos libros Vbiquitarios, tanquam Formulæ ſuæ declarationes, in quibus tam copioſa errorum ſeges eſt,

vt

*vt ſoli ad fundamenta Chriſtianiſmi euertenda ſufficerent, ſi ca-
nonica autoritas illis concederetur, qua illos munire Theologi co-
nantur.*

*Tollunt ex Corpore doctrinæ, & condemnant libros Philippi,
& aliorum, in quibus ſana de Chriſto & ſacra Cœna doctrina &* Floſculi
ſermonis forma retinetur: Libros Lutheri Polemicos, & ſuos V- decerpti ex horto
biquitarios, in quibus portenta ſunt opinionum & verborum, ha Vbiquita-
beri volunt pro authentica & ordinaria gloſſa noui ſui Canonis. rio.
Legũtur in illis libris hæc verba: Natura cuiuſuis hominis nũc Br. de Maieſt. p. 24.
In cœlo exiſtentis *(ſi videlicet alicubi ſit Deitas, vbi non ſit hu
manitas)* inſita eſt Filio Dei, & ipſi in vnitate perſonæ cõ
iũcta. *Itẽ:* Sicut Chriſtus cõſtat ex duabus naturis, diuina & Recog. p.
humana, ita negari nõ poteſt, quin & alij homines cõſtent 1.
ſuo quodam modo ex his duabus naturis, idque inſepara-
biliter. *Item:* In quouis homine ſunt duæ diſtinctæ natu-
ræ ſibi coniunctæ & connexæ & vnitæ indiſſolubiliter.
Item: Vnio hypoſtatica duarum naturarum in Chriſto, I. A. diſp. Tub. Th.
ſola hac proprietatum communicatione, qua omnis ἐνέρ- 23.
γεια, id eſt, efficacia in humanam naturam effunditur, de-
finienda eſt. *Item:* Statuimus idem, hominem & huma- Protoc. Tub. p. 56.
nam naturam. *Item:* Plenitudinis Dei, homini commu- Cont. In-
nicatæ alia eſt ratio ab ea, quæ Deus ipſe eſt; æqualitas cum gols. p. 77.
Deo, non identitas. *Item:* Impropriam & nunquam ferẽ- Seln. con-
dam eſſe phraſin Theodoreti; Chriſtus in quantum Deus, fut. p. 192.
non fuit obnoxius paſſioni: quatenus Deus, eſt impaſſibi-
lis. *Item:* Vnum idemque corpus, quod erat in Hieruſa- Br. de per.
lem viſibiliter & localiter, cum in templo concionaretur, vn. p. 12.
aut in cruce penderet, erat cum Deitate ſimul Romæ, A-
thenis, in cœlo, & vbicunque ea eſſet, extra omnia loca in-
uiſibiliter & illocaliter. *Item:* Voco in præſentia diuini- De Maie.
tatem Chriſti, non eam, quam Filius Dei in ſe ab æterno p. 91.
habuit, ſed quam tempore incarnationis Filio hominis

communicauit ſeu participauit. Alia enim eſt Diuinitas communicans ſeu participans, alia communicata ſeu participata; ſicut alius eſt donator, aliud donũ. Chriſtus igitur iuxta participatam carni ſuæ diuinitatem, implebat cœlum & terram, qui tamen iuxta œconomiam non erat
Recog. p. 90. amplius in ſepulcro. *Item:* Firmum adhuc & fixum manet, quòd Chriſtus Filius Dei, Maieſtate diuinitatis, non ſolùm æternæ iſtius, quam habet à Patre ſuo ab æterno, & quam habet communem cum omnibus hominibus, imò cum omnibus creaturis; ſed etiam illius, quam Filio hominis in vnam perſonam aſſumto, in tempore plenitudinis communicauit, impleat non mille tãtùm, aut duo millia
Cõt. Ing. p. 40. locorum, ſed cœlum & terram. *Item:* Nunquam diximus, nunquam ſcripſimus, nunquam credidimus, Maieſtatem communicatam homini eſſe Idioma Dei, id eſt, ἴδιον ſubſtantiæ verbi, neque naturale; ſed gratuitum & donatum.
Muſc. de Cœna. ſect. 3. ar. 5 *Item:* Deſcendere & Aſcendere Filium hominis, nihil aliud eſt & ſignificat, quàm apparere & diſparere. *Item:*
Ib. art. 6. Conſtat Filij hominis aſcenſionem in cœlum, nihil aliud
Muſc. cõt. phyſ. locat. p. 30. eſſe, quàm viſibilem diſparentiam. *Item:* Non leuis eſt impietas, dicere, Chriſtum aſcendentem in cœlum, profectum eſſe in aliqua ſuperiora cœli loca, aut etiam vltra & extra mundum. Hoc ſi ita ſe haberet, certè Paulus aut non mentis compos tunc fuit, cùm diceret, ſanctorum cõuerſationem eſſe in cœlo, aut ipſe neſciuit quid dixerit.
Br. Recog. 149. 150. *Item:* Cœlum ſupra hunc mundum in locis excelſis, prorſus eſt fictitium, neque vnquam fuit, neque vnquam erit.
Ib. 223. *Item:* Infernus localis eſt fictitius: icircò impij eò nec de-
De Maie. 160. ſcendunt nec aſcendunt. *Item:* In cœlo non tantùm Sancti, ſed etiam Satan & angeli eius inueniuntur. *Item:* In
pa. 162. 182. domo Dei Patris & in regno cœleſti, & infernus, & homi-
Rec. 143. nes impij, & diaboli continentur. *Item:* Quod dicunt Pa-

tres,

tres, corpus humanum habere in altero ſeculo eandem cir cunſcriptionem, quam habuit in hoc ſeculo; ſunt pueriles cogitationes, in quibus illi ſimpliciter ſequuti ſunt communem errorem. *Item:* Cùm Paulus dicit, nos habituros corpus ſpirituale, docet, quòd ita obediet corpus Spiritui, vt & ipſum totum videat, totum audiat, totum operetur, totum ambulet, ſicut Spiritus, qui non habet partes. *Item:* Sicut angeli, ita nec nos erimus in loco, nec mouebimur de loco in locum. *Item:* Ceſſabit in ſanctorum corporibus in altera vita omnis phyſica localitas, circunſcriptio, & in locis concluſio. *Item:* Cœlum, in quo eſt Chriſtus, eſt vbique. *Item:* Deus electis cœlum erit, & beatitudinis locus. *Hæ ſunt manifeſtæ & execrabiles corruptelæ articuli de reſurrectione carnis, de vita æterna, de extremo Iudicio, & ſeparatione piorum & impiorum.* Ibid. 305. Muſc. com. phy. loca. p. 19. Ib. p. 36. Cõ. Theſ. Ingol. pa. 77.

Hæc autem & ſimilia, de aliis etiam doctrinæ partibus, abſurdè & impiè dicta, multa in ipſorum libris extant, quæ liber Bergenſis non modò non damnat, ſed etiam refert in Canonem doctrinæ, dum nos ad iſtos libros remittit. Meliùs ergo longè ſentimus & ſperamus de Illuſtriſſimis Principibus & ceteris Ordinibus Imperij, tam qui ſubſcripſerunt, quàm qui non ſubſcripſerunt Theologis Bergenſibus; quàm vt formulæ iſtius defenſione, velint hæc monſtra dogmatum in Eccleſias ſuas introduci.

Si graſſati antehac fuiſſent errores horum Theologorum in Eccleſiis, de tollendis illis ſummo ſtudio laborandum erat. Cùm autem noua ſint hæc commenta, & Confeſſioni etiam Auguſtanæ repugnent; quantò magis cauendum eſt, ne admittantur? Inſcribitur liber Bergenſis, Auguſtanæ Confeſſionis repetitio. Hic titulus hedera ſuſpenſa eſt; ſed dogmata Libri ſunt fœnum in cornu. Vbi enim eſt vbiquitas corporis Chriſti, & vbiquitas cœli, in Auguſtana Confeſſione? Reuera itaq; Confeſſio Eccleſiarum à Scriptura, à Symbolis, à veteri Eccleſia, & à ſe ipſa diuellitur, affin- II.

gendo ei, quæ cum ipſa ex diametro pugnant. A neceſſariis, & publico tot annorum conſenſu probatis, nec à quoquam aduerſariorum refutatis emendationibus & declarationibus quorundam quæ in ea deſiderabantur, Eccleſiæ reuocantur ad exemplar primò exhibitum, hoc eſt, à frugibus ad glandes, à profectu ad rudimenta, à bonis, veteribus, publicis interpretationibus, ad malas, nouas, & priuatas quorundã corruptelas. Põtificiis ſuppeditatur iuſtiſſima Eccleſiarum accuſatio, nouæ atq; impiæ doctrinæ, defectionis à tot annorũ Confeſſione. Recepto libro Bergenſi, tam non poteſt culpa hæc defendi, quàm non potuerunt defendere Theologi ſua noua dogmata, aduerſus noſtros & aduerſus Pontificios, quæ nunc Principum & Eccleſiarum & Confeſſionis Auguſtanæ nomine illis præſcripto, conantur tueri, vt illorum honor ſit ipſorũ turpitudinis operculum. Atq; hæc ſola cauſſa eſt, cur ipſi Confeſſioni & Apologiæ in nouo ſuo corpore locum relinquant, vt ſpecie Confeſſionis retentæ, ſententiam Confeſſionis abiiciant & corrumpant, eiectis libris cum ea conſentientibus, & repoſitis, cum ea pugnantibus. Qui ergo honeſtam & ſalutarem Eccleſiis iudicant, in Auguſtanæ Confeſſionis doctrina perſeuerantiam & profectum, eos in publicis eius declarationibus, in Scriptura fundatis, Papiſtis & omnibus aduerſariis hactenus oppoſitis, perſtare; qui turpem & pernicioſam eſſe cenſent ab ea defectionem, & eius deprauationem, eos Libri Bergenſis corruptelas cauere oportebit.

III. *Miniſterÿ & religionis omnis autoritas huius Libri exſequutione, non poſſet non funditus conuelli. Aut enim doctores Eccleſiarum & Scholarum diſcedunt iam à veritate, ſi doctrina in libris priſtini Corporis comprehenſa eſt vera, ſicut veram eſſe & Theologi Bergenſes, & qui illis ſubſcripſerunt, ſermonibus & ſcriptis priuatim & publicè antehac ſunt confeſſi: aut illi priùs à veritate aberrarunt, & audaci aſſeueratione de rebus maximis, populum ſeduxerunt. Hinc autem neceſſe eſt lædi atrociter famam & exiſtimationem miniſtrorum in Eccleſiis Germaniæ: qui accu-*

accuſabuntur à ſuis auditoribus aut leuitatis, inconſtantiæ & apoſtaſiæ, aut temeritatis & ſeductionis. Cogitatio & vox omniũ hæc erit: ſiquidem priùs errarunt, quid ſi nunc etiam errent? Idq́ cogitandi maiorem nunc rationem habebunt, quàm antea; quia hactenus propoſuerunt doctrinam ſimplicem, planam, cum Scriptura, articulis fidei, & veteri Eccleſia congruentem; nunc verò nouam, perplexam, ſibi & Scripturæ, & fidei analogiæ, & piæ vetuſtati repugnantem; priùs nitentem ſolidis argumentis, nunc ſophiſmatibus, & nullis rationibus ſuffultam. Hinc non poteſt non ſequi ſummus contemtus & odium miniſtrorum & doctrinæ, & tandem vel Epicureiſmus & Atheiſmus, vel de veritate & ſalute inuenienda deſperatio. Videndum itaq; meritò eſt miniſtris Eccleſiarum, vt ſeria veritatis inquiſitione, & conſtanti profeſſione, hanc ſubſcriptionis maculam eluant; Illuſtriſſimis autem Principibus, & ceteris Ordinibus, ne Theologorum perſuaſionibus inducti; ſubſcriptionem vrgendo, tantis malis occaſionem præbeant.

Diſſidia quæ hactenus in Eccleſiis fuerunt, Liber iſte receptus IIII. *augeret, vetera & iam olim ſepulta reſuſcitaret, & noua his non leuiora excitaret. Noua enim dogmata, & nouæ phraſes, non poſſunt non noua certamina parere. Quid dicemus de tot falſis, ambiguis, obſcuris, inter ſe pugnantibus ſententiis, quæ in iſto Libro occurrunt? Quid autem de veterum hæreſium, Conciliis Oecumenicis damnatarum, ab inferis reuocatione, & nouarum occaſione? Hæc partim nunquam conciliari poterunt, partim nũquam eodem modo ab omnibus intelligentur. Multæ controuerſiæ, vt de peccato ſubſtantiali, de adiaphoris, vltrò conquieuerunt; Hæ præter neceſſitatem in lucem reuocantur. Quæ commodè dicta & explicata ab aliis fuêre, vt de Lege & Euangelio, de libero Arbitrio & Prædeſtinatione, de Sacramentis & de Cœna, de Chriſti perſona, aſcenſione, exaltatione & reditu, de reſurrectione & vita æterna; partim damnantur, partim implicantur*

& obſcurantur, partim corrumpuntur: Ambiguè dicta, quæ candida explicatione conciliari poterant, vt de libero Arbitrio, de bonis operibus, odioſè exagitantur, & in deteriorem partem accepta damnantur. Hæc alij excuſabunt, alij reiicient. Lutheri ſcripta prolixa & varia, præſertim Polemica, pro norma & declaratione authentica proponuntur, quæ ſi valeat, inquietis & contentioſis ingeniis, perpetua rixandi materia obiicitur. Veriſſima eſt igitur quorundam ex Libri conſarcinatoribus confeſſio, fore ipſum perpetuum contentionum in Eccleſiis ſeminarium.

V. *Ex his autem neceſſariò grauiſſima ſcandala infirmorum, & conſcientiarum vulnera in Eccleſia conſequuntur, tam apud miniſtros, quàm apud populum. Multi enim miniſtri, contra conſcientiam, operatione Theologorum ad ſubſcribendum ſunt compulſi, qui nunc lugent & conqueruntur: multi torquebuntur deinceps, cùm apertis ſibi oculis videbunt, quantum mali fecerint. Auditores vident aboleri vetus doctrinæ Corpus, ignorantes abolitionis cauſſas, cum errores illius nec demonſtrati vnquam ſint, nec demonſtrari poſſint pleriqu, quorum inſimulatur. Hinc fieri non poteſt, quin alij profaneſcant, alij in dubitationem anxiam coniiciantur, non valentes ſtatuere quid ſit verum; atq; ita fides labefactetur, inuocatio Dei turbetur, & Spiritus ſanctus contriſtetur in plurimorum cordibus, & infirmis occaſio deſperationis, aut defectionis ad Papiſtas, ad Schvuencfeldianos, ad Anabaptiſtas, & alios, præbeatur.*

VI. *Idem ſcandalum apud aduerſarios ſequeretur, Papiſtas & reliquos, qui per ignorantiam alieni ſunt ab Euangelio, & melius edocti veritatem erant amplexuri. Hi cùm vident confuſionem, nouitatem, repugnantiam & abſurditatem dogmatum Libri, confirmantur in ignorantia & odio doctrinæ, alienantur ab inquiſitione, & abſterrentur magis magisq́; ab acceſſu ad puriorem Eccleſiam.*

Augeret

Augeret hoc malum deformatio reformatarum Eccleſiarum, quæ perpetuò accuſantur ab aduerſariis ſchiſmatum & hæreſiũ. Hæ accuſationes facilè prius refellebantur, cum publica Confeſſio Eccleſiarum eſſet eadem & conſentiens, neq; iure dici poſſent Eccleſiæ ſchiſmaticæ propter quorundam priuatas contentiones & rixas. Nunc autem publico nomine ac teſtimonio, à ſe ipſis inuicem accuſantur nõ vnius ſchiſmatis. Affingũt illis abſurda & impia ſua dogmata Vbiquitarij, & ſuas rixas & errores priuatos, faciunt publicas cauſſas Eccleſiarum. Confeſſiones publicæ accuſantur grauiſſimorum errorum, abiecta Confeſſione Saxonica, & omnibus ſcriptis cum ea conſentientibus. Sic vbiquitaria factio, ſua dedecora in Eccleſias deriuare conatur, ad ſe cohoneſtandam. VII.

Hæc ad omnium ſummorum & infimorum, docentium & auditorum in Eccleſiis, honorem & exiſtimationem pertinent. Sed præcipuè his molitionibus Theologorum, deformantur Illuſtriſſimi Principes, quorum honorem eſſe ſaluum Eccleſiæ & Reip. plurimum intereſt. Autoritas laudatiſſimorũ maiorũ, omnium de religione priùs bene actorũ & decretorũ, atq; adeò totius Eccleſiarũ reformationis, manifeſtè labefactatur: dum priùs rectè & piè conſtitutis & approbatis contraria nunc ſtatuuntur: Corpus doctrinæ, publicis edictis ſancitũ & cõmendatum Eccleſiis & miniſtris, in ipſorũ vocatione & ordinatione, priuatim & publicè receptũ à pleriſq; Auguſt. Confeſſionis ſociis Ordinibus, & à ceteris Eccleſiis probatũ, & contra Papatũ & omnes hæreticos cũ laude defẽſum, nunc aboletur & damnatur, nulla Eccleſiis cauſſa expoſita, nullius erroris conuictũ, tantùm ideo quia nõ patrocinatur Vbiquitati. Nam calumnia eſt nimis aperta, extorquendos per illud fuiſſe ex manibus hominum libros Lutheri: cum ſuccincto illo ac perſpicuo doctrinæ ſyſtemate, potiùs ad Lutheri & aliorum veterum & recẽtium prolixa & varia ſcripta, cum iudicio & fructu legenda, iuuentus præparetur. Nec leuiter hanc VIII.

deformitatem cumularent autores conſilij, quod perſuaderi ſibi paſſi fuiſſent Principes ab iſtis Theologis, quorum Coryphæus paulò antè, dum ſimulationibus ſuis Vbiquitatem ſe poſſe prætextu corporis doctrinæ obtrudere ſperabat, ſcripſit hæc verba: In ſcriptis Philippi, & PRAESERTIM in Corpore doctrinæ OMNES articulos Confeſſionis Auguſtanæ piè & rectè declarari: & ſe cum amplectentibus illud, per omnia conſentire. *Item alio loco*: Philippus Melanthon quoque capita doctrinæ Chriſtianæ, quæ Locos communes vocant, conſcripſit, ab ipſo Luthero commendatos; pro quibus laboribus, ſi nullus alius acceſſiſſet, Deo laus, & ipſius nomini gratitudo debetur maxima: *Et ad ſuum quendam ſocium, Theologum VVitembergenſem, poſtea ipſius conſiliis expulſum, hæc ſcripſit*: Ego conſenſum vobiſcum in doctrina conſtanter colam, ac malo mihi potiùs terram dehiſcere, quàm vt latum vnguem diſcedam à Corpore doctrinæ veſtrarum Eccleſiarum. *Poſtquam verò per hanc fraudem ſe obrepere non poſſe vidit, ſic ſcribere non dubitat*; Per ſcripta Philippi, &, PRAESERTIM per Corpus doctrinæ Philippi, D. Lutheri doctrinam, in primis de Cœna Domini extirpandam, & falſam atque damnatam doctrinam Sacramentariorum introducendam fuiſſe. *Qui in doctrina & actionibus ſuis tot modis ſibi diſſimiles & contrarij ſunt; eos certè religionis* ἁρμοστὰς *conſtitui non oportuiſſe, tota poſteritas iudicabit.*

Narra. de Concor. E iij. N ij. b.

Orat. de ſtud. Theol. VVitemb. An. 77. 25. April. C. 3.

Ad Paul. Crell.

Conc. 3. de li. Cõc.

Præſertim autem grauis eſt iniuria Theologorum in illos, qui aliis fuerũt autores, vt ſe Corpori doctrinæ adiungerẽt. Sic enim innocẽtes ſe ipſos reos peragunt, quaſi alios ſeduxiſſent, ipſi doctrinam Chriſtianam nunquam rectè intellexiſſent, dum ab vbiquitate fuerunt alieni. Hæc inconſtantiæ nota non eſſet exigua: ſed multò deformior eſſet ſequutura. Libro enim à multis aduerſariis refutato & vanitate illius atq; impietate detecta & conuicta; non tantùm fieret manifeſtum, eos à ſolido fundamento veritatis

ritatis diuinæ ad humana ſomnia, vnius garruli ſophiſtæ ſuſurris ſe abduci fuiſſe paſſos: ſed etiam aut nouæ mutationes non ſine ignominia, offenſione & difficultate maxima, illis eſſent faciendæ, aut ſolis in manifeſtorum errorum luto, accedente ad leuitatis, nouæ pertinaciæ culpa, deformiter hærendum. In hos Labyrinthos facilè poſſunt ab impoſtoribus induci, ſed non tam facilè ex illis educi. Verum quidem eſt, non adimendam eſſe Eccleſiis libertatem, aliquid mutandi in ſuis confeſſionum formulis; Mutatio enim, quæ in deterius fit, vituperatur, quæ verò in melius, laudem meretur. Itaq; ſuprà diximus, interdum oportere variari aut mutari formulas receptas, vt cùm falsò accuſantur Eccleſiæ ab aduerſariis, de erroribus doctrinæ, aut cum ab hæreticis vel contentioſis, vſitatæ ſermonis formæ deprauantur, aut nouæ controuerſiæ mouentur, publicam deciſionem poſtulãtes, aut cùm ſucceſſu temporis aliquid in illis deprehenditur obſcurum aut vitioſum eſſe. Tum enim neceſſe eſt, edita Confeſſione publica depelli calumnias ab Eccleſiis, explicationes, declarationes, & correctiones communi conſenſu fieri. Sed hîc diligentiſſimè cauendum eſt, ne in crimen temeritatis & leuitatis incidant mutationes, id quod multis modis poteſt euenire: Si nimirum præter grauem & neceſſariam cauſſam, quales ſunt illæ, quæ iam dictæ ſunt, aut iſtarum ſimiles, ex quodam nouandi ſtudio, nouæ Confeſſiones fiebantur: Si ex ambitione, quà interdum homines non aliquid ab aliis, ſed alios potiùs ab ipſis dictata & præſcripta accepiſſe videri volunt: ſi ex aliquorum præſumtione & ſui fiducia, quaſi meliora & cõmodiora omnibus aliis, docere aut loqui poſſe exiſtimẽt: Si ex verborum pugnis inanibus, vbi de rebus non eſt diſſenſio: ſi ex errore quo vera cum falſis, meliora cum deterioribus commutantur: Si ex odio perſonarum, cum quibus ſentire aut loqui videri homines nolint: Si ex paucorum, & vnius partis diſſentientium arbitrio, ad aliorum oppreſſionem: ſi ad condemnandos & excludendos ex Eccleſia & fraternitate Chriſtiana non auditos, aut erroris non conuictos, comparentur.

Talibus cauſis & conſiliis, quæ ſuſcipiuntur mutationes confeſſionum, abſq; dubio perniciosæ Eccleſiis, & magnopere reprehendendæ ſunt. Non tantùm enim his falſa doctrina ſtabilitur, Eccleſia ſchiſmatibus diſcerpitur; ſed etiam, licet non admiſceãtur enormia errata; tamen dum quiſq; ſua ſcribit, ac non omnia omnibus placent, neque ab omnibus eodem modo intelliguntur; certitudo doctrinæ in animis præſertim infirmiorum cõcutitur, qui mutatis verbis doctrinam mutari ſuſpicantur, imbecillitate iudicij; ſubinde aliquid veritati deteritur, & occaſio ac materia nouorum ſubinde certaminum, contentioſis ingeniis ſuppeditatur. Ac plerunque ſolet fieri, vt poſtquam ſemel à rectitudine diſceſſum eſt, conſuetudine mutationis longiùs indies à vero aberretur. De his mutationibus queritur Hilarius, ſic ſcribens ad Conſtantium Imperatorem: Sub neceſſitatis tanquam improbabili occaſione, ſcribendæ atque innouandæ fidei vſus inoleuit, qui poſtquam noua potiùs cœpit cõdere, quàm accepta retinere, nec vetera defendit, nec innouata firmauit: & facta eſt fides temporum potiùs quàm Euangeliorũ, dum & ſecundùm annos ſcribitur, & ſecundùm cõfeſſionem Baptiſmi non tenetur. Periculoſum nobis admodum eſt, atque etiam miſerabile, tot nunc fides exiſtere, quot voluntates, & tot nobis doctrinas eſſe, quot mores, & tot cauſſas blaſphemiarum pullulare, quot vitia ſunt; dum aut ita fides ſcribũtur vt volumus, aut ita vt volumus, intelliguntur. Et cum ſecundùm vnum Deum, & vnum Dominum, & vnum Baptiſma, etiam fides vna ſit; excedimus ab ea fide, quæ ſola eſt; & dum plures fiunt, ad id cœperunt eſſe, ne vlla ſit. Conſcij enim nobis ſumus inuicem, poſt Niceni cõuentus Synodum, nihil aliud quàm fidem ſcribi; dum in verbis pugna eſt, dum de nouitatibus quæſtio eſt, dum de ambiguis occaſio eſt, dum de autoribus querela eſt, dum de ſtudiis certamen eſt, dum in conſenſu difficultas

cultas

cultas eſt, dum alter alteri anathema eſſe cœpit, propè iam nemo Chriſti eſt. Incerto enim doctrinarum vento vagamur, & aut dum docemus, perturbamus, aut dum docemur, erramus. *Hæc ille. Hanc Hilarij querelam in Cramben Bergenſem, toties ab autoribus ſuis recoctam, verè competere, ea quæ hactenus à nobis commemorata ſunt, euidenter oſtendunt. Cauendum igitur eſt, ne eius defenſione, mutatio mutationem pariat. Decipitur enim, ſi cui perſuadetur à Theologis, contemnendam eſſe libri oppugnationem, quantumuis à multis ſuſcipiatur. Falſæ enim reprehenſiones contemni poſſunt; veræ autem non item. Si liber eſſet ſolido veritatis fundamento ſuperſtructus, fruſtra ſanè oppugnaretur. Cum verò perſpicuè oſtenſum ſit, eum diſcedere à Scriptura, à Symbolis, ab antiquitate orthodoxa, & ab Auguſtana Confeſſione; innocentes falſis criminibus grauare; ſibi ipſi minimè conſtare; malè merentur Theologi de ſuis ſubſcriptoribus, dum ipſorum nominibus defendere volunt, quæ veris rationibus defendi non poſſunt. Iniuſtiſſimæ quippe ſunt criminationes Theologorum, quibus nos deformãt, iniuſtiſſimæ condemnationes, iniuſtiſſimus colligendi ſuffragia & librum promulgandi modus. Hæc omnia cum ipſi tueri non poſſint; in humeros Principum & Magiſtratuum, nihil tale ſuſpicantium, exonerare conãtur, vt nobis cum autoritate maledicant. Eorũdem edictis Polemica ſcripta Lutheri referre volunt in Canonem, vt in illis feruore ingenij & contentionis effuſa conuitia & ſcommata, ſuo patrocinio & ſuffragio comprobent Principes, & quaſi ſua faciant, quæ ipſis nec in ſuos, nec in alios dicere, in animo aut decorum eſt. Non ſunt iſta profectò nec Theologis facienda, nec Principibus ferẽda; ſed illud multò minus, quòd hi Theologi Illuſtriſſimis Principibus tam deformem ſeruitutem tentant imponere, vt illorum capita ſint ſolium ſui Pontificatus, ex quo tanquam è ſublimi loco, ſua de religione decreta dictent omnibus Eccleſiis, & fulmina in omnes ea non adorantes iaculentur. Hæc illa præclara eſt*

gloria, quam Theologi promittunt ſuis patronis ad omnem poſteritatem.

IX. *Sed eundem, quem Principibus & Magiſtratibus, etiam Luthero honorem faciant, dum probris ſuis pallium ipſius obducere conantes, multiplici eum ignominia non verentur afficere. Honor Lutheri in eo conſiſtit, vt rectè & piè ab ipſo dicta & facta defendantur: Sicubi autem in rebus aut verbis exceſſit modum aut hallucinatus eſt; id eodem quo reliqua Patrum & piorum doctorum errata, loco habeatur. Iſti verò errata & lapſus Lutheri, quos ſilentio tegere, obliuione ſepelire nobiſcum debebant, mundi totius oculis perpetuò ſpectandos ingerunt. Emendationes & declarationes Auguſtanæ Confeſſionis, & alios libros Philippi ab ipſo comprobatos damnant; Concordiam ipſius cum Helueticis Eccleſiis initam exautorant; vbi placet, ipſum ſupra omnes Eccleſiæ veteres & recentes doctores extollunt, & Prophetam faciunt, vbi non placet ipſis, non minùs quàm alios aſpernantur & conculcant; haud multò ſecus ac in Papatu plebs ruſtica in die Vrbani, qui Baccho ſucceſſor datus eſt, circungeſtans ipſius ſtatuam, ſi cœlum ſerenum ſit, honorificè illam reponunt ſuper altare, ſi verò pluat, in lutum eam proiiciunt, quà eſt profundiſſimum. Nulla maior contumelia poteſt Luthero inuri, neque magis ipſum exponens hoſtium ſannis, quàm turpes illæ voces, quæ ex factionis iſtius hominibus audiuntur; Qui contra Lutherum diſputat, qui ipſum non agnoſcit Prophetam, qui libros eius non habet pro Canonicis; Sacramentarius eſt, manifeſtè impius eſt. Sic ſcilicet honorant Papiſtæ ſanctos mortuos, dum illos adorãt, hoc eſt, in Idola conuertunt. Aurum in doctrina Lutheri conſpurcant; Doctrina ipſius ex verbo Dei tradita, de diuina prouidentia & prædeſtinatione, & libero arbitrio, eſt ipſis cùm libet Manichæa & impia; doctrina ipſius de vera & ſubſtantiali communione Sanctorum cum Chriſto capite ſuo, & vero Sacramentorum vſu, eſt illis, cùm à nobis profertur, Sacramentaria: Scoriam & ſtipulam,*

figmen-

figmentum corporalis præſentiæ in pane, quod adhæſit illi ex cucullo monaſtico, ingerũt pro theſauro, & pro ſacris reliquiis adorandum proponunt Eccleſiis, non ſecus ac Papiſtæ ſcabiem S. Dionyſii. Male itaq; tutus eſſet honor D. Lutheri, ſi iſtis defenſoribus niteretur, aut indigeret, qui ipſius & librorum eius à contemtu vindicationem prætendentes, eum maximè deformant. Sed ſicut veterum Eccleſiæ doctorum, non obſtãtibus næuis qui in ipſorum monumentis extant; ſic etiam libros Lutheri, & aliorum item, quos oderunt iſti Theologi, leget & celebrabit Eccleſia tota poſteritas; cùm ipſorum cartæ Vbiquitariæ, in Chriſtum ac veritatem eius contumelioſæ, fuerint delatæ in vicum vendentem thus & odores, Et piper, & quicquid cartis amicitur ineptis.

X. *Philippus Melanthon, ſancta anima, lumen Germaniæ & Eccleſiæ, quem Deus Luthero nec ignoranti nec diſsimulanti, ceu fidum adiunxit Achatem, qui in omnibus publicis congreſsibus oppoſitus eſt aduerſariis, quos cum laude refutauit & vicit, qui Cõfeſsionem Auguſtanam & Apologiam, & omnes eius authenticas declarationes & defenſiones nobis reliquit, qui tot controuerſias à turbulentis aut diſtortis ingeniis motas explicauit & ſedauit, qui doctrinam variè diſiectam & à multis turbatam in ſyſtema perſpicuum & Methodicum redegit, qui laborum, quos non credunt, qui non viderunt, mole aſsidua cõfectus, & Spartam ſuam ornans, vitam in paupertate finiit, qui toti Germaniæ & Eccleſiæ plus profuit & prodeſſe potuit, quàm tota cohors nunc eum inſectantium, quorum pleriq; beneficio ipſius creuerunt; Is tam gratitudinis ergò à ſuis diſcipulis conculcatur &* προπηλακίζεται, *proclamatur hæreticus, proditor Eccleſiarum, falſarius Auguſtanæ Confeſsionis, deprauator doctrinæ clancularius. Vel vnum hoc flagitium poterat ſufficere, ad iſtorum hominum malignitatem & impudentiam toti poſteritati faciendã execrabilem. Nec eſt, quòd nobis occinant illud; Amicus Plato, amicus Socrates, magis amica veritas. Nunquã enim ille, qui hoc dicebat, ſic tractauit*

ſuum præceptorem, etiam quando veritatis cauſſa ab eo diſcedendum erat, ſicut iſti tractant ſuum, à vera ipſius doctrina ad ſua Idola & ſomnia deficientes. Nota fuit mundo Philippi modeſtia, pietas, prudentia, fides, qui nihil egit publico nomine ſine Lutheri & collegarum, & eorum quorum intererat, conſenſu. vidit & probauit Lutherus actiones eius & doctrinam, in qua ille poſt mortem Lutheri nihil mutauit, vt iſti comminiſcuntur. Non ergo ad huius calumniæ, & ingratitudinis erga Deum & organum Dei ſalutare, confirmationem, viri Principes & cordati, his Theologaſtris operam ſuam accommodabunt, etiamſi de illius tātùm viri honore & meritis ageretur. Sed maior eſt, quæ ex illius iniuſtiſſima condemnatione in Eccleſiā redundaret iniuria. Sancti & eruditi labores illius excuterentur è manibus iuuentutis, continentes doctrinæ Chriſtianæ σωματοποίησιν, ordine & ſermone perſpicuo, proprio, Scripturæ & puriori Eccleſiæ vſitato: ſubſtituerentur centones mutili, confuſi, perplexi, ex opinionum & loquutionum nouarum portentis conflati: vnde nihil niſi ſtudiorum calamitas, & doctrinæ obſcuratio certa expectari poſſet. Et, quod æquè dolendum eſt, autoritate detracta ſcriptis Philippi, tanquam hæretici & falſarij, adimeretur, præſertim Germanicis Eccleſiis, bona pars armaturæ neceſſariæ contra Papiſtas & alios aduerſarios, qui ſi reprimendi fuiſſent per hos defenſores, oſtendunt ipſorum præclara facinora, quale patrocinium habitura fuiſſet veritas; irrita redderentur, quæcunque egit & ſcripſit vir ille contra Papatū: quin & ipſa Confeſſio & Apologia Auguſt. in ſuſpicionem & contemtum adduceretur, tanquā ab eo ſcripta, quem ipſi Confeſſionis ſocij & ſui diſcipuli hæreſeos & falſi accuſant & condemnāt. Quibus igitur Lutheri, quibus Philippi, quibus Eccleſiarum reformatarum honor cordi eſt; non obtemperabunt Bergenſibus decretis, quibus non per Lutherum, ſed prætextu Lutheri condemnatur Philippus, quorum neuter alterum vnquam condemnauit. Poterat ſola hæc illorum conſtantiſſima concordia,

cordia, & Pontificiis gratiſſima diſiunctio, iſtos degeneres Lutheri diſcipulos coërcere, ſi bonorum & poſteritatis de ſe iudicia non omnino contemnerent.

Scripſerũt ipſi paulò antè, duos illos inſignes heroas, D. Lutherum & D. Philippum concorditer in Academia VVitembergenſi docuiſſe & ſepultos eſſe; & vtrunq́, ſi nunc reuiuiſcerent, probaturum, ſi viderent Eccleſias in veteribus, probatis, & ab Ordinibus Auguſtanæ Confeſſionis receptis & confirmatis ſcriptis perſtare, tanquam propriam ac veram Auguſtanæ Confeſſionis ſentẽtiam clarè ac certò monſtrantibus. Qui ergo concordes, illorum teſtimonio, vixerunt & mortui ſunt, mirum, quomodo poſt mortem demum tam diſcordes euaſerint. Neque poſſunt hanc Antilogiam ſuam Theologi tegere, fingendo, Philippum à Luthero demum mortuo diſceſſiſſe. Nam viuo Luthero ſcripſit Locos communes; eo anno quo edita eſt Confeſſio, ſcripſit Apologiam Auguſtanam; in quibus eadem eſt doctrina de Sacramentis & de Cœna, quæ in ceteris ipſius ſcriptis: Viuo Luthero factæ ſunt ab ipſo emẽdationes & declarationes Auguſt. Confeſſionis: Viuo Luthero in faciem reſtitit acerrimè, extrudenti ſuam paruã Confeſſionẽ. Nec poſſunt prætendere ignorantiam. Omnia eius ſcripta, quæ nunc extant, iam tum fuerunt edita, cùm ſuam anno LXX narrationem Concordiæ ſcripſerunt: nota fuerũt omnia, quibus præter neceſſitatem adeò laborioſè probant, eum nobiſcum ſenſiſſe. Nulla igitur ipſis reſtat occultatio fraudis, & manet Philippus, etiam Lutheri teſtimonio, ſocius Auguſtanæ Confeſſionis & Orthodoxus, etiam propriam & peculiarem Lutheri opinionem de corporali præſentia minimè amplectens. Narrat. de Concord. O. iij. Conc. 1 & 4. de Concord. Bergenſi.

Diuulſio hæc Philippi à Luthero, inter Eccleſias priùs concordes diſtractionem efficit, inter diſſentientes auget. Coitura paulatim videbantur antiqua vulnera, ſubſtantiali communione Chriſti vtrinq́ in confeſſo poſita, vtcunque adhuc de modo non apud omnes conueniret: exorti vngues in vlcere, non tantùm XI.

refricant vetera, ſed noua etiam infligunt. Calumnias & iniuſtas condemnationes renouant & exaggerant, quæ nouam animorum exacerbationem, etiam apud bonos pariunt. Diſsidio de orali & impiorum manducatione, admiſcent pugnas Vbiquitarias, quas Lutherus, cum videret quorſum euaderent, abiectas & ſepultas eſſe voluit. Sic ex vna geminam faciunt diſcordiam, & etiã prius coniunctos à ſe inuicem diſiungunt. Non pauciores Auguſtanæ Confeſsionis ſocij repudiant librum, quàm admittunt. Eorum qui ſubſcripſerunt, pleriſque obtruſus eſt inuitis, qui videntes alios non ſequi ſuum exemplum in ſubſcribendo, vt futurum perſuaſi erant à Theologis, ipſi quoq; ſuam libertatem repetent. Multos iam ſubſcriptionis pœnitet, quæ cum per fraudes elicita ſit, ſentiunt ea ſe non obligari: Multos pœnitebit deinceps, vbi à diuerſis aduerſariis vanitate & abſurditate Libri detecta, videbunt ſe à Theologis eſſe circumuentos: Qui vel errore, vel affectu, in approbatione Libri perſtiterint, non tamen eodem modo ænigmata ipſius Bœotica intelligent: alij vetus Corpus doctrinæ abiicient, alij cum nouo retinendum iudicabũt; atq; ſic Liber iſte, quàm diu aliqua eius fuerit autoritas, perpetuum erit μῆλον ἔριδος, quo ſchiſma è ſchiſmate ſeratur. Nec ſanè poſſunt abire ſine turbis & diſtractionum incrementis, condemnationes factæ ab vna parte vel à paucis, abſq; cognitione cauſſæ & conſenſu cõmuni. In Synodo Epheſina prima, Cyrillus Alexãdrinus Epiſcopus cum ſuis ſuffragatoribus, præcipitauit condemnationem Neſtorij, non expectato Iohanne Antiocheno & aliis Epiſcopis Orientalibus, quibus videbatur excuſandus Neſtorius. Hinc ſchiſma inter Epiſcopos etiam rectè ſentientes magnum extitit, quamuis iuſta per ſe & neceſſaria fuit condemnatio impietatis Neſtorianæ. In eadem Synodo iniuſtè damnatus & Epiſcopatu motus eſt Theodoretus, Epiſcopus Cyrenſis, à Cyrillo, quia per calumniatores ipſi factus fuerat ſuſpectus, quaſi Neſtorio faueret. Ea cõdemnatio magnum Eccleſiarum ſcandalum peperit. Auditus autem poſtea Theodoretus,

retus, deprehenſa ipſius innocentia, in Synodo Chalcedonenſi reſtitutus eſt. Extat de hac iniuria grauis Theodoreti querela, in Epiſtola ad Leonem Epiſcopum Romanum, in qua inter alia ſic ſcribit: Non ſuffecit Alexandrinorum præſuli, ſanctiſſimi & religioſiſſimi Epiſcopi Flauiani depoſitio: me quoque abſentem calamo ſimiliter iugulauit, cum me nec in ius vocaſſet, nec præſentem iudicaſſet, nec quid de ſuſcepta à Deo & Seruatore noſtro humanitate ſentirem, interrogaſſet. Atque homicidas quidem, & ſepulcrorum effoſſores, & eos qui aliena cubilia violauerint, non priùs condemnant iudices, quàm ipſi accuſationē ſua confeſſione confirmauerint, vel ab aliis apertè conuicti fuerint. *Et poſt cōmemoratos certaminū fluctus, qui ipſum exercuerunt, ſubiungit:* Supplicationem méam quæſo ne reſpuatis, nec miſeram meam canitiem deſpiciatis, quæ poſt tot labores affecta eſt contumeliis. Mihi autem, vt Dominus Deus eſt teſtis, nec honor curæ eſt nec gloria, ſed tantùm ſcandalum quod factum eſt, quòd multi ex ſimplicioribus, & maximè qui ex diuerſis hæreſibus à nobis erepti ſunt, ſedem eorum qui nos condemnarūt, attendentes, exiſtimabunt nos fortaſſe hæreticos, vt qui, quod ſit rectū perfectumq; dogma, videre nequeant. *Hos Theodoreti gemitus de ſua & Eccleſiarum fortuna, hodie fundunt, & in die nouiſſimo fundent contra Bergenſes Theologos, Melanthon & multi alij pij doctores partim mortui partim viui, qui non diſſimilia ob veritatis confeſſionem ab ipſis patiuntur.*

Turbata Eccleſiarum pace, etiam pax publica & politiarum incolumitas in periculum non obſcurum adducitur. Mutatione religionis tam frequenti quàm facta eſt, & futura eſſet, recepto libro Bergenſi, alienantur animi ſubditorum à magiſtratibus, quibus conſcientiarum & piæ concordiæ turbationem à Theologis profectam imputant, qui technas theologicas ignorant. Diffi- XII.

FFF

dentia, peſſimus cuſtos amicitiæ, & inter ſubditos, & inter ipſos gubernatores oritur, dum ob religionis diſſidia, alij aliis ſuſpecti, aut clanculum infenſi fiunt. Sic magis magisq; diſiunguntur Eccleſiæ Germanicæ inter ſe, diſiunguntur etiam ab exteris: quæ diſſipatio ad labefactandas vires cõtra omnes hoſtes communes, tam eſt efficax, vt in ea procuranda, quaſi conductam ab illis operam, Vbiquitatis præcones nauare videantur. Scimus quidem, omnipotentia Filij Dei gubernari & ſeruari Eccleſiam: veruntamen inſtrumentis miſericordiæ & iræ vtitur. Præterea pax religionis, qua hactenus Dei beneficio, præ aliis gentibus vſa eſt Germania, hoc Libro validiſſimè concutitur. Pax etenim complectitur eos, qui retinent veram & cum pura antiquitate Eccleſiæ congruentem Confeſſionis Auguſtanæ ſententiam. Hæc autem ſententia eſt, in Cœna Domini legitimo vſu, veram & ſubſtantialem fieri corporis & ſanguinis Chriſti communionem, & quidem eam quæ Cyrilli verbis exponitur, nullam niſi ſpiritualem veri corporis Chriſti communionem docentibus. Manducationis ORALIS *&* IMPIORVM *non tantùm nulla ſit mentio, ſed ea etiam manifeſtè excluditur per Apologiam & declarationes poſtea ſubſequutas & aduerſariis publico ſociorum Cõfeſſionis nomine oppoſitas. Non ergo excludi poſſunt vllo prætextu à Confeſſione & pace, qui ſubſtantialem communicationem Chriſti confitentur, etiamſi Oralem & Impiorum eſum non agnoſcant, vtpote quem neq; Confeſſio & Apologia agnoſcit. Lutheri autẽ vel aliorum priuata opinio, publicæ Confeſſioni Eccleſiarum præiudicare nullo iure poteſt. Contrà verò Vbiquitatis recens commentum introducentes, à Confeſſione palàm diſcedunt, cum qua nullo modo conſiſtere poteſt Vbiquitas. Ideoq; etiam à Pontificiis, non Confeſſio Auguſtana, vtpote cum qua de perſona Chriſti nunquam habuerunt litem, ſed Vbiquitatis noui doctores, hac in parte doctrinæ Chriſtianæ oppugnantur. Gratum eſt ergo Papiſtis ſpectaculum, noſtras Eccleſias, quas excludẽdi à pace prætextum ipſi non habent, excludi*

ab

*ab Vbiquitatis aſſertoribus, qui fratres noſtri eſſe debebant. No-
ſtris enim excluſis, facile ſibi vidēt fore, excluſores iſtos, defectio-
nis à ſua Confeſſione, noui & impij dogmatis Vbiquitarij conui-
ctos, excludere, & vna accuſatione iuſta, reliquis etiam iniuſtis
inducere colorem. Infeliciter itaq; de tota Eccleſia, & de ſe ipſis
merentur, qui Theologorum paucorum affectibus & impoſturis
ſic indulgent, vt nos volentes excludere, ſe ipſos excludant, nos
oppugnando, hoſtes cōtra ſe arment, & ſe ipſos per fratrum latera
conficiant.*

Præter Eccleſiæ & Reipub. etiam Scholarum ruinas liber Ber- XIII.
*genſis minatur. Viri docti & pij non probabunt falſa dogmata Li-
bri. Si igitur decreta Theologorum exſequenda ſint; non tātùm
Eccleſiaſtica, ſed etiam aliarum doctrinarum profeſſores erudi-
ti, & Deum rectè colentes, alij eiicientur è ſcholis, alij non admit-
tentur, alij non volent ad functiones docendi accedere, metu ty-
rannidis quam videbunt in bonos exerceri ab hominibus indo-
ctis, βαυκοπανούργοις, hypocritis, ventri ſeruientibus. Sic regnum
occupabit barbaries, errorum & idolorum genitrix & nutrix,
& Scholarum corruptio in Eccleſiam & Rempub. redundabit.
Atq; vtinam eſſent minus conſpicua huius rei principia, & mi-
nus audacter ſe proderet myſterium iniquitatis, hoc eſt, nouorum
Pontificum conatus, ignorantiæ tenebris omnium oculos operien-
di, vt quicquid volunt ipſi, cæcis de coloribus impunè perſuadere
queant. Hoc vt perficiant, perſuadent Magiſtratibus & aliis non
inſtructis eruditione illa ſcholaſtica, & miſeræ iuuentuti, ſe ho-
mines adoleſcentes, volandi ſine pennis vltrò cupidos, quibus
artium, linguarum, philoſophiæ ſtudia, vix de nomine innotue-
runt, vno aut altero anno ex Corpore nouo Decretorum Bergen-
ſium facturos Theologos. Sic Satan veteres ſuas artes nouis ſub-
inde laruis tectus exercet. Idem enim nunc molitur, ſpecie inſtau-
rationis & reformationis, quæ ſanè præſertim quod ad morum
diſciplinam attinet erat perneceſſaria, paſsim ſcholas deſtruens*

ac vaſtans, quod olim per Iulianum Apoſtatam, qui Chriſtianorum iuuentutem priuabat ſcholis Philoſophicis, ſperans ſe breui oppreſſurum religionem ipſorum, ſi viris doctis deſtituerentur, qui dextrè eam explicare, propagare, & aduerſus hoſtes defendere valerent. Filius Dei deſtruat illius opera.

XIIII. *Dum ſic labefactantur Eccleſiæ, repurgatam Euangelij doctrinam profitentes, non parua ipſarum aduerſariis accedit cõfirmatio. Calumnias eorum de ſchiſmatibus Eccleſiarum, liber iſte prætendit ſe refutaturum. Atqui & has publicis teſtimoniis comprobat, & nouas alias aduerſariis ſuppeditat, de Lutheri & Melanthonis diſsidio, de doctrinæ inconſtantia, de defectione à propria Confeſsione, quæ non ſine magna ſpecie, ad Eccleſias premendas, & nauſcam ſanæ doctrinæ multis mouendam, ab illis poterunt amplificari: atq; ita triumphum parat iſte Liber aduerſariis, per exemplaris primi ab aliis editionibus & declarationibus Confeſsionis ſeiunctionem. Immodicæ authoritatis Lutheri prædicatione, datur illis iuſta licentia Patres & concilia nobis opponendi, ad dogmata ſua ſine Scripturis probanda. Interea dum nos inteſtinis certaminibus, omiſſo communi hoſte cõficimur, ipſi prædicatione noſtræ diſcordiæ & ſuæ Concordiæ, doctrinam ſuam propagãt & ſtabiliũt in populo, nemine reſiſtente, & nouos, quos indies excogitant, fucos idolorum abſtergente, imò non paucis ea fucandi materiam ſuppeditantibus. Debilitatio noſtra ipſorum robur eſt, dum ab vna parte adiuti iniuſtis condemnationibus, alteram perſequuntur, vt ea oppreſſa, reliquam faciliùs poſsint expugnare. Hoc vtinam & doctores Eccleſiarum & Magiſtratus conſiderarent, & imitarentur exemplum Orthodoxorum, qui ſub Theodoſio Nouatianos, non falsò ſicut nos accuſatos, ſed erroris non parui conuictos nolebant condemnare, propterea, quòd ipſis coniuncti pugnabant aduerſus Arianos.*

XV. *Tyrannis Theologorum in omnes pios intolerabilis, exſequutione huius libri confirmaretur. In Germania enim conſcientiæ veri-*

veritatem agnoſcentium, duriſſimo iugo premerentur. Confeſſionem fidei ſuæ edentes, iniquiſſimis iudiciis, inauditi condemnarentur, proſcriberentur & eiicerentur. Extra Germaniam confirmaretur manifeſtè ſæuitia hoſtiũ, quam in pias Eccleſias exercent, hoc potiſſimum prætextu, quòd etiam eandem cum ipſis doctrinam, excepta Cœna Domini, profitentium teſtimonio & exẽplo damnentur & extirpentur, tanquam hæretici, blaſphemi, execrabiles, & non tolerandi. Vtriq; has atroces iniurias accipiũt ab iis, qui eundem Chriſtum, idem Euangelium, idem ſalutis fundamentum cum ipſis profitentur, qui precibus & operis coniunctis debebant cum ipſis contra hoſtes communes pugnare. Qui autem in Germanicis Eccleſiis adhuc Theologis iſtis per errorem aſſentiũtur, etſi nunc ab illis perſequutionem, ſicut reliqui, non patiantur; tamen in apertum eius periculum coniicerentur. Vnius inſtigatione, pauci Theologi conſpirantes, condemnant hæreſeos tot præclaras Eccleſias, tot ſanctos & præſtãtes viros, ſparſos per totum orbem Chriſtianum, nec reddunt rationes ſuarum actionum, & ſuorum dogmatum. Hoc ſi ipſis concedatur, ſtabilietur in Germania nouus, quem quærunt his conſiliis Theologi, Pontificatus, non mitiori, quàm Romanus, conſcientiarum & confeſſionis libertatem, ſeruitute oppreſſurus, de religione conditurus decreta pro arbitrio, eaq; per vim & fulmen excluſionis ab Eccleſia & à pace obtruſurus, nec ſubditis, nec magiſtratibus, nec vlli hominũ ordini parſurus, vt non obſcurè pollicẽtur principia, & in multis locis tribunitiæ δημαγώγων poteſtates & actiones.

Neq; hanc tantùm ætatem, ſed poſteros etiam hæc mala tangerent, quos tantò duriùs Papalis illa dominatio premeret, quantò magis ſucceſſu temporis inualeſceret. Exemplum in Eccleſiam pernicioſiſſimum introduceretur, controuerſias Eccleſiaſticas decidendi; dum vnius vel paucorum eiuſdem opinionis ſociorum iudicio & arbitrio permitteretur, de plurimorum, illis non ſine ratione aduerſantium, fama & capitibus ſtatuendi poteſtas; & XVI.

quicquid illi decreuiſſent, reis indicta & incognita cauſſa condemnatis, magiſtratus autoritate ſua exſequerentur. Relinqueretur poſteritati doctrina corrupta & obſcurata, & materia nouorum certaminum, quæ erroribus inueteratis ſolent eſſe acriora. Dogmata enim libri abſurda, inter ſe pugnantia, violenter obtruſa, non poſſent diu cōſiſtere, quin nouas mutationes parerēt.

XVII. *Hæc Theologorum peccata in Deum & Eccleſiam, quæ commemorauimus, cùm haud dubiè ſint grauiſſima; Confidimus pios Principes, & alios viros honeſtos & prudentes, non temere paſſuros, vt exſequutione Libri Bergenſis, in eorum ſocietatem ab illis pertrahantur. Sic enim lucem veritatis, diuina miſericordia ſibi accenſæ, vltrò extinguentibus, & fratrum ſuorum, propter Chriſtum afflictorum, rationem non habentibus, iram Dei & pœnas metuendas eſſe, omnes pij intelligunt: ideoq́; tempeſtiuè cauendum, ne quando & ipſi fortunam eorum experiantur, quorum, iniuſtam perſequutionem patientium, non miſerebantur.*

Hi ſunt fructus, quos pro lege iudiciorum Eccleſiaſticorum receptus liber Bergenſis, portēderet Germaniæ, ac toti Eccleſiæ Chriſti: quorum nos nihil fingere, dogmata & actiones Theologorum confirmant.

CAPVT

CAPVT XII.

Epilogus huius Admonitionis; in quo de vera Chriſtianæ Concordiæ in Eccleſiis conſtituendæ ratione.

HACTENVS *demonſtrauimus, tam pietatem ac ciuilem iuſtitiam, quàm ſalutem Eccleſiæ & Reipublicæ hortari, ne liber Bergenſis habeatur pro regula doctrinam & Eccleſiam veram à falſa diſcernendi, vel de nobis aut nobiſcum ſentientibus iudicium faciendi; neque ex eius Libri decretis, piam, firmam & ſalutarem Eccleſiarum concordiam, vnquam conſtitui aut ſperari poſſe: idq; his rationibus, quia doctrinam cum ſacra Scriptura, cum Symbolis Catholicis Eccleſiæ, cum Orthodoxa antiquitate, denique cum Auguſtana Confeſſione congruentem profitentes, multis calumniis oneratos, non conuictos, non auditos, hæreſeos condemnat; quia noua dogmata continet, cum Scriptura, Symbolis, veteri Eccleſia & Confeſſione Auguſtana pugnantia; quia ſibi in ſuis aſſertionibus non conſtat; quia contra omnem diuini & humani, Eccleſiaſtici & politici iuris, æquitatis & ordinis rationem, operatione Theologorum Bergenſium congeſtus, obtruſus & extruſus eſt; quia denique plurima & grauiſſima damna, ad Eccleſias, ſcholas & Reſpublicas, ad omnes denique pios magiſtratus & ſubditos, ex illius exſequutione reditura eſſent.*

Plauſibile eſt nomen CONCORDIAE: *& reuera nihil eſt in rebus humanis amabilius, nihil optabilius, quàm vera & ſalutaris Concordia. Hæc autem non eſt in errore, ſed in veritate conſenſio. Malè enim & infeliciter inter ſe concordant, qui à Deo diſcordant; ac talis concordia, certa ad diſcordiam via eſt. Etenim Deus in mundo, nunquam ſe relinquens* ἀμάρτυρον, *ſem-*

per in aliquibus lucem veritatis conſeruat, qui perpetuum cum errantibus bellum gerunt: Et qui erroribus aſſentiuntur, nec verè inter ſe, nec perpetuò conſentiunt, cum error multiplex & fœcundus ſit, & tandem patefactus ſua vanitate ac deformitate odioſus fiat.

Nos autem, dicent Theologi Bergenſes, cum Deo concordes ſumus: Vos Sacramentarij ab illo diſcordatis. Hæc verò illa eſt quæſtio, de qua diſputatur. Nos in hac admonitione noſtra, oſtendimus, quare iudicemus Theologos iſtos à voce diuina diſcedere, ac proinde nec veram nec ſalutarem Concordiæ ſanciendæ viam Eccleſiis & Magiſtratibus monſtrare. Rationes noſtras exiſtimamus eſſe eiuſmodi, quæ dignæ ſint ſaltem conſideratione piorum Principum & virorum ſapientum. Hos itaq; ſui erga Deum, erga Eccleſiam, & erga ſe ipſos officij memores, confidimus non præcipitaturos iudicia ſua, in Bergenſium decretorum exſequutione; ac ne præcipitent, non tantùm noſtro nomine, ſed plurimarum Eccleſiarum, & ingentis piorum numeri, in Germania & in aliis regionibus, per Chriſti gloriam, & Eccleſiæ ſalutem, oramus. Optandum quidem erat, hæc priùs conſiderata atq; expenſa fuiſſe, quàm vſq; ad publicationem Libri progreſſum eſſet: Quia verò Theologorum artibus à Principum oculis & auribus iſta ſunt auerſa, & Liber nulli communi & publicæ Eccleſiarum cenſuræ ſubiectus fuit, atq; ita de re nondum ſatis viſa & perſpecta, colligi omnia quæ monenda fuiſſent, non facilè potuerunt: Deo quidem volente ſic eueniſſe exiſtimãdum eſt, vt hac occaſione veritas magis illuſtretur, ſimul autem opera danda ſuo cuiq; loco, vt quando id quod factum eſt, infectum reddi non poteſt, id ſaltem ne admittatur, quod caueri etiamnum facilè poteſt. Etſi enim prima ſapientia eſt, à recta via non aberrare: tamen hic etiam meretur laudem, qui admonitus ad eam reuertitur.

Hic verò nobis quæſtionem obiici videmus, de qua partim à mediocribus hominibus, id quod res ipſa cogit, facilè reſponderi poteſt;

poteſt; partim verò à viris ſapientia & autoritate præpollentibus deliberandum & conſtituendum eſt. Dicetur enim nobis; Si liber Bergenſis non eſt, quæ igitur erit recta ad concordiã & pacẽ Eccleſiarum conſtituendam & tuendam via? Et ea quæ à Sapientibus dicta ſunt: Non eadem ratio eſt curare, & cernere morbos: ἐπιτιμᾶν παντός ἐστιν, ἐπανορθοῦν δὲ οὐ παντός. *Hic Theologi quidem* In præfat. Concord. *Bergenſes ita ſtatuunt, non poſſe occurri Sacramentario errori,* In concionib. de Cõcord. Ber. *niſi per ipſorum decreta & condemnationes, & earum ſeueram exſequutionem. Sed mirari quiſpiam poſſit meritò, qui fiat, quòd omnibus veteribus & nouis erroribus & hæreſibus, quantumuis abſurdis, impiis, aut ſophiſmatum caligine inuolutis, potuerit hactenus occurri ſolida earum ex verbo Dei detectione & refutatione, qua factum eſt & fit adhuc, vt aliæ prorſus exoleuerint, aliæ ſic diſcuſſæ & fractæ ſint, vt omnes cordati & veritatẽ cum ſerio timore Dei quærentes, facilè ab illis tuti ſint, quicquid in angulis muſſitent fanatici Spiritus, diligentes mendacium & in eo ſibi placentes; ſolus autem error Sacramentarius non poſſit reprimi niſi Theologorum Põtificalibus edictis & anathematibus, & brachio Magiſtratuum. An aduerſus hunc ſolum adeò amiſit vim ſuam veritas, vt ei refutando non poſſit obſiſtere, ideóque omiſſa & abrupta diſputatione, principium repreſſionis oporteat ab exſequutione fieri? Atqui Apoſtolus ait, Arma militiæ noſtræ* 2. Cor. 10. 4. *non eſſe carnalia, ſed diuinitus valida, ad ſubuerſionem munitionum, dum euertimus ratiocinationes, omnemq́ſublimitatem quæ extollitur aduerſus cognitionem Dei; & captiuam ducimus omnem cogitationem ad obediendum Chriſto, & paratum habemus, quo vindicemus omnem contumaciam, poſtquam impleta fuerit electorum obedientia. Hunc Spiritus gladium, alibi dicit* Eph. 6. 17. *eſſe verbum Dei: Hoc gladio Spiritus ſanctus pugnare docet miniſtros Eccleſiæ aduerſus hæreſes; non autem gladio ferreo, ſicut facit Romanus Pontifex.*

Attamen, inquiunt, oportet ad gladium ſpiritualem acce-

dere etiam corporalem, contra contumaces & blaſphemos: Quis negat? & quis neſcit? Sed aliud eſt accedere, aliud præcedere, ne dicamus, vſurpari ſolùm corporalem ſine ſpirituali. Nondum ab illis cæſi ſumus gladio ſpirituali, nunquam ex verbo Dei erroris aut blaſphemiæ conuicti, vtcunq; nos conuitiorum plauſtris ab illis obruti, & Scriptura ſophiſmatum fumis obſcurata ſit. Omnia ipſorum argumenta à nobis ſoluta ſunt; noſtra ab ipſis nondum: Tantum abeſt, vt ſimus contumaces, & digni anathemate. Nimis ergo intempeſtiuè properant ad gladium corporalem. Dum ergo ad violenta conſilia Theologi iſti confugiunt, ſatis ſuperq; oſtendunt, & ſua confeſſione teſtantur, ſe de cauſſa ſua deſperare, ſi altera illa & legitima via ſit agendum. Sed ne hoc quidem modo quem ipſi tentant, conſulitur paci Eccleſiæ. Quod enim ſine intellectis rationibus, homines coacti approbant, hoc æquè facilè ſine rationibus abiiciunt, & multò faciliùs, ſi deinceps videre cauſſas incipiant, quare non probandum fuerit, atq; ita ex violẽtis morborum & ſchiſmatum Eccleſiæ remediis, proceſſu tẽporis grauiora vitia naſcuntur. Quid ergo erit faciendũ, vt Schiſma tollatur, & vera ac ſolida Eccleſiis concordia reſtituatur? Quid, niſi illud, quod fecerunt in tollendo Schiſmate Antiocheno Apoſtoli, cum Antiochenis & aliis Eccleſiæ miniſtris ac doctoribus: quod Epiſcopi Eccleſiarum in Samoſatenico: quod Conſtantinus in Ariano: quod Theodoſius in Neſtoriano: quod Martianus in Eutychiano? deniq;, quod fieri optat in controuerſiis præſentibus Auguſtana Confeſſio? Synodus legitima & libera doctorũ & bonorum virorum conuocanda erat, in qua placidè, accuratè, & in timore Dei collatis ſententiis, & examinatis rationibus, quid verbum Dei de controuerſiis pronunciet, Eccleſiis communi conſenſu exponeretur. Atq; hæc quidẽ breuis & expedita reſpõſio eſt: ſed nõ æquè facilis eius exſequutio. Nam & Papa Concilium Tridentinum nobis dedit, & Synodos aliquot iam habuerunt noſtri aduerſarij, & nunc etiam Synodi formam præſcribunt Principibus.

At neq; illi nos ad Synodos ſuas admitti volunt, neque nos iſtorũ Synodis adeſſe aut ſubeſſe volumus. Quid ergo? Synodum ne appellamus, & Synodum detrectamus? Hic verò, ne huius tergiuerſationis accuſari poſſimus, nobis imponitur neceſſitas, non ſanè leges Synodicas ſapientioribus præſcribendi (non enim hoc nobis ſumimus, neq; noſtrum eſſe iudicamus) ſed explicandi qualem Synodum intelligamus legitimam, liberam & Chriſtianam, cuius iudicio cauſſam noſtram ſubiicere non recuſamus: ſimul etiam oſtendendi, quàm procul à legitimi conuentus forma, Theologorum conſilia diſcedant.

Primùm ergo legitima Synodus, autoritate piorum Magiſtratuum conuocari debet, cùm eos habet Eccleſia. Sic in veteri & Nouo Teſtamento factum eſt. Et curam hanc Deus mandauit Magiſtratibus, vt curent ſubditos rectè doceri de religione, & ſi qua incidat de ea controuerſia, hanc ex verbo Dei decidi. Ac ne poſſunt quidem ſubditi, inter quos etiam paſtores Eccleſiarum ſunt, præter aut contra magiſtratuum voluntatem, ex aliis in alias regiones euocare quos volunt, ad conuentus publicos: neque concordiæ Eccleſiarum ſanciendæ ſeruire poterit Synodus, ſi Magiſtratuum conſenſus & voluntas tuendi decreta non accedat. Alia erat ratio Apoſtolorum & Eccleſiæ primæ, nondum habentis magiſtratus Chriſtianos, qui res Eccleſiaſticas curarent. Eo in ſtatu ſatis eſt, ſi doctores, & alij valentes conſilio & autoritate in Eccleſia, mutuis cohortationibus, & Eccleſiarum ſuarum venia congregentur; vt fecerunt Antiochiæ aduerſus Samoſatenum, ſub Galieno & Aureliano: Sicut Ancyræ & Sinueſſæ contra Nouatianos ſub Diocletiano.

Secundò, vt ſalutaris exitus conuentuum expectari poſſit, ante omnia neceſſe eſt, finem ſeu ſcopum eſſe Chriſtianum: videlicet non vt olim conuictæ diuinis teſtimoniis, & Catholicæ Eccleſiæ iudicio legitimè condemnatæ hæreſes, denuo ſtabiliantur, vt Samoſatenica, Ariana, Marcionica, Manichæa, Neſtoriana, Euty-

chiana, Nouatiana, Pelagiana, aut ſimiles; ſed potiùs vt confirmetur & illuſtretur aduerſus illas veritas diuina: neque vt ſuas quiſque præconceptas opiniones aut præiudicia, per vim aut factiones defendat; non vt de Principum vel doctorum gloria certetur, de Epiſcoporum opibus, potentia & priuilegiis, aut aliis rebus politicis ferantur leges: ſed vt feriò quæratur veritas, de quæſtionibus ad fidei fundamenta attinentibus, quæ publicè in Eccleſia à multis agitantur, & priuatim componi non poſſunt, paratis animis ad ſubiiciendum ſe verbo Dei, cedendum de illis, quæ Scripturis confirmari non poſſunt, conſtanter tuendum quæ illis conſentanea fuerint deprehenſa; vtq; ad gloriam Dei ac ſalutem Eccleſiæ, omnia agantur & referantur.

Tertiò, circunſtantia quoq; loci non eſt negligenda. Debet enim is eſſe ad conueniendum accommodatus, ne profectionis longinquitate aut difficultate, neceſsitas vel prætextus emanēdi obiiciatur aliquibus, quos adeſſe intererat Eccleſiæ. Neceſſarium eſt etiam, vt non ſit in poteſtate hoſtium ſitus, immunis ſit à periculo & metu inſidiarum & violentiæ; vt ſecurè ac tutò ad eum venire, in eo quàm diu res poſtulat, verſari, & ab eo redire ad ſuos queant omnes conuocati. In metu enim periculorum ne agi quidem, nedum liberè & accuratè agi poſſunt res feriæ & graues.

Quartò, maximi eſt momenti quæſtio, qui & quales ſint ad Synodum liberam vocandi & admittendi. Papa vult tantùm ſibi iuratos: Theologi Bergenſes itidem ſuos duntaxat complices. Nos verò præcipuum in hoc delectu eſſe non dubitamus, vt non tantùm Germanicarum, & Auguſtanæ Confeſſionis Eccleſiarum, ſed omnium Euangelium profitētium, etiam exterarū, vt Helueticarum, Rheticarum, Gallicarū, Belgicarum, Anglicarum, Scoticarū, Sueticarum, Danicarum, Sarmaticarum, Hungaricarum, Bohemicarū, legati conuocentur. Loquimur ēnim de tali Synodo, quæ ad litem Sacramentariam dirimendam ſufficiat. Hanc non oportere congregari tantùm ex iuratis in verba Lutheri, aut Libri

bri Concordiæ, aut in vllam noſtrarum vel alterius Eccleſiæ particularis confeſſionem, multæ grauiſſimæ & neceſſariæ rationes euincunt. Cauſſa hæc eſt omnibus Eccleſiis communis. Non ergo poteſt ab vna parte diſsidentium decidi: Imò eſt iniquiſſimum, ab vna parte alteram condemnari, non refutata coràm ipſorum doctrina & non audita defenſione. Iccirco etiam non modò nihil vtilitatis, ſed plus etiam mali redibit ad omnes Eccleſias, ex conuentu & decreto vnius partis excludentis & damnantis alterã, præſertim iniuſtè. Non enim plus valebunt vnius, quàm alterius partis condemnationes, neq; nunc neq; apud poſteros; & ſchiſma condemnationibus mutuis magis exulcerabitur, ſicut olim eſt factum in Arianis tumultibus, habitis Synodis contrariis. Quod autem omnium iudicio & conſenſu ſtatueretur, hoc demum autoritatem habiturum, & Eccleſiarum paci & ædificationi profuturum ſperari poſſet. Præterea ſunt non tantùm plurimi pietate, doctrina, virtute & dignitate præſtantes omnium ordinum homines, in omnibus gẽtibus Germanicis; ſed etiam Eccleſiæ in Germania, inter quas & noſtræ ſunt, quæ cum externis Eccleſiis conſentiunt. Hos omnes excluſos & inauditos condemnare, nihil aliud foret, niſi manifeſtam tyrannidem in ciues, in fratres, in innocentes exercere. Cum autem hi non poſſint vlla cum honeſtatis, nedum pietatis ſpecie excludi; nullus etiam relinquitur prætextus excludendi Eccleſias vicinarum gentium, quarum cauſſa non minùs agitur quàm Germaniæ. Et cum ſuprà ſit à nobis oſtenſum, nos de Cœna Domini non diſſentire ab Auguſtana Confeſſione, ſecundùm Scripturam, veterem Eccleſiam, & ſe ipſam intellecta, ſed duntaxat à quibuſdam illius ſociis, malè eam interpretantibus; non poſſumus Auguſt. Confeſſionis ſociorum iure priuari, & ab actionibus ad illos omnes pertinentibus excludi. Neq; magis dici poteſt Synodus libera, quàm Synodi Papales, in qua non omnibus, quorum res agitur, ſuas cauſſas & earum defenſionem exponendi poteſtas datur, etiam ſi ex Anabaptiſtis,

Schvvenckfeldianis, aut aliis, etiam ex Pontificiis aliqui comparere & ſua defendere vellent; ſaluis tamen legibus Synodicis, ac ſi digna examine videatur controuerſia. Hæc enim excluſio non congruit cum dilectionis regula, quæ poſtulat erudiri fraternè, cupientes doceri, præſertim de fundamētis doctrinæ conſentientes, & paratos omnia abiicere, quæ cum verbo Dei pugnare fuerit demonſtratum. De his certè non excludendis, ſed includendis in Eccleſiam, eſt laborandum. Non enim Chriſtianorum officium aut ingenium eſt, tantummodo ſui rationem habere, ſine cogitatione omni, quid de aliorum ſalute corporali & Spirituali, & de Chriſti gloria in mundo fiat. Siquidem ergo illis omnino videtur, penes ſe eſſe veritatem: debebant ſanè errantes etiam vltrò inuitare ad conferendum & diſcendum, nedum audiri & audire cupientes non repellere. Eſt igitur impia, & ad omnem poſteritatem probroſa vox Theologorum, quos palàm dicere & Concio.2. de lib. Cōcord. *ſcribere non pudet*, NON ESSE CONVENTVM AGENDVM CVM IIS, QVOS VOCANT SACRAMENTARIOS. *Atqui de Papiſtis hoc non audent dicere, qui ſunt profeſſi hoſtes Auguſtanæ Confeſſionis, quod nos non ſumus. Nulla fuit hæreſis tam blaſphema & exſecrabilis, quam non ad diſputationem Synodicam admiſerit vetus Eccleſia, & non priùs conuicerit, quàm condemnauerit. Cur igitur nos ſolos excludunt iſti Theologi? nempe quia aduerſus aliorum cauſſas malas, confidunt ſe facilè conſiſtere poſſe; aduerſus noſtram verò de victoria deſperant.*

Vt autem omnia fiant ordine, conuenire debent ad conferendum, non ab vno, vel à paucis vnius partis, aut vnius Principis vel Eccleſiæ Theologis deſignati, ſed delecti & vocati à ſuis Eccleſiis & magiſtratibus. In eo delectu, etſi quoad iudicio & diligentia humana fieri poteſt, præferri debent, quorum ſunt mores publico teſtimonio probati, non auari, ambitioſi, contentioſi, Epicurai, aut flagitioſi, ſed qui doctrina, pietate, prudentia, & mode-

ſtia aliis antecellere indicantur, præſertim doctores & paſtores Eccleſiarum: tamen ante omnes euocandi & cogendi ſunt ab vtraque parte, præcipui defenſores dogmatum pugnantium. Præterea, licet Synodus potiſsimùm conſtare debet ex doctoribus Eccleſiarum; tamen quia ſæpe ſunt etiam inter alios Eccleſiarum ciues, viri præſtantia donorum, & intelligentia doctrinæ cœleſtis non inferiores, quandoq; etiam ſuperiores earum paſtoribus, & ad diſputationes de doctrina magis idonei; hos quoque ab Eccleſiis delectos & miſſos ad collationẽ & dictionẽ ſententiarũ, pari cum ceteris iure conuenit admitti, ſiue ſcholaſtici, ſiue politici ordinis perſonæ fuerint. Non tantùm enim officij dignitas, ſed etiam laus virtutis & ſapientiæ, ad veram autoritatem requiritur.

Quintò, diligenter conſiderandum erit, quibus conditionibus omnes acturi in Synodo ſint obſtringendi, vt omnia poſsint ordinatè & decenter peragi: quales exempli cauſſa ſunt iſtæ: vt ne dicatur, quod Iohanni Huſſo, Hæreticis non eſt ſeruanda fides; ſed detur & ſeruetur omnibus cuiuſcunque gentis aut partis, fides publica, qua ſecuri accedant, & interſint Synodo, & ad ſuos redeant, ac certi ſint ſibi non fore fraudi, nec apud ſuos nec apud alios, libertatẽ ſententiarũ, tam ante quàm poſt actionẽ abſolutã: Vt non ſint iurati in vllã Confeſsionis particularis aut priuatæ formulam, nec autoritati Principũ vel doctorum ſuorum, Lutheri, Brentij, Zvuinglij, Philippi, Caluini, vel aliorum addicti; ſed omnes iurent, ſe nihil præter Scripturam & Symbola Catholica habituros loco fundamenti & fidei regulæ, & priuatim ac publicè dicturos ſententiam, quam ipſorum conſcientia iudicauerit cum hac norma congruere, in nullius hominis gratiam aut inuidiam, & nullius neq; commodi ſpe, neq; periculi metu; quoties de ſenſu verborum Scripturæ quæſtio inciderit, ſe diſputaturos & iudicaturos de eo ex analogia fidei, ex natura & vſu ſermonis Prophetici & Apoſtolici, ex collatione dictorũ Scriptu-

ra,& cuiuſq; dicti circunſtantiis: Patrum autem teſtimonia ad declarandum aut confirmandum non adhibituros, niſi ſententiis prius è Scriptura confirmatis: ſe omnes ex æquo obligatos fore ad reddendas doctrinæ & actionum ſuarum rationes; quod ni faciant, caſuros cauſſa: acturos omnia in priuatis & publicis congreſſibus, ordine, modeſtè ac pacificè, ſine affectibus, præiudiciis, factionibus, προσωποληψίᾳ, ſine acerbitate, rixis, conuitiis, ſcommatibus, contumeliis, oſtentatione, immodica altercatione & loquacitate, ſophiſtica affectata, euagationibus extra propoſitum & non neceſſaria temporis extractione; Et parituros Synodi ſententiæ in omnibus, de quibus ex verbo Dei fuerint conuicti: Liberētur vſq; ad finem Synodi, omnibus aliis iuramentis, quæ huic iuramento Synodico obſtare poſſent, & obligetur vtraq; pars ad acta poſt Synodi ſolutionem publicanda communi cõſilio, ea lege, vt ſi pars vna tergiuerſetur, altera habeat poteſtatē ea publicãdi.

Forma actionum Synodicarum.

Sextò, adhibenda eſt etiam diligens cura Principum & Magiſtratuũ, vt in conuentu actiones, non more Romanenſi aut Bergenſi, ſed legitimè procedant, & omnia iuſto fiant ordine ac modo: Exempli cauſſa (prudentes enim, ſi ad rem veniendum eſſet, inuenirent meliora conſilia) vt poſtquam loco & tempore conſtituto legati conueniſſent, ſupplicationes ad Deum verbis conceptis, in principio & fine ſingulorum congreſſuum, & in ſingulis Eccleſiis toto durantis Synodi tempore indictæ habēdæ, eſſent, & nomine Principum denuntiata eſſet conuocationis cauſſa, & hortatio inſtituto conueniens; ſiue propoſitis confeſſionibus diſſidentium, Auguſtana & aliqua noſtrarum Eccleſiarum, quæ placeret, ſiue duntaxat controuerſiarum præcipuarum capitibus nominatis, iuberentur dato cogitandi ſpatio, ſinguli dicere, quid in aliorũ doctrina deſiderent: Si plures controuerſiæ mouerentur, habita deliberatione, redigerentur in ordinem, quo alia poſt aliam tractanda eſſet, ita ne illarum fieret confuſio, quæ maximè ſolet impedire iudicia, vtq; illæ priùs tractarentur, quæ ad aliarum de-

clara-

clarationem requiruntur, ac præſertim, de quibus plures diſſentiunt: Qui de iiſdem capitibus diſſentirent ab aliis, in ſingulis controuerſiis tractandis iuberentur ſe coniungere, vt conſtaret, quid quiſq; tueri vellet, & totius Synodi in duas partes diuiſio, quam contradictoriarum ſententiarum aſſertio neceſſariò eſſet paritura, atq; ita ordo diſputationis expeditus & perſpicuus, poſſet conſeruari: Facta hac ſeceſſione in duas claſſes, in qualibet controuerſia, vtriſque iniungeretur nomine Principum, vt binos per ſuffragia eligerent præſides actionum (niſi fortè Principes ipſi hos dare mallent) & ſingulos actores: Præſides, non qui eſſent controuerſiarum iudices (hoc enim eſt officium totius Synodi) ſed qui cœtum conuocarent, proponerent agenda, ſententias interrogarent & notariis adhibitis colligerent, dicerent ipſi quoq; poſt alios ſententiam eodem iure quo ceteri, & gubernarent actionem tanquam νομοφύλακες, *vt omnia ſecundùm ordinem præſcriptum agerentur; ad quam rem peculiariter obligandi eſſent: Actores autem, qui in publico conſeſſu dicenda, priùs conciperent ſcriptis, parti ſuæ toti ſeorſum proponerent, ex illius ſuffragiis corrigerent, & ab omnibus* ὁμοψήφοις *probata, in communi conſeſſu demum nomine illorum recitarent; ſalua tamen libertate, ſi donorum diuerſitas ita ferret, alij reſponſorum conſcriptionem, alij recitationem demandandi: Ante initium verò actionum, leges agendi & decidendi, de communi Principum conſilio ſcripta, proponerentur Synodo, vt communibus ſuffragiis correctas, ſi opus ſit, & approbatas, nemo poſſet detrectare; eaſq; Principes, eorúmque commiſſarij & legati, & Præſides Synodi tuerentur ſeriò; In actionum principio, Actores priuatim inter ſe conuenirent in vnaquaq; cõtrouerſia, de ſtatu ſeu quæſtione vna, certa, breui, accurata, propriis & perſpicuis verbis, non ambiguis, non captioſis cõcepta, vt ſcirent omnes acturi & audituri, qua de re propriè contenderetur, & vitarentur* λογομαχίαι *ac ſophiſmatum inuolucra & effugia: Concepta hoc modo quæſtio, toti Synodo proponeretur,*

& poſtquam de eâ conueniſſet, vna pars affirmatiuam, altera negatiuam ſuſciperet defendendam: vt, ſi propoſitum eſſet, hoc inter nos quæri, An corpus Chriſti ſua ſubſtantia ſit vbiq; præſens: aduerſarij ad affirmatiuam, noſtri ad negatiuam partem, omnia argumenta ſua dirigerent. Multum enim intereſt, ad ordinem & perſpicuitatem diſputationis, quæſtionem rectè conſtitui: eſſetq; in qualibet cauſſa ſumenda & formanda quæſtio hæc, ex mutuis Confeſſionum ſeu dogmatum reprehenſionibus, de quibus dictum eſt paulò antè, aſſumtis, ſi vellent actores, etiam aliquibus vtrinq; ex ſua parte, aut ſi fortè non poſſet inter eos conuenire, etiam præſidibus vel tota Synodo: Conſtituta hoc modo quæſtione, vtriuſque partis ſententiæ & rationes audirentur, diligenter cognoſcerentur, examinarentur, conferrentur cum Scriptura & antiquitate. Hoc autem vt rectè & commodè, ordine ac placidè poſſet fieri, principiò pars vtraq; exponeret ſua argumenta & teſtimonia Scripturæ & veterum, quibus ſuam ſententiam defendere cogitaret, eaq; hoc ordine comprehenſa & numero, qui deinceps in omnibus actionibus obſeruaretur, vt ſemper, quid de vnoquoq; reſponderetur, eſſet conſpicuum: omnibus enim argumentis concluſionum præſertim oppoſitarum, ſimul & diſtinctè ſub aſpectum cadentibus, omnia firmamenta & momenta cauſſæ multò meliùs perſpiciuntur, quàm ſi alia poſt alia proponantur; & hoc modo faciliùs confuſio & prolixitas, & otioſæ repetitiones caueri poſſunt, ne eadem ſubinde argumenta, ac proinde eadem ſolutiones in progreſſu diſputationis ſæpius recurrant. Actione proxima, reſponderet pars vtraq; ad alterius argumenta: Tertio congreſſu, defenderet vtraq; argumenta ſua, aduerſus alterius partis ſolutiones: Quarto, reſponderet vtraq; ad alterius primam defenſionem, ſeu primas inſtantias, datas in actione tertia: Quinto, vtriq; defenderent ſua contra ſolutiones defenſionis primæ: Sexto, reſponderent ad defenſionem ſecundam: Septimo, ſi modò velit pars vtraq; huc vſque diſputando progredi, defenderent

fenderent ſua argumenta tertiò contra ſolutiones defenſionis ſecundæ; Octauo, rurſus ad defenſionem tertiam reſponderent: ſic enim neutra pars poſſet queri, ſe minùs auditam eſſe quàm alteram, cum pari numero vtriq; defendiſſent ſua argumenta, & oppoſita ſoluiſſent; neq; poſſet oriri contentio de poſtrema reſponſione; vtriq; enim eam obtinerent. Argumenta autem & eorum ſolutiones ac defenſiones iuberentur proponere, vt iubebat Lex Attica, ἄνευ προοιμίων καὶ πάθους, breuiter & nudè, non Rhetorum, ſed Dialecticorum more, non niſi neceſſariis declarationibus adhibitis, vt ſunt terminorum expoſitiones, teſtimoniorum applicationes, & monſtratio quòd ea vel in illis contineantur, vel ex illis ſequantur, ad quæ confirmanda allegantur. Declamationes enim tempus producunt fruſtra, & impediunt auditorum iudicia: Sic autem multa argumenta ſpatio vnius atq; alterius horæ poſſunt expediri.

Ceterùm in hac actionum ſerie, ſunt quædam conſideratu neceſſaria, quibus neglectis vix poſſit actio vniuerſa non eſſe turbida & perplexa. In omnibus rebus ſeriis, difficilibus & periculoſis cauenda eſt extemporalitas & præcipitantia, maximè autem in controuerſiis Eccleſiaſticis. Tempus ergo interponendum foret actionibus ſingulis, tridui, quatridui, vel quantum ſatis eſſet vtrique parti, ad reſponſa ſua meditanda & paranda; neq; Synodus rurſus conuocanda, donec vtrique ſignificaſſent Præſidibus, ſe ad reſpondendum eſſe paratos; nimis tamen tardi à Præſidibus hortandi: Intra hoc tempus, actores, adhibitis in conſilium ex ſuis, quibus vellent, dicenda ſcripto conciperent: In conuentibus priuatis ſiue ſeparatis vtriuſq; partis (qui conuentus & ipſi à binis ſuis præſidibus gubernarentur) ſcripta illa recitarentur ſine feſtinatione, perlegenda etiam volentibus darentur, ordine de his interrogarentur ſingulorum ſententiæ, & quod omnibus placeret, hoc de ſcripto diceretur omnium nomine in conſeſſu publico ſeu communi vtriuſq; partis, recitatione diſerta, clara, diſtincta, ita

ut nihil extempore [illegible], nihil non [illegible], nihil non [illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
quid esset, de quo [illegible] scriptis, cum [illegible]
[illegible]. [illegible] responsionibus [illegible]
esse inter [illegible] partis [illegible] collationibus [illegible]
componeretur, quam veniretur in publicum: Extra vero scripta
in illis conuentibus [illegible] approbata, nihil dicere in publico a-
ctoribus liceret, nisi vellent partes eis permittere, ut addant, si
quid in ipsa recitatione ipsis in mentem veniat, quod ad rem fa-
cturum existiment. Hoc autem si fieret, actione finita aſcriberen-
tur ceteris ad verbum, quæ actor de ſuo adiecisset, ut nihil dictũ
eſſet, quod non deſcriptum daretur aduerſariis.

Multa in hoc ordine commoda ineſſent, & incommoda vi-
tarentur. Cum de rebus maximi momenti, in theatro intelligẽ-
tium, ſociorum & aduerſariorum, ex tempore reſpondendum eſt
ad argute cogitata, ſpinoſe, aculeatè, ſpecioſè dicta; vix vllus eſt
tam prompto ingenio, & animo temperato, quin aliquando haſitet
iudicium in rebus aut in verbis, vacillet memoriola, non ea quæ
oportebat dicantur, aut ſaltem non ea, quæ dicerentur à medita-
to, aut non ſicut oportebat; iam trepidatio, iam bilis, iam audi-
tory intuitus commoueat animum; abſtrahat à propoſito callidi-
tas aduerſary, multa miſceantur confuſè, quæ prolixitatem &
obſcuritatem pariunt, & leges iuſtæ diſputationis egrediuntur;
multa elabantur, quorum poſtea pœniteat, multa dicantur ab
vno, quæ ceteri nollent, omittantur, quæ vellẽt dicta; Sin autem
ſingulorum extemporales ſententiæ audiendæ ſint, multò plura
huius generis, & maiorem confuſionem, acerbiores & longiores
conflictus accidere neceſſe eſt; & efferueſcente contentione ſæpe
etiam

etiam moderatoribus accidit quod dicitur; Fertur equis auriga, nec audit currus habenas; atq; ita res mutuis punctionibus, morſibus & clamoribus intricantur magis quàm extricātur, vt tandem neq; diſputatores neq; auditores, quid agatur meminerint aut intelligant, & multa malè excepta per ταχυγράφους nouas obſcuritates pariant. Si verò quæ expoſita eſt, adhibeatur moderatio, tùm quod cuiq; videtur, aut à Deo datum eſt, in commune confertur, vna mente & vno ore per vnum loquuntur omnes, dicuntur meditata, neceſſaria, propria, breuia, perſpicua, ordinata, diſtincta, non affectibus mixta; excludūtur ambitioſorum declamationes, Sophiſtarum euagationes, ſcopticorum dicteria, iracundiorum conuitia & clamores, contentioſorum rixæ; exuitur armis ſuis garrulitas, nec in ea ſpes victoriæ ponitur; præciduntur indignationes & querelæ ob iudicium cuiuſquam neglectum, nihil præteritur aut ſupprimitur ad rem pertinens, non dicuntur pugnantia vel diſsimilia de iiſdem rebus ab eiuſdem partis hominibus, omnes opponunt, omnes reſpondent, omnes ſunt actores, omnes rei, omnes iudicant. Ibi poſſent actiones inſtitui, quas videre & audire viri prudentes, veritatis & pacis amantes velint & queant abſque moleſtia, & quibus intra horas paucas plus expediatur, quàm multorum dierum extemporaneis altercationibus. Augeret hos etiam circunſpectionem in dicendo, ſi in publicis congreſsibus audiendi cauſſa liceret omnibus qui vellent intereſſe; in priuatis autem conuentibus, tantùm vocatis ad Synodum, & ſi quos ipſi alios adeſſe vellent.

Hac via cum ad tertiam defenſionem & reſponſionem eſſet peruentum (vltra quas diſputatio rectè ordinata rarò extēdi poteſt, quin altera pars redigatur in anguſtias, hoc eſt, in diſputationis leges impingat) finita actione poſtrema, præſides toti Synodo indicerent, vt vnuſquiſque conſideret, ſatiſne res diſputata ſit & liqueat, an verò aliam defenſionem partium audire præterea cupiant; & ſi vltrò citroq; dicta iudicent ſufficere, quiſq; de ſentētia

deciſiua dicenda cogitet: interpoſito tempore conuocationi, interrogarentur ſententiæ, primùm de continuanda diſputatione: ſi pergi vellent diſputando, pergeretur dato ad parandam defenſionem quartam tempore vtriſq́;: Si autem aliqui duntaxat vellent pergi, ceteris acquieſcentibus iis quæ iam diſputata eſſent, illi, ne de reſponſionibus ſuis non auditis poſſint conqueri, reſponderent ſanè iterum ad poſtremò propoſita, ſiue per eundem, per quē priùs, ſiue ſi is recuſaret, per alium actorem ex ſuo numero delectum; ſic tamen, vt prius refutata non repeterent, niſi nouis inſtantiis ea vrgere vellent. Quarta hac defenſione & reſponſione audita, iterum iuberentur cogitare, velint ne vlterius pergere; aut ſi nolint, cogitarent de deciſione: Si verò nondum quieſcerent, interrogaretur Synodus, an audiendos iterum iudicet: Hac vbi ſatis diſputatum exiſtimaret, dato rurſus deliberandi tempore, totius Synodi ſententiæ deciſiuæ interrogarentur ordine, penes vtram partem veritatem eſſe iudicarent. In hac autem interrogatione ſententiarum, iterum admonerentur omnes officij, conſcientiæ & iuramenti ſui. Sententiam verò dicendi deliberatiuam & deciſiuam, in priuatis & publicis congreſſibus, ius haberent æquale omnes legati, Eccleſiaſtici, Scholaſtici, Politici, ſine προσωποληψίᾳ, non tantùm Epiſcopi & Prælati; nulli plus deferretur quàm alteri propter ipſorum Principes, Eccleſias, dignitatem &c: Quòd ſi etiā aliquis quippiā eſſet oblitus dicere, aut non veniſſet ei in mentem, quod putet ad rerum declarationem aut confirmationem aliquid momenti afferre, id poſſet in ſententiæ ſuæ dictione adiicere. Neutri autem parti liceret abrumpere diſputationem, niſi de ſententia cedere parata eſſet. Congruentibus verò aut omnibus, aut pleriſq́; partis vtriuſque ſuffragiis, decretum perſcriberetur, collatis Actorum operis: Scriptum proponeretur Synodo corrigendum, ſi quid deſideraretur, & confirmandum; ſi qui reſtarent contumaces, & ſubſcriptionem poſt ſufficientem rationum ſuarum refutationem detrectantes, illis ſilentium imponeretur. Ea-

dem

dem in omnibus controuerſiis ratio ſeruaretur. Soluta Synodo Acta cum decretis publicarentur, Latino & Germanico ſermone, vt iudicare poſſent omnes Eccleſiæ, & omnes fideles, quid & quare & quomodo actum & decretum eſſet.

Septima & poſtrema conſideratio grauiſſima eſt, de ratione ac modo decidendi lites in Synodo agitatas. Hunc modum, ne ſine terminis vagetur diſputatio, & vel rebus infectis diſcedatur, vel impium & iniuſtũ aliquid decernatur, & ſic poſteriora Schiſmata Eccleſiæ fiant deteriora prioribus, neceſſe eſt, ante omnem de Synodo cogitationem, eſſe certum & determinatum. Sunt autem hic duæ quæſtiones; Quis debeat eſſe Iudex in Synodo, & vnde ſtatuendum ſit de veritate & rectitudine latæ ſententiæ. Oſtenſum eſt ſuprà, Eccleſiã non habere poteſtatẽ condẽdi leges de religione, ſecundùm quas iudicetur de vera Dei agnitione & vero eius cultu, qualẽ Magiſtratus habẽt poteſtatem condendi leges poſitiuas Politicas, ſecundùm quas rei abſoluãtur aut damnẽtur: Sed alligatã eſſe ad verbũ Dei, traditũ in Scriptis Propheticis & Apoſtolicis; Vnus eſt Magiſter veſter, qui eſt Chriſtus. Eſt ergo ſupremus in Eccleſia iudex, VERBVM DEI. *Hic iudex ſolus eſt authenticus, & norma omnis iudicij de doctrina Eccleſiæ, à quo non eſt appellatio, & aduerſus quem nulla valet nec autoritas nec diſputatio. Recipiendum eſt ergo in Eccleſia omne dogma congruens cum Scriptura & Symbolis: Repudiandum omne cum his non congruens. Hæc regula plana & immota eſt.*

Matth. 23. 10.

Verbum Dei ſupremus iudex in Eccleſia.

Sed hic difficultas obiicitur; cùm vtraq; pars diſſentientium contendit, hunc Iudicem pro ſe iudicare, hoc eſt, verbum Dei ſtare à ſe; quis pronuntiabit, & vnde conſtabit, vtra pars cum Scriptura conſentiat? De hac quæſtione pronuntiandi autoritatem ſupremam Papa ſibi arrogauit, alij aliis vendicant. Sed reuera ſi hominum arbitrio hìc ſtandum eſt, homines ſupra Deum & verbum Dei collocantur; Scriptura verò tantùm prætextus erit, quo illi ſuas opiniones & placita obtrudant mun-

do. Interea tamen, cum Scriptura tantùm contineat regulam veritatis ſimplicem & generalem, non applicatam & reſtrictam ad exempla, ad ſpeciem, ad indiuidua, hoc eſt, non exprimat nominatim, hic ne an ille, Lutherúſne an alius rectè ſentiat; hac ne oratio; Corpus Chriſti eſt in pane; eſt vbique; an verò illa; Corpus Chriſti non eſt in pane; aut vbique; cum ſententia Scripturæ congruat: Neceſſarius eſt etiam Iudex inferior ſeu Miniſterialis, cuius officium eſt, axioma ſeu Maiorem propoſitionem Syllogiſmi Iudiciarij, quid rectè, quid non rectè ſecundùm Scripturam doceatur, exprimentem, non ſuo arbitrio cõſtituere aut Scripturæ tribuere, ſed ex ipſa Scriptura ſumere; Minorẽ verò ab hominibus, dogma aliquod ſiue verum ſiue falſum aſſeuerantibus, accipere, atq; ita concluſionem neceſſariò conſequentem adiungere ſeu voce & confeſſione ſua exprimere.

Iudex Miniſterialis.

Hoc iudicium inferius, non debet eſſe penes Præſides Synodi; ſic enim ipſorum ſtatueretur maior autoritas quàm Synodi; quod ſanè abſurdũ fuerit, cùm ipſi quoq; neceſſariò ſint ex altera parte litigantium, & Synodus tam propter ipſos quàm propter ceteros vel docendos vel confirmandos conuocetur; ac præterea ſuperuacanea eſſet Synodus, ſi ipſis eſſet committendum iudicium: Poterat enim abſque Synodo illis commiti: ſed ideo congregatur Synodus, ne iudicium de omnibus fiat à paucis. Oportet ergo iudicium hoc miniſteriale penes totam Synodum quidem eſſe; non tamen pẽdere ex ipſa, ſeu niti ipſius autoritate, ſed autoritate verbi Dei, & teſtimonio conſcientiæ ſuæ & aliorum conſiderantium verba Scripturæ ſecundùm legitimæ interpretationis leges. Officium enim Synodi eſt, non articulos fidei condere, aut à Deo traditos ſuo arbitrio exponere; ſed ſententiam Scripturæ de dogmate controuerſo inquirere, ſecundùm eam, quæ dicta eſt, interpretandi normam, & rationes quibus ipſa conuincitur de veritate, etiam ceteris monſtrare, ad eos docendos aut confirmandos. Teſtis quippe veritatis eſt Eccleſia, nõ propter aſſeuerationem ſuam, ſed quia ratio-

rationibus euincit, hoc eſſe verbum Dei, quod ipſa aſſeuerat, & quia profeſsione teſtimonij ſuæ conſcientiæ, & monſtratione argumentorum, deducit alios ad conſiderationem eorum, quibus & illi conuincuntur, vt iam non Eccleſiæ, ſed ipſius Dei teſtimonio agnito & intellecto, fides ipſorum nitatur, ſicut Samaritani dicunt mulieri; Non amplius propter tuos ſermones credimus; ipſi Ioh. 4. 42. *enim audiuimus, & ſcimus hunc eſſe verè Chriſtum. Non enim Deo propter Eccleſiā, ſed Eccleſiæ propter Dei teſtimonium credendum eſt.*

Vt ergo poſsit Synodus talem ſententiam ferre, cuius certitudinem & ipſa videat, & alij videre queant, ante omnia neceſſarium eſt, vt conſtet de ſententia germana dictorum Scripturæ, ex quibus de controuerſia quaque iudicandum eſt. Hæc autem cognoſcitur ex natura & vſu ſermonis, ex analogia fidei, ex dictorum circunſtantiis & collatione. Spiritus enim & ſermo Dei, ipſe eſt regula ſuæ ſententiæ, ac certitudinis argumentum; ideoq́ Scriptura per Scripturam interpretanda. Conſtare item oportet de ſententiis diſsidentium, ne cui fiat iniuria: Caueri ne impediatur ſinceritas iudicij factionibus, conſpirationibus, pactis, promiſsis, minis, gratia, autoritate humana, vel ſimili aliqua cauſſa; quales omnes abiurari in Synodi principio debent, vt conſcientiarum & ſententiarum ſit vera libertas. Requiritur item ad cognitionem deciſioni neceſſariam, vt audiantur partiũ defenſiones & reſponſiones eò vſque, donec altera pars adigatur vel ad principiorum ex quibus diſputandum eſt, negationem ſeu deſtructionem, vel ad repugnantiam qua ſibi ipſi cõtradicat, alibi concedens quod alibi negat, vel ad petitionem principij, qua id ipſum in diſputationis progreſſu ad probationẽ aſſumat, quod proponebatur confirmandum, aut alio fundamẽto nitatur, æquè aut magis incerto, quàm eſt concluſio de qua quæritur. Hi ſunt enim omnium diſputationum fines ac termini, ad quos adigens alterum vincit, adactus autem vincitur, ſiue de diuinis ſiue de

III

humanis rebus quæſtio ſit: In hos tandem neceſſe eſt probationem falſæ concluſionis incidere, quæ non paralogiſmis ludit more Sophiſtico, ſed formam argumentorum iuſtam conſeruat: ſicut contrà, veræ concluſionis defenſio, ſine contradictionis implicatione, ſine principij petitione, ad principiorum ſtabilitionem vſque pertingit. Sunt autem principia in doctrina Eccleſiæ, oracula & teſtimonia diuina, hoc eſt, ſacra Scriptura.

Normæ iudicandi de dogmatibus Eccleſiæ.

Certæ ſunt ergo hæ iudicandi normæ: 1. Quodcunq; dogma, vel iiſdem verbis, quibus proponitur, vel idem ſignificātibus, in Scriptura expreſſum eſt, vel ex iis, quæ expreſſa ſunt, neceſſariò conſequitur, id eſt, bona conſequentia extruitur; tanquam ſanum & orthodoxum, & nitens fundamento ſeu principiis vlteriorem probationē non requirentibus, in Eccleſia recipi debet. 2. Quodcunq; dogma, aut cuiuſcunque dogmatis conſequens neceſſarium, deprehenditur cum expreſſis Scripturæ teſtimoniis, aut eorum conſequentibus neceſſariis pugnare; debet ab Eccleſia tanquam falſum repudiari; ſiue is, à quo defenditur, principia & ex illis cōſequentia neget ſiue confiteatur, atq; ita ſibi contradicens, ſeipſum refutet. 3. Quodcunq; dogma de religione, cum Scriptura quidem non pugnat, veruntamen è Scripturæ verbis, per eorum ſenſum genuinum, aut per neceſſariam conſequentiam, non probari poteſt, ſed vel per ſe ipſum, vel per incerta principia probatur; tanquam Eccleſiaſticum & creditu neceſſarium, non eſt recipiēdum; neq; illud non recipiens, hæreticus iudicandus.

Hunc ſuorum dogmatum conſenſum, oppoſitorum autem pugnantiam cum Scriptura, vel ab ea diſceſſionem demonſtrare, ſcopus eſt in Synodo diſputantium, quem donec altera pars aſſequuta ſit manifeſtè, non eſt abrumpenda diſputatio. Poſtquam autem alterutra pars hoc modo ſuæ ſententiæ veritatem, & contrariæ falſitatem euicit, quod omnino tandem fieri neceſſe eſt; finem vtrique imponere contentioni, conuicti cedere veritati, & communibus cum altera parte ſuffragiis, quod verum eſſe monſtratum

ſtratum & deprehenſum eſt, approbare ac decernere, Deoq́; gloriam ſuam tribuere debet.

Hîc autem rurſus oboriri metus poſsit viris bonis. Sæpe homines, præſertim diu in errore confirmati, non vident congruere cum Scriptura, quæ congruunt, & pugnare quæ pugnant: Sæpe vident, ſed fateri nolunt. Quid igitur, ſi in dicendis ſententiis pars deterior, numero ſuffragiorum vincat meliorem? Sed hi cõſiderare debẽt cauſſas horum incommodorum, ex quibus vel extiterunt, vel exiſtere poſſunt, & non rarò ſolent. Error ex occultatione aut ignorantia veri eſt: diſsimulatio & condemnatio agnitæ veritatis, & defenſio agnitæ falſitatis, ex malitia hominum, qui veritatem in iniuſtitia detinent, & multi peccant in Spiritum ſanctum. His cauſsis remotis, non eſt metuendum illud iniuſtæ ſententiæ Synodi periculum. Sæpe iniuriam paſſa eſt veritas in Synodis, quia omnes congregati conſenſerũt in eodem errore, atq; ita veritas deſerta & ſilentio prꝗterita eſt; aut actione non legitimè inſtituta, per vim aut fraudem eius defenſio oppreſſa eſt, vt in Arianorum & Eutychianorum, ac deinceps Romanenſium Synodis. Hîc autem dictum eſt, non ex vna, ſed ex vtraq; parte diſsidentium, eſſe mittendos æquali iure & libertate, diſputaturos in Synodo. Sic veritas nec reticebitur; nec deſtituetur idoneis defenſoribus, & prætextus ignorantiæ non relinquetur. Si hominum indoctorum & imperitorum multitudo confluat, quibus vnus Sophiſta tinnulus perſuadere queat niuem eſſe nigram, iis fortè hîc etiam perſuaſerit, quinq; eſſe paria & imparia. At nos de conuentu virorum loquimur, qui doctrinam, prudentiam, & ætatem habeant. His non tam facilè perſuadebitur, non pugnare quæ pugnant, aut contradictoria ſimul eſſe vera, aut probationem eſſe, quæ nulla eſt. Nam Deus inſeuit mentibus hominum intelligentiam ſermonis, contradictionis, & bonæ conſequentiæ, vt ſint organum Spiritus diuini, ad erudiendos & conuincendos de veritate omnes ſanos, ſanctos & non ſan-

Schvuenckfeldianis, aut aliis, etiam ex Pontificiis aliqui comparere & ſua defendere vellent; ſaluis tamen legibus Synodicis, ac ſi digna examine videatur controuerſia. Hæc enim excluſio non congruit cum dilectionis regula, quæ poſtulat erudiri fraternè, cupientes doceri, præſertim de fundamētis doctrinæ conſentientes, & paratos omnia abiicere, quæ cum verbo Dei pugnare fuerit demonſtratum. De his certè non excludendis, ſed includendis in Eccleſiam, eſt laborandum. Non enim Chriſtianorum officium aut ingenium eſt, tantummodo ſui rationem habere, ſine cogitatione omni, quid de aliorum ſalute corporali & Spirituali, & de Chriſti gloria in mundo fiat. Siquidem ergo illis omnino videtur, penes ſe eſſe veritatem: debebant ſanè errantes etiam vltrò inuitare ad conferendum & diſcendum, nedum audiri & audire cupientes non repellere. Eſt igitur impia, & ad omnem poſteritatem probroſa vox Theologorum, quos palàm dicere & Concio.2. de lib. Cōcord. *ſcribere non pudet*, NON ESSE CONVENTVM AGENDVM CVM IIS, QVOS VOCANT SACRAMENTARIOS. *Atqui de Papiſtis hoc non audent dicere, qui ſunt profeſſi hoſtes Auguſtanæ Confeſſionis, quod nos non ſumus. Nulla fuit hæreſis tam blaſphema & execrabilis, quam non ad diſputationem Synodicam admiſerit vetus Eccleſia, & non priùs conuicerit, quàm condemnauerit. Cur igitur nos ſolos excludunt iſti Theologi? nempe quia aduerſus aliorum cauſſas malas, confidunt ſe facilè conſiſtere poſſe; aduerſus noſtram verò de victoria deſperant.*

Vt autem omnia fiant ordine, conuenire debent ad conferendum, non ab vno, vel à paucis vnius partis, aut vnius Principis vel Eccleſiæ Theologis deſignati, ſed delecti & vocati à ſuis Eccleſiis & magiſtratibus. In eo delectu, etſi quoad iudicio & diligentia humana fieri poteſt, præferri debent, quorum ſunt mores publico teſtimonio probati, non auari, ambitioſi, contentioſi, Epicurei, aut flagitioſi, ſed qui doctrina, pietate, prudentia, & mode-

ſtia

ſtia aliis antecellere iudicantur, præſertim doctores & paſtores Eccleſiarum: tamen ante omnes euocandi & cogendi ſunt ab vtraque parte, præcipui defenſores dogmatum pugnantium. Præterea, licet Synodus potiſſimùm conſtare debet ex doctoribus Eccleſiarum; tamen quia ſæpe ſunt etiam inter alios Eccleſiarum ciues, viri præſtantia donorum, & intelligentia doctrinæ cœleſtis non inferiores, quandoq; etiam ſuperiores earum paſtoribus, & ad diſputationes de doctrina magis idonei; hos quoque ab Eccleſiis delectos & miſſos ad collationē & dictionē ſententiarū, pari cum ceteris iure conuenit admitti, ſiue ſcholaſtici, ſiue politici ordinis perſonæ fuerint. Non tantùm enim officij dignitas, ſed etiam laus virtutis & ſapientiæ, ad veram autoritatem requiritur.

Quintò, diligenter conſiderandum erit, quibus conditionibus omnes acturi in Synodo ſint obſtringendi, vt omnia poſſint ordinatè & decenter peragi: quales exempli cauſſa ſunt iſtæ: vt ne dicatur, quod Iohanni Huſſo, Hæreticis non eſt ſeruanda fides; ſed detur & ſeruetur omnibus cuiuſcunque gentis aut partis, fides publica, qua ſecuri accedant, & interſint Synodo, & ad ſuos redeant, ac certi ſint ſibi non fore fraudi, nec apud ſuos nec apud alios, libertatē ſententiarū, tam ante quàm poſt actionē abſolutā: Vt non ſint iurati in vllā Confeſſionis particularis aut priuatæ formulam, nec autoritati Principū vel doctorum ſuorum, Lutheri, Brentij, Zvuinglij, Philippi, Caluini, vel aliorum addicti; ſed omnes iurent, ſe nihil præter Scripturam & Symbola Catholica habituros loco fundamenti & fidei regulæ, & priuatim ac publicè dicturos ſententiam, quam ipſorum conſcientia iudicauerit cum hac norma congruere, in nullius hominis gratiam aut inuidiam, & nullius neq; commodi ſpe, neq; periculi metu; quoties de ſenſu verborum Scripturæ quæſtio inciderit, ſe diſputaturos & iudicaturos de eo ex analogia fidei, ex natura & vſu ſermonis Prophetici & Apoſtolici, ex collatione dictorū Scriptu-

ræ, & cuiuſq; dicti circunſtantiis: Patrum autem teſtimonia ad declarandum aut confirmandum non adhibituros, niſi ſententiis priùs è Scriptura confirmatis: ſe omnes ex æquo obligatos fore ad reddendas doctrinæ & actionum ſuarum rationes; quod ni faciant, caſuros cauſſa: acturos omnia in priuatis & publicis congreſsibus, ordine, modeſtè ac pacificè, ſine affectibus, præiudiciis, factionibus, προσωποληψίᾳ, ſine acerbitate, rixis, conuitiis, ſcommatibus, contumeliis, oſtentatione, immodica altercatione & loquacitate, ſophiſtica affectata, euagationibus extra propoſitum & non neceſſaria temporis extractione; Et parituros Synodi ſententiæ in omnibus, de quibus ex verbo Dei fuerint conuicti: Liberētur vſq; ad finem Synodi, omnibus aliis iuramentis, quæ huic iuramento Synodico obſtare poſſent, & obligetur vtraq; pars ad acta poſt Synodi ſolutionem publicanda communi cōſilio, ea lege, vt ſi pars vna tergiuerſetur, altera habeat poteſtatē ea publicādi.

Forma actionum Synodicarum.

Sextò, adhibenda eſt etiam diligens cura Principum & Magiſtratuū, vt in conuentu actiones, non more Romanenſi aut Bergenſi, ſed legitimè procedant, & omnia iuſto fiant ordine ac modo: Exempli cauſſa (prudentes enim, ſi ad rem veniendum eſſet, inuenirent meliora conſilia) vt poſtquam loco & tempore conſtituto legati conueniſſent, ſupplicationes ad Deum verbis conceptis, in principio & fine ſingulorum congreſſuum, & in ſingulis Eccleſiis toto durantis Synodi tempore indictæ habēdæ, eſſent, & nomine Principum denuntiata eſſet conuocationis cauſſa, & hortatio inſtituto conueniens; ſiue propoſitis confeſsionibus diſsidentium, Auguſtana & aliqua noſtrarum Eccleſiarum, quæ placeret, ſiue duntaxat controuerſiarum præcipuarum capitibus nominatis, iuberentur dato cogitandi ſpatio, ſinguli dicere, quid in aliorū doctrina deſiderent: Si plures controuerſiæ mouerentur, habita deliberatione, redigerentur in ordinem, quo alia poſt aliam tractanda eſſet, ita ne illarum fieret confuſio, quæ maximè ſolet impedire iudicia, vtq́; illæ priùs tractarentur, quæ ad aliarum declara-

clarationem requiruntur, ac præſertim, de quibus plures diſſentiunt: Qui de iiſdem capitibus diſſentirent ab aliis, in ſingulis controuerſiis tractandis iuberentur ſe coniungere, vt conſtaret, quid quiſq; tueri vellet, & totius Synodi in duas partes diuiſio, quam contradictoriarum ſententiarum aſſertio neceſſariò eſſet paritura, atq; ita ordo diſputationis expeditus & perſpicuus, poſſet conſeruari: Facta hac ſeceſſione in duas claſſes, in qualibet controuerſia, vtriſque iniungeretur nomine Principum, vt binos per ſuffragia eligerent præſides actionum (niſi fortè Principes ipſi hos dare mallent) & ſingulos actores: Præſides, non qui eſſent controuerſiarum iudices (hoc enim eſt officium totius Synodi) ſed qui cœtum conuocarent, proponerent agenda, ſententias interrogarent & notariis adhibitis colligerent, dicerent ipſi quoq; poſt alios ſententiam eodem iure quo ceteri, & gubernarent actionem tanquam νομοφύλακες, vt omnia ſecundùm ordinem præſcriptum agerentur; ad quam rem peculiariter obligandi eſſent: Actores autem, qui in publico conſeſſu dicenda, priùs conciperent ſcriptis, parti ſuæ toti ſeorſum proponerent, ex illius ſuffragiis corrigerent, & ab omnibus ὁμοψήφοις probata, in communi conſeſſu demum nomine illorum recitarent; ſalua tamen libertate, ſi donorum diuerſitas ita ferret, alij reſponſorum conſcriptionem, alij recitationem demandandi: Ante initium verò actionum, leges agendi & decidendi, de communi Principum conſilio ſcriptæ, proponerentur Synodo, vt communibus ſuffragiis correctas, ſi opus ſit, & approbatas, nemo poſſet detrectare; eaſq; Principes, eorúmque commiſſarij & legati, & Præſides Synodi tuerentur ſeriò; In actionum principio, Actores priuatim inter ſe conuenirent in vnaquaq; cōtrouerſia, de ſtatu ſeu quæſtione vna, certa, breui, accurata, propriis & perſpicuis verbis, non ambiguis, non captioſis cōcepta, vt ſcirent omnes acturi & audituri, qua de re propriè contenderetur, & vitarentur λογομαχίαι ac ſophiſmatum inuolucra & effugia: Concepta hoc modo quæſtio, toti Synodo proponeretur,

& poſtquam de eà conueniſſet, vna pars affirmatiuam, altera negatiuam ſuſciperet defendendam: vt, ſi propoſitum eſſet, hoc inter nos quæri, An corpus Chriſti ſua ſubſtantia ſit vbiq; præſens: aduerſarij ad affirmatiuam, noſtri ad negatiuam partem, omnia argumenta ſua dirigerent: Multum enim intereſt, ad ordinem & perſpicuitatem diſputationis, quæſtionem rectè conſtitui: eſſetq; in qualibet cauſſa ſumenda & formanda quæſtio hæc, ex mutuis Confeſſionum ſeu dogmatum reprehenſionibus, de quibus dictum eſt paulò antè, aſſumtis, ſi vellent actores, etiam aliquibus vtrinq; ex ſua parte, aut ſi fortè non poſſet inter eos conuenire, etiam præſidibus vel tota Synodo: Conſtituta hoc modo quæſtione, vtriuſque partis ſententiæ & rationes audirentur, diligenter cognoſcerentur, examinarentur, conferrentur cum Scriptura & antiquitate. Hoc autem vt rectè & commodè, ordine ac placidè poſſet fieri, principiò pars vtraq; exponeret ſua argumenta & teſtimonia Scripturæ & veterum, quibus ſuam ſententiam defendere cogitaret, eaq; hoc ordine comprehenſa & numero, qui deinceps in omnibus actionibus obſeruaretur, vt ſemper, quid de vnoquoq; reſponderetur, eſſet conſpicuum: omnibus enim argumentis concluſionum præſertim oppoſitarum, ſimul & diſtinctè ſub aſpectum cadentibus, omnia firmamenta & momenta cauſſæ multò meliùs perſpiciuntur, quàm ſi alia poſt alia proponantur; & hoc modo faciliùs confuſio & prolixitas, & otioſa repetitiones caueri poſſunt, ne eadem ſubinde argumenta, ac proinde eædem ſolutiones in progreſſu diſputationis ſæpius recurrant. Actione proxima, reſponderet pars vtraq; ad alterius argumenta: Tertio congreſſu, defenderet vtraq; argumenta ſua, aduerſus alterius partis ſolutiones: Quarto, reſponderet vtraq; ad alterius primam defenſionem, ſeu primas inſtantias, datas in actione tertia: Quinto, vtriq; defenderent ſua contra ſolutiones defenſionis primæ: Sexto, reſponderent ad defenſionem ſecundam: Septimo, ſi modò velit pars vtraq; huc vſque diſputando progredi, defenderent

ſenderent ſua argumenta tertiò contra ſolutiones defenſionis ſecundæ; Octauo, rurſus ad defenſionem tertiam reſponderent: ſic enim neutra pars poſſet queri, ſe minùs auditam eſſe quàm alteram, cum pari numero vtriq; defendiſſent ſua argumenta, & oppoſita ſoluiſſent; neq; poſſet oriri contentio de poſtrema reſponſione; vtriq; enim eam obtinerent. Argumenta autem & eorum ſolutiones ac defenſiones iuberentur proponere, vt iubebat Lex Attica, ἄνευ προοιμίων καὶ πάθους, breuiter & nudè, non Rhetorum, ſed Dialecticorum more, non niſi neceſſariis declarationibus adhibitis, vt ſunt terminorum expoſitiones, teſtimoniorum applicationes, & monſtratio quòd ea vel in illis contineantur, vel ex illis ſequantur, ad quæ confirmanda allegantur. Declamationes enim tempus producunt fruſtra, & impediunt auditorum iudicia: Sic autem multa argumenta ſpatio vnius atq; alterius horæ poſſunt expediri.

Ceterùm in hac actionum ſerie, ſunt quædam conſideratu neceſſaria, quibus neglectis vix poſſit actio vniuerſa non eſſe turbida & perplexa. In omnibus rebus ſeriis, difficilibus & periculoſis cauenda eſt extemporalitas & præcipitantia, maximè autem in controuerſiis Eccleſiaſticis. Tempus ergo interponendum foret actionibus ſingulis, tridui, quatridui, vel quantum ſatis eſſet vtrique parti, ad reſponſa ſua meditanda & paranda; neq; Synodus rurſus conuocanda, donec vtrique ſignificaſſent Præſidibus, ſe ad reſpondendum eſſe paratos; nimis tamen tardi à Præſidibus hortandi: Intra hoc tempus, actores, adhibitis in conſilium ex ſuis, quibus vellent, dicenda ſcripto conciperent: In conuentibus priuatis ſiue ſeparatis vtriuſq; partis (qui conuentus & ipſi à binis ſuis præſidibus gubernarentur) ſcripta illa recitarentur ſine feſtinatione, perlegenda etiam volentibus darentur, ordine de his interrogarentur ſingulorum ſententiæ, & quod omnibus placeret, hoc de ſcripto diceretur omnium nomine in conſeſſu publico ſeu communi vtriuſq; partis, recitatione diſerta, clara, diſtincta, ita

vt nihil extemporale, nihil non meditatũ, nihil non de omnium ſociorum ſententia, nihil non ſcriptum & accuratè examinatum priùs quàm dictum, audiretur ac probè intelligeretur in eo conſeſſu: actione finita, vtraq; pars, quod dixiſſet, ſcriptum traderet aduerſariis, vt illud probè examinare & ponderare priuatim, & ſimiliter meditatam reſponſionem in publico proferre poſſent: ſi quid eſſet, de quo dubitarent in ſcripto, eius ab autoribus declaratio peteretur. Si qua de argumentis aut reſponſionibus diſſenſio eſſet inter ſocios eiuſdẽ partis, id in his collationibus priuatis priùs componeretur, quàm veniretur in publicum: Extra verò ſcripta in illis conuentibus ſeparatis approbata, nihil dicere in publico actoribus liceret; niſi vellent partes eis permittere, vt addant, ſi quid in ipſa recitatione ipſis in mentem veniat, quod ad rem facturum exiſtiment: Hoc autem ſi fieret, actione finita aſſciberentur ceteris ad verbum, quæ actor de ſuo adiecíſſet, vt nihil dictũ eſſet, quod non deſcriptum daretur aduerſariis.

Multa in hoc ordine commoda ineſſent, & incommoda vitarentur. Cùm de rebus maximi momenti, in theatro intelligẽtium, ſociorum & aduerſariorum, ex tempore reſpondendum eſt ad argutè cogitata, ſpinosè, aculeatè, ſpeciosè dicta; vix vllus eſt tam promto ingenio, & animo temperato, quin aliquando hæſitet iudicium in rebus aut in verbis, vacillet memoriola, non ea quæ oportebat dicantur, aut ſaltem non ea, quæ dicerentur à meditato, aut non ſicut oportebat; iam trepidatio, iam bilis, iam auditorij intuitus commoueat animum; abſtrahat à propoſito calliditas aduerſarij, multa miſceantur confusè, quæ prolixitatem & obſcuritatem pariunt, & leges iuſtæ diſputationis egrediuntur; multa elabantur, quorum poſtea pœniteat, multa dicantur ab vno, quæ ceteri nollent, omittantur, quæ vellẽt dicta; Sin autem ſingulorum extemporales ſententiæ audiendæ ſint, multò plura huius generis, & maiorem confuſionem, acerbiores & longiores conflictus accidere neceſſe eſt; & efferueſcente contentione ſæpe

etiam

etiam moderatoribus accidit quod dicitur; Fertur equis auriga, nec audit currus habenas; atq; ita res mutuis punctionibus, morſibus & clamoribus intricantur magis quàm extricãtur, vt tandem neq; diſputatores neq; auditores, quid agatur meminerint aut intelligant, & multa malè excepta per ταχυγράφους nouas obſcuritates pariant. Si verò quæ expoſita eſt, adhibeatur moderatio, tùm quod cuiq; videtur, aut à Deo datum eſt, in commune confertur, vna mente & vno ore per vnum loquuntur omnes, dicuntur meditata, neceſſaria, propria, breuia, perſpicua, ordinata, diſtincta, non affectibus mixta; excluduntur ambitioſorum declamationes, Sophiſtarum euagationes, ſcopticorum dicteria, iracundiorum conuitia & clamores, contentioſorum rixæ; exuitur armis ſuis garrulitas, nec in ea ſpes victoriæ ponitur; præciduntur indignationes & querelæ ob iudicium cuiuſquam neglectum, nihil præteritur aut ſupprimitur ad rem pertinens, non dicuntur pugnantia vel diſſimilia de iiſdem rebus ab eiuſdem partis hominibus, omnes opponunt, omnes reſpondent, omnes ſunt actores, omnes rei, omnes iudicant. Ibi poſſent actiones inſtitui, quas videre & audire viri prudentes, veritatis & pacis amantes velint & queant abſque moleſtia, & quibus intra horas paucas plus expediatur, quàm multorum dierum extemporaneis altercationibus. Augeret hoc etiam circunſpectionem in dicendo, ſi in publicis congreſſibus audiendi cauſſa liceret omnibus qui vellent intereſſe; in priuatis autem conuentibus, tantùm vocatis ad Synodum, & ſi quos ipſi alios adeſſe vellent.

Hac via cum ad tertiam defenſionem & reſponſionem eſſet peruentum (vltra quas diſputatio rectè ordinata rarò extẽdi poteſt, quin altera pars redigatur in anguſtias, hoc eſt, in diſputationis leges impingat) finita actione poſtrema, præſides toti Synodo indicerent, vt vnuſquiſque conſideret, ſatiſne res diſputata ſit & liqueat, an verò aliam defenſionem partium audire præterea cupiant; & ſi vltrò citroq; dicta iudicent ſufficere, quiſq; de ſentẽtia

deciſiua dicenda cogitet: interpoſito tempore conuocationi, interrogarentur ſententiæ, primùm de continuanda diſputatione: ſi pergi vellent diſputando, pergeretur dato ad parandam defenſionem quartam tempore vtriſq;: Si autem aliqui duntaxat vellent pergi, ceteris acquieſcentibus iis quæ iam diſputata eſſent, illi, ne de reſponſionibus ſuis non auditis poſſint conqueri, reſponderent ſanè iterum ad poſtremò propoſita, ſiue per eundem, per quē prius, ſiue ſi is recuſaret, per alium actorem ex ſuo numero delectum; ſic tamen, vt priùs refutata non repeterent, niſi nouis inſtantiis ea vrgere vellent. Quarta hac defenſione & reſponſione audita, iterum iuberentur cogitare, velint ne vlterius pergere; aut ſi nolint, cogitarent de deciſione: Si verò nondum quieſcerent, interrogaretur Synodus, an audiendos iterum iudicet: Hæc vbi ſatis diſputatum exiſtimaret, dato rurſus deliberandi tempore, totius Synodi ſententiæ deciſiuæ interrogarentur ordine, penes vtram partem veritatem eſſe iudicarent. In hac autem interrogatione ſententiarum, iterum admonerentur omnes officij, conſcientiæ & iuramenti ſui. Sententiam verò dicendi deliberatiuam & deciſiuam, in priuatis & publicis congreſſibus, ius haberent æquale omnes legati, Eccleſiaſtici, Scholaſtici, Politici, ſine προσωποληψία, non tantum Epiſcopi & Prælati; nulli plus deferretur quàm alteri propter ipſorum Principes, Eccleſias, dignitatem &c: Quòd ſi etiā aliquis quippiā eſſet oblitus dicere, aut non veniſſet ei in mentem, quod putet ad rerum declarationem aut confirmationem aliquid momenti afferre, id poſſet in ſententiæ ſua dictione adiicere. Neutri autem parti liceret abrumpere diſputationem, niſi de ſententia cedere parata eſſet. Congruentibus verò aut omnibus, aut pleriſq; partis vtriuſque ſuffragiis, decretum perſcriberetur, collatis Actorum operis: Scriptum proponeretur Synodo corrigendum, ſi quid deſideraretur, & confirmandum; ſi qui reſtarent contumaces, & ſubſcriptionem poſt ſufficientem rationum ſuarum refutationem detrectantes, illis ſilentium imponeretur. Eadem

dem in omnibus controuerſiis ratio ſeruaretur. Soluta Synodo Acta cum decretis publicarentur, Latino & Germanico ſermone, vt iudicare poſſent omnes Eccleſiæ, & omnes fideles, quid & quare & quomodo actum & decretum eſſet.

Septima & poſtrema conſideratio grauiſſima eſt, de ratione ac modo decidendi lites in Synodo agitatas. Hunc modum, ne ſine terminis vagetur diſputatio, & vel rebus infectis diſcedatur, vel impium & iniuſtũ aliquid decernatur, & ſic poſteriora Schiſmata Eccleſiæ fiant deteriora prioribus, neceſſe eſt, ante omnem de Synodo cogitationem, eſſe certum & determinatum. Sunt autem hic duæ quæſtiones; Quis debeat eſſe Iudex in Synodo, & vnde ſtatuendum ſit de veritate & rectitudine latæ ſententiæ. Oſtenſum eſt ſuprà, Eccleſiã non habere poteſtatẽ condẽdi leges de religione, ſecundùm quas iudicetur de vera Dei agnitione & vero eius cultu, qualẽ Magiſtratus habẽt poteſtatem condendi leges poſitiuas Politicas, ſecundùm quas rei abſoluãtur aut damnẽtur: Sed alligatã eſſe ad verbũ Dei, traditũ in Scriptis Propheticis & Apoſtolicis; Vnus eſt Magiſter veſter, qui eſt Chriſtus. Eſt ergo ſupremus in Eccleſia index, VERBVM DEI. *Hic iudex ſolus eſt authenticus, & norma omnis iudicij de doctrina Eccleſiæ, à quo non eſt appellatio, & aduerſus quem nulla valet nec autoritas nec diſputatio. Recipiendum eſt ergo in Eccleſia omne dogma congruens cum Scriptura & Symbolis: Repudiandum omne cum his non congruens. Hæc regula plana & immota eſt.*

Matth. 23. 10.

Verbum Dei ſupremus iudex in Eccleſia.

Sed hic difficultas obiicitur; cùm vtraq; pars diſſentientium contendit, hunc Iudicem pro ſe iudicare, hoc eſt, verbum Dei ſtare à ſe; quis pronuntiabit, & vnde conſtabit, vtra pars cum Scriptura conſentiat? De hac quæſtione pronuntiandi autoritatem ſupremam Papa ſibi arrogauit, alij aliis vendicant. Sed reuera ſi hominum arbitrio hic ſtandum eſt, homines ſupra Deum & verbum Dei collocantur; Scriptura verò tantùm prætextus erit, quo illi ſuas opiniones & placita obtrudant mun-

do. Interea tamen, cum Scriptura tantùm contineat regulam veritatis ſimplicem & generalem, non applicatam & reſtrictam ad exempla, adſpeciem, ad indiuidua, hoc eſt, non exprimat nominatim, hic ne an ille, Lutherúſne an alius rectè ſentiat; hæc ne oratio; Corpus Chriſti eſt in pane; eſt vbique; an verò illa; Corpus Chriſti non eſt in pane; aut vbique; cum ſententia Scripturæ congruat: Neceſſarius eſt etiam Iudex inferior ſeu Miniſterialis, cuius officium eſt, axioma ſeu Maiorem propoſitionem Syllogiſmi Iudiciarij, quid rectè, quid non rectè ſecundùm Scripturam doceatur, exprimentem, non ſuo arbitrio cōſtituere aut Scripturæ tribuere, ſed ex ipſa Scriptura ſumere; Minorē verò ab hominibus, dogma aliquod ſiue verum ſiue falſum aſſeuerantibus, accipere, atq; ita concluſionem neceſſariò conſequentem adiungere ſeu voce & confeſſione ſua exprimere.

Iudex Miniſterialis.

Hoc iudicium inferius, non debet eſſe penes Præſides Synodi; ſic enim ipſorum ſtatueretur maior autoritas quàm Synodi; quod ſanè abſurdū fuerit, cùm ipſi quoq; neceſſariò ſint ex altera parte litigantium, & Synodus tam propter ipſos quàm propter ceteros vel docendos vel confirmandos conuocetur; ac præterea ſuperuacanea eſſet Synodus, ſi ipſis eſſet committendum iudicium: Poterat enim abſque Synodo illis commiti: ſed ideo congregatur Synodus, ne iudicium de omnibus fiat à paucis. Oportet ergo iudicium hoc miniſteriale penes totam Synodum quidem eſſe; non tamen pēdere ex ipſa, ſeu niti ipſius autoritate, ſed autoritate verbi Dei, & teſtimonio conſcientiæ ſuæ & aliorum conſiderantium verba Scripturæ ſecundùm legitimæ interpretationis leges. Officium enim Synodi eſt, non articulos fidei condere, aut à Deo traditos ſuo arbitrio exponere; ſed ſententiam Scripturæ de dogmate controuerſo inquirere, ſecundùm eam, quæ dicta eſt, interpretandi normam, & rationes quibus ipſa conuincitur de veritate, etiam ceteris monſtrare, ad eos docendos aut confirmandos. Teſtis quippe veritatis eſt Eccleſia, nō propter aſſeuerationem ſuam, ſed quia ratio-

rationibus euincit, hoc eſſe verbum Dei, quod ipſa aſſeuerat, & quia profeſſione teſtimonij ſuæ conſcientiæ, & monſtratione argumentorum, deducit alios ad conſiderationem eorum, quibus & illi conuincuntur, vt iam non Eccleſiæ, ſed ipſius Dei teſtimonio cognito & intellecto, fides ipſorum nitatur, ſicut Samaritani dicunt mulieri; Non amplius propter tuos ſermones credimus; ipſi enim audiuimus, & ſcimus hunc eſſe verè Chriſtum. Non enim Deo propter Eccleſiæ, ſed Eccleſiæ propter Dei teſtimonium credendum eſt. Ioh. 4. 42

Vt ergo poſſit Synodus talem ſententiam ferre, cuius certitudinem & ipſa videat, & alij videre queant, ante omnia neceſſarium eſt, vt conſtet de ſententia germana dictorum Scripturæ, ex quibus de controuerſia quaque iudicandum eſt. Hæc autem cognoſcitur ex natura & vſu ſermonis, ex analogia fidei, ex dictorum circunſtantiis & collatione. Spiritus enim & ſermo Dei, ipſe eſt regula ſuæ ſententiæ, ac certitudinis argumentum; ideoq́ Scriptura per Scripturam interpretanda. Conſtare item oportet de ſententiis diſſidentium, ne cui fiat iniuria: Caueri ne impediatur ſinceritas iudicij factionibus, conſpirationibus, pactis, promiſſis, minis, gratia, autoritate humana, vel ſimili aliqua cauſſa; quales omnes abiurari in Synodi principio debent, vt conſcientiarum & ſententiarum ſit vera libertas. Requiritur item ad cognitionem deciſioni neceſſariam, vt audiantur partiũ defenſiones & reſponſiones eò vſque, donec altera pars adigatur vel ad principiorum ex quibus diſputandum eſt, negationem ſeu deſtructionem, vel ad repugnantiam qua ſibi ipſi cõtradicat, alibi concedens quod alibi negat, vel ad petitionem principij, qua id ipſum in diſputationis progreſſu ad probationẽ aſſumat, quod proponebatur confirmandum, aut alio fundamẽto nitatur, æquè aut magis incerto, quàm eſt concluſio de qua quæritur. Hi ſunt enim omnium diſputationum fines ac termini, ad quos adigens alterum vincit, adactus autem vincitur, ſiue de diuinis ſiue de

humanis rebus quæſtio ſit: In hos tandem neceſſe eſt probationem falſæ concluſionis incidere, quæ non paralogiſmis ludit more Sophiſtico, ſed formam argumentorum iuſtam conſeruat: ſicut contrà, veræ concluſionis defenſio, ſine contradictionis implicatione, ſine principij petitione, ad principiorum ſtabilitionem vſque pertingit. Sunt autem principia in doctrina Eccleſiæ, oracula & teſtimonia diuina, hoc eſt, ſacra Scriptura.

Normæ iudicandi de dogmatibus Eccleſiæ.

Certæ ſunt ergo hæ iudicandi normæ: 1. Quodcunq; dogma, vel iiſdem verbis, quibus proponitur, vel idem ſignificātibus, in Scriptura expreſſum eſt, vel ex iis, quæ expreſſa ſunt, neceſſariò conſequitur, id eſt, bona conſequentia extruitur; tanquam ſanum & orthodoxum, & nitens fundamento ſeu principiis vlteriorem probationē non requirentibus, in Eccleſia recipi debet. 2. Quodcunq; dogma, aut cuiuſcunque dogmatis conſequens neceſſarium, deprehenditur cum expreſſis Scripturæ teſtimoniis, aut eorum conſequentibus neceſſariis pugnare; debet ab Eccleſia tanquam falſum repudiari; ſiue is, à quo defenditur, principia & ex illis cōſequentia neget ſiue confiteatur, atq; ita ſibi contradicens, ſeipſum refutet. 3. Quodcunq; dogma de religione, cum Scriptura quidem non pugnat, veruntamen è Scripturæ verbis, per eorum ſenſum genuinum, aut per neceſſariam conſequentiam, non probari poteſt, ſed vel per ſeipſum, vel per incerta principia probatur; tanquam Eccleſiaſticum & creditu neceſſarium, non eſt recipiēdum; neq; illud non recipiens, hæreticus iudicandus.

Hunc ſuorum dogmatum conſenſum, oppoſitorum autem pugnantiam cum Scriptura, vel ab ea diſceſſionem demonſtrare, ſcopus eſt in Synodo diſputantium, quem donec altera pars aſſequuta ſit manifeſtè, non eſt abrumpenda diſputatio. Poſtquam autem alterutra pars hoc modo ſuæ ſententiæ veritatem, & contrariæ falſitatem euicit, quod omnino tandem fieri neceſſe eſt; finem vtrique imponere contentioni, conuicti cedere veritati, & communibus cum altera parte ſuffragiis, quod verum eſſe monſtratum

ſtratum & deprehenſum eſt, approbare ac decernere, Deoq́; gloriam ſuam tribuere debet.

Hic autem rurſus oboriri metus poßit viris bonis. Sæpe homines, præſertim diu in errore confirmati, non vident congruere cum Scriptura, quæ congruunt, & pugnare quæ pugnant: Sæpe vident, ſed fateri nolunt. Quid igitur, ſi in dicendis ſententiis pars deterior, numero ſuffragiorum vincat meliorem? Sed hi cõſiderare debẽt cauſſas horum incommodorum, ex quibus vel extiterunt, vel exiſtere poſſunt, & non rarò ſolent. Error ex occultatione aut ignorantia veri eſt: dißimulatio & condemnatio agnitæ veritatis, & defenſio agnitæ falſitatis, ex malitia hominum, qui veritatem in iniuſtitia detinent, & multi peccant in Spiritum ſanctum. His cauſsis remotis, non eſt metuendum illud iniuſtæ ſententiæ Synodi periculum. Sæpe iniuriam paſſa eſt veritas in Synodis, quia omnes congregati conſenſerũt in eodem errore, atq; ita veritas deſerta & ſilentio præterita eſt; aut actione non legitimè inſtituta, per vim aut fraudem eius defenſio oppreſſa eſt, vt in Arianorum & Eutychianorum, ac deinceps Romanenſium Synodis. Hic autem dictum eſt, non ex vna, ſed ex vtraq; parte dißidentium, eſſe mittendos æquali iure & libertate, diſputaturos in Synodo. Sic veritas nec reticebitur, nec deſtituetur idoneis defenſoribus, & prætextus ignorantiæ non relinquetur. Si hominum indoctorum & imperitorum multitudo confluat, quibus vnus Sophiſta tinnulus perſuadere queat niuem eſſe nigram, iis fortè hic etiam perſuaſerit, quinq; eſſe paria & imparia. At nos de conuentu virorum loquimur, qui doctrinam, prudentiam, & ætatem habeant. His non tam facilè perſuadebitur, non pugnare quæ pugnant, aut contradictoria ſimul eſſe vera, aut probationem eſſe, quæ nulla eſt. Nam Deus inſeuit mentibus hominum intelligentiam ſermonis, contradictionis, & bonæ conſequentiæ, vt ſint organum Spiritus diuini, ad erudiendos & conuincendos de veritate omnes ſanos, ſanctos & non ſan-

ctos, vt non poſſint non videre quæ vident, & conſcientia ſit mille teſtes. Si abrumperetur diſputatio antè, quàm audita eſſent reſponſiones neceſſariæ, poſſet aliquibus imponere ſpecioſa ſophiſtica, vt fallerentur iudicio. At nos diximus, in legitima Synodo actiones eſſe perſequendas vſq; ad veri & falſi euidentiam, vtriq; parti ſatisfacientem. Hoc vbi fit, neceſſe eſt tandem, falſa tuentem aut principia aut ſuas ipſius hypotheſes euertere, aut omni probatione deſtitui, atq; ita diſputationis exitum ſuccumbendo facere. Leges autem Synodicæ cogere debent vtranq; partem, rationes ſuarum aſſertionum ſufficientes reddere; id non volentibus, aut non valentibus, tanquam victis, ſilentium imponere, & facta inclinatione multorum vnius partis ad alteram, paucos præter rem contẽtioſos & δυσκολαίνοντας, non pati obſtare decreto. Si omniũ, qui ex vna parte conueniunt, tanta eſſet prauitas & leuitas atq; impudentia, vt contra conſcientiam, veritatem manifeſtam condemnantes, non curarent omnium viuentium & poſterorum de ipſis iudicia, poſſet fortaſſis multitudo ſuffragiorum rectitudini præualere. At iam antè diximus, eſſe viros mittendos ab Eccleſiis, de quorum pietate & honeſtate quàm minimùm dubitaretur: Diximus item, omnes oportere iurare, ſe dicturos ſententiam, quam Scriptura ſacra conformem eſſe ipſis dictaret conſcientia: Diximus item, Acta Synodi publicanda eſſe ab vtraque parte, aut etiam ab vna, ſi pars altera editionem vellet impedire. Pij autem & boni viri nunquam dicent eſſe verum, quod vident eſſe falſum, neq; dicent falſum, quod vident ac ſciunt eſſe verum; non erunt blaſphemi contra teſtimonium Spiritus ſancti in ſuis mentibus; non erunt periuri. Quin etiam ſi qui eſſent hypocritæ, tamen pudore aut metu ignominiæ coërcebuntur, cùm cogitabunt, actiones publicatas, perpetuum aut inſaniæ aut peruerſitatis & impudentiæ teſtimonium contra ſe dicturas, ſi manibus palpabili veritati non ceſſiſſent.

In hunc ergo modum, aut huic non repugnantem, de quo tùm deli-

deliberandum & ſtatuendum foret, cùm ad rem veniretur, vbi prudentiores facilè meliora inuenerint conſilia, quàm à nobis cogitari poſſint; inſtituendus doctorum conuentus eſſet ille, quem dicimus legitimum, liberum & Chriſtianum, ad cuius prouocamus iudicium: non autem Romanenſium aut Bergenſium patrum more, ex iuratis vnius partis complicibus, ad condemnandam ſine diſceptatione & iudicio libero, partem abſentem, aut factionibus vel vi oppreſſam. In tali Synodo non metuit periculum bona cauſſa & bona conſcientia, neq; etiam animus diſcendi cupidus, ſi quid ignoret, & paratus cedere veritati diuinæ, ſicubi aberraſſe ab ea conuincatur. Neutro enim modo homines pij periculum timent, neutro iacturam, ſed vtroque lucrum faciunt, & habent quod lætentur, ſiue tuentes veritatem vincant, ſiue in errore verſantes vincantur: non tantùm enim veritatis victoriam, ſed etiam ab errore ad veritatem reductionem in lucro ponũt: quemadmodum Apoſtolus, quæ ipſi erant lucra, hoc eſt, ſplendidas ſuas Phil.3.7. *opiniones de iuſtitia operum, quibus ſibi vehementer placebat in Phariſaiſmo, propter Chriſtum ducebat eſſe damna, & propter eminentiam cognitionis Chriſti, illis omnibus ſe ipſum multabat, eaq; ducebat pro ſtercoribus, vt Chriſtum lucrifaceret. Nos Dei beneficio, firmioribus cauſſæ noſtræ fundamentis nitimur & confidimus, quàm noſtri aduerſarij; & tamen ſic ſumus affecti, vt ſiue in his, de quibus controuertitur, ſiue in aliis doctrinæ capitibus, ex verbo Dei aliquis noſter error nobis demonſtrari à quocunq; poſſet, non tantùm non repugnaturi ipſi & conſcientiæ noſtræ, ſed etiam ſummi beneficij loco habituri eſſemus veritatis cognitionem, & ab errore liberationem. Idem ſi illorum eſſet animus, iam dudum res eſſent compoſitæ. Sed quibus hoc eſt propoſitum, vt ſua, ſiue bona ſiue mala ſint, & quocunq; modo, ſiue iuſto ſiue iniuſto, tueantur, & nihil videtur neq; turpius neq; damnoſius, quàm errores ſibi lucroſos abiicere; illos non eſt mirum, omne legitimum iudicium, tanquam ſcopo ipſorum aduerſiſſimum, re-*

fugere & detrectare. Quiſquis perverſè agit, inquit Dominus,
Ioh. 3. 20. *odit lucem; nec venit ad lucem, ne arguantur opera ipſius. Qui verò ſincerè agit, venit ad lucem, vt manifeſta fiant facta ipſius, quòd ſecundùm Deum facta ſint.*

Nos certè neutra in parte cõgregatorum perſuadere nobis aut ſuſpicari poſſumus, omnes tam fore vel cæcos vel impios, vel iuriſiurandi & famæ ſuæ immemores, quin ſi non omnes, ſaltem plerique, cùm viderent ſe vinci rationibus & Scripturæ teſtimoniis, Deo gloriam, & veritati locum daturi eſſent. Neque exiſtimandum eſt, adeò deſertum iri à Chriſto ſuam Eccleſiam, gloriam & veritatem, vt fideles ſuos miniſtros ac dociles diſcipulos congregatos in ipſius nomine, ſeriò quærentes verborum ipſius germanam intelligentiam, & implorantes Spiritus ſancti gratiam, ad illam perſpiciendam, in errores cum fundamento ſalutis pugnantes labi pateretur. Promiſsionem enim ſui Spiritus aſtrinxit Dominus, non ad Pontificatus, Epiſcopatus, Abbatias, prælaturas, cancellariatus & præpoſituras, non ad raſuras & vnctiones, non ad mitras & peda & pallia gemmata & aurata, aut vllam humanam prærogatiuam: ſed ad ſeriam cœleſtis ſapientiæ inueſtigationem & petitionem. Ac tantum robur eſt veritatis, vt etiam ab vno euidenter in conſpectum producta, mille tuentes oppoſitum pudefaciat, & in obſequium ſuum quaſi captiuos ducat. Sic
Hiſt. Tripart lib. 2. cap. 14. *vnus ſenex Paphnutius, totam Synodum Nicenam reuocauit in viam, vt ſcriptum contra miniſtrorum Eccleſiæ coniugia, decretum iniuſtum retractaret.*

Illorum ergo ſententia, qui aut non vtilem Eccleſiæ, aut non neceſſariam, aut non poſsibilem eſſe, legitimæ Synodi conuocationem exiſtimant, non videmus, quare ſimpliciter ſit probanda. Nam qui propterea periculum excuſant, quia multos à ſe diſſenſuros metuunt, ij vel cauſſæ ſuæ non fidunt, vel conuicti veritatem amplecti non cogitant, vel ad promiſsiones diuinas de ſeruanda vera Eccleſia vſq; ad finem mundi, non ſatis reſpiciunt. Nam quere-

querelam Nazianzeni, quòd nullius Synodi viderit bonum exitum, non facimus vniuerſalem regulam; niſi etiam Orthodoxa concilia Oecumenica veteris Eccleſiæ, mali exitus damnare velimus: quod non dicit Nazianzenus, qui de Synodis ſui temporis loquitur, quarum aliquæ fuerũt Arianæ, aliquæ fortaſsis confuſius inſtitutæ & gubernatæ. Vbi enim non eſt affectuum & linguarum frænatio, non certus actionum ordo, vbi illorum, qui debebant eſſe coniuncti, alius atrum vociferatur, alius candidum, ille de cæpis, hic de alliis diſputat, alius fremit, alius ludit, concurritur priùs quàm ſcitur quò & quâ ſit eundum, quiſque effundit aut interfatur quod dictat ſplendida bilis, & ſic effuſa ex tempore ſuffragia numerantur priùs quàm ponderantur; non ſanè multum bonæ frugis expectari poteſt; neq; nos talem Synodum conuocandi ſuaſores ſumus. Ac ne poſsit aliquorum vel petulantia, vel αὐθάδεια, accendere diſsidia & nocere Eccleſiis, ideo non tantùm in principio Synodi, conuocatis ferendæ ſunt leges actionum, ſed etiam autoritate Principum ſeueriter defendendæ. Atq; vtinam aliqui ex Principibus, Comitibus & Proceribus, exemplo Conſtãtini Magni & Martiani, laudatiſs. Imp. dignarentur adeſſe ſaltẽ præcipuarum controuerſiarum tractationi, non tantùm fundamenta earum cognoſcendi cauſſa, & cum aliis vnà dicendi ſententiam, ſed etiam præſentia ſua diligentiam & modeſtiam diſputantium acuendi.

Deniq; autẽ ſi tanta eſſet vis iniuriæ, quod in Synodo rectè inſtituta non facilè poteſt accidere, vt damnaretur verior ſentẽtia; non propterea corrueret articulus fidei; Credo Eccleſiam Catholicã: non propterea cogerentur pij, veritatis, de qua conuictæ eſſent ipſorum conſciẽtiæ, confeſsionem abiicere; ſicut nec Elias, cum putaret ſe ſolum eſſe reliquum, qui rectè Deum coleret. 1. Reg. 19. Publicarẽtur Acta: iudiciũ committeretur toti Eccleſiæ: agnoſcerent veritatẽ, quorũ corda aperiret Dominus, & audirẽt oues Chriſti vocem paſtoris ſui, è cuius manu neq; Synodorũ autoritas, neq; perſequutio,

neq; vlla vis eas rapere poteſt: Is hactenus conſeruauit etiam ſub cruce, & conſeruabit deinceps Eccleſiam ſuam in vera ſui confeſſione & inuocatione, eiq́; hoſpitia dabit in mundo, donec veniat poſtremo & iuſto ſuo iudicio lites omnes deciſurus, & omnia ſcandala è medio ſublaturus. Culpam vt praſtemus, à nobis requirit Deus; euetus vult committi ſuo conſilio, quos ita ſe gubernaturũ promiſit, vt facientibus officium & ipſum in vera fiducia inuocantibus, ſint futuri ſalutares. Cõmendatum eſt omnibus ſuo loco ſtudiũ tuendæ ſalutis & pacis Eccleſiarũ, & pia concordiæ in vera doctrina de Deo, & eius cultu Quoties ergo incidunt diſsidia de rebus magnis, non priuata inter paucos, ſed publica inter multas & magnas Eccleſias, quæ clamat experientia, non poſſe componi, ſed indies creſcere & augere multorum ſcandala, niſi publica ſententiarum collatio fiat, & communi ſtudio veritate quæſita, concorditer erudiantur Eccleſiæ, vtra pars diſsidentium verbo Dei conſentanea dicere ſit deprehenſa: non eſt hoc remedium, ad ſananda Eccleſiæ vulnera negligendum; quod Spiritus ſanctus mõſtrauit nobis per Apoſtolorũ conſilium & exemplum, quod omnis diuini & humani iuris ratio poſtulat, quod legitimè vſurpatum Eccleſiæ ſalutare fuiſſe, in multis grauiſſimis dogmatum confuſionibus experientia comprobauit. Videmus autem eò proceſſiſſe incendium ſchiſmatis in doctrina de Cœna Domini, vt nullis hactenus tentatis rationibus potuerit reſtingui. Quanta hinc infirmorum ſcandala, conſcientiarum vulnera, perſequutionum & ſæuitiæ hoſtilis in pios incremẽta, Eccleſiaſtica & Politica pericula & mala exiſtant; in omnium conſpectu eſt: quàm triſtis Idololatriæ ſtabilitio, & doctrinæ deprauatio, vident & deplorant pij, qui veritatem intelligunt. Accedit iam nouum incendium Vbiquitarium, Eutychiano haud diſsimile. Hærent & aliæ quædam ſententiarum diuerſitates, deſiderãtes doctorum colloquia, quas nequaquam explicat liber Bergenſis. Eſſet etiam operæpretium, nouis eorum corruptelis, qui Arianas & Samoſatenicas blaſphemias

mias renouāt, refutationes publico omnium Eccleſiarum nomine opponi. Ideo non abs re iudicarunt omnes prudentes, iam inde ab initio repurgatæ doctrinæ, hoc tempore, ſi vllo vnquam fuit, neceſſariam eſſe Eccleſiæ Synodum legitimam.

Difficultatem verò, quæ obſtat, minuere non parum videretur coniuncta Illuſtriſſ. Principum Germaniæ, qui Euangelium profitentur, voluntas. Si enim illi conſentirent, non opus fore imperio generalis alicuius Monarchæ, qualis erat Conſtantinus, ſed non dubitandum videtur, exteras Eccleſias de ſalutari conſilio ipſorum commonefactas, libenter ſuam operam adiuncturas. Cumq́; non oneroſum eſſet ſingulis Principibus & Rebuſpub. ſuos legatos mittere ſumtu publico; multò minoris hæc pacificatio Eccleſiarum conſtaret Illuſtriſſimis Principibus, quàm illis vendunt fumos Vbiquitatis aurei Theologi: vtilitas autem ad Eccleſiam, & gloria ad ipſos, apud omnem poſteritatem longè maior rediret.

Quòd ſi autem omnino aliqua impedimenta ſunt, nobis neque nota neq; inquirenda vel iudicanda, quæ obſtent quò minùs hoc tempore de Concordia per Synodum legitimam ineunda, cogitari poſſit; tamen ne ſic quidem de pace Eccleſiarum conſtituenda, nobis deſperandum videretur, ſi modò locum relinqueret moderationi & ſanis conſiliis, patriæ communis Erynnis, quorundam Theologorum inquietudo & ambitio, qui tanquam folles & operæ Vulcaniæ, langueſcens Eccleſiarum incendium, Spiritu contentionis & liuoris ſufflant, & Papalium anathematum ac proſcriptionum cudunt fulmina, quibus ex aularum faſtigiis, omnes contradicentes ipſorum decretis feriant. Error multiplex, veritas vna eſt. Si ergo ſinguli Principes & magiſtratus Chriſtiani, in ſuis Eccleſiis puritatem doctrinæ conſeruare ſtudeant; etiam ſine conuentu publico, vnitatem & conſenſum mutuum retinebunt.

Ad hanc verò metam contendentibus, non hæc via eſt ingre-

KKK

dienda, quam Theologi Bergenſes monſtrant, nimirum vt paucorum factio Eccleſiaſtica magiſtratuum animos inuadat, condat religionis decreta pro arbitrio, & freta hoc priuilegio, quòd audiatur ſola, ceruicibus ſubditorum illa imponat, improbantes ea per vim & calumnias opprimat: Sed illa ſuſcipienda eſt ratio, quam paulò antè expoſuimus, cùm de magiſtratus Chriſtiani in controuerſiis Religionis officio, & de forma conuentus publici Eccleſiarum diximus. Vult Deus, & factu poßibile eſt volentibus ei obedire, vt de negotiis & curis aliis gubernationis, de recreationibus etiam honeſtis & neceſſariis, aliquam temporis particulam decerpant magiſtratus, quam impendant cognoſcendæ & conſtituendæ religioni veræ in ſuis Eccleſiis, tanquam ſui muneris parti omnium primæ ac præcipuæ. Niſi enim ipſi ſciant quid verum ſit, quomodo hoc ſubditos ſuos doceri curabunt? Quapropter, idem in ſuis ſinguli ditionibus ſi facerent, quod in Synodo Eccleſiarum communi faciendum erat; ad eundem ſcopum tandem omnes peruenirent: docerentur ipſi, docerentur ſubditi; atque ita verum omnes cognoſcerent, & omnes conſentirent. Hoc ſi fieret, nec veteres hæreſes repullulare paterētur, nec nouas in Eccleſiam inuehi; ſicut iam per ſectam Vbiquitariam Eutychiana & Neſtoriana deliria repullulant, & nouis coloribus fucantur, & nouis corruptelis cumulantur: non ſinerent à paucis conſpirātibus præiudicari omnibus Eccleſiis: non damnari non conuictos, & nihil contra fundamenta religionis, nihil contra Scripturam & ſymbola docentes: cogerent doctores Eccleſiarum ſe continere intra ea quæ vtrinq; in confeſſo ſunt, aut ſuas ſententias proponere ſine aliorum contumelia & inſectatione. Conſenſus enim eſt vtrinq; de hoc fundamento, quòd in legitimo vſu Cœnæ ſuæ, Chriſtus verum, naturale & ſubſtantiale corpus & ſanguinem ſuum, ac ſe totum omnibus ſuis fidelibus verè & realiter & ſubſtantialiter communicet; & huius communicationis teſtimonium & inſtrumentum velit eſſe miniſterium verbi & Sacramentorum à ſe inſtitutum.

ſtitutum. Hanc ſui communionem Chriſtus omnibus credentibus promiſit & præſtat: hæc ad ſalutem omnibus neceſſaria & ſufficiens eſt. Hæc longè eſt arctior coniunctio, & longè verior ac propior præſentia corporis Chriſti, quàm eſt membrorum noſtri corporis cum capite, & quàm ea quæ fingitur, illius in pane & intra hominum corpora exiſtētia, etiam infidelibus communis, qui etiamſi Chriſtum palparent manibus, tamen ab ipſo longiſſimè abſunt. Hæc præſentia & communio corporis Chriſti non impeditur locorum interuallis, ſed rata & firma eſt perpetuò omnibus fidelibus in quocunq; loco exiſtentibus, manente interea Chriſti corpore vno loco quouis tempore ſiue in terra, ſiue in cœlo, ſiue in nubibus. Quemadmodum enim caput præſens eſt etiam pedibus, & omnibus membris commune & viuificum, quamdiu cum illo per iūcturas ſuas cohærēt, etiamſi nec eſt in pedibus, nec in eodem loco cum pedibus: Sic vnus Chriſti Spiritus, in ipſius corpore & noſtris habitans, corpora quantumuis loco procul diſſita, vnum corpus & vnum Dei templum efficit, vt ſibi inuicem non tātùm præſentiſſima, ſed etiam cohærētia, inſita & vnita in æternū permaneant. De hac præſentia & manducatione, & manſione corporis Chriſti in nobis, & noſtri in ipſo, cōſtat inter nos & Lutherū.

An verò etiam ore Chriſti corpus edatur, & an etiam ab impiis edatur, quæſtio non tam de ipſo fundamento eſt, in Scriptura expreſſo, quàm de iis, quæ fundamento huic ſuperſtruuntur. Cur ergo de hac præſentia & manducatione in Scriptura nuſquam tradita, multipliciter autem refutata, ita contenditur, vt eius gratia confictа vbiquitate corporis, conuellantur prima ſalutis fundamenta, videlicet doctrina de perſona Chriſti, & carnis noſtræ in ipſo veritate? Nuſquam Scriptura damnat non credentes eſum oralem impiorum. Quàm igitur eſt indignum & turpe auditu, non haberi pro fidelibus, qui non fatentur carnem Chriſti comedi ore ab infidelibus? Quanta eſt calamitas, eò progreſſos eſſe contentionis feruore, homines Chriſtianos & Theologos,

vt eius ſtabiliendi cauſſa, quod piis commune ſit cum impiis, aliquid ſtatuatur non commune piis inter ſe; & acerbiùs pugnetur de communione infidelium cum fidelibus, quàm de communione fidelium cum Chriſto? Etiamſi vera eſſet illa oralis & impiorum manducatio; tamen de ea non contendendum, nemo propter eius negationem hæreticus, nemo condemnandus eſſet & excludendus ab Eccleſia. Nuſquam enim eſt expreſſa in Scriptura, nuſquam apud veteres, nuſquam in Auguſtana Confeſſione, neq; ex his obtineri poteſt, quemadmodum ſuprà à nobis eſt oſtẽſum. Lutherus ipſe conceſſit in colloquio Marpurgenſi, poſſe de hac quæſtione Chriſtianos diſſentire, ſalua vnitate Eccleſiæ: Concordiam VVitebergenſem fecit cum Eccleſiis, quas ſciebat & videbat corporalem eſum carnis Chriſti non agnoſcere: Philippum ſemper agnouit pro fratre orthodoxo, & eius ſcripta magis quàm ſua commendauit Eccleſiis, cùm nõ minùs ſciret quàm ſcimus nos omnes, eum in hac quæſtione ab ipſo diſſẽtire, & prorſus nihil aliud ſentire aut docere niſi quod nos docemus. Quo igitur ore nos cõdemnant hæreſeos, qui videri volunt ad amuſſim Lutherani? Cur non eadem tolerantia nunc locum habet? Sanè non videmus aliam cauſſam, niſi quòd quidam degeneres Lutheri diſcipuli, cum virtutum illius ne vmbram æquare poſſint, vitia illius, quibus longiſſimè eum ſuperant; pro virtutibus conantur hominibus obtrudere, vt ſoli illius imitatores & ſucceſſores videantur.

Sed hic fortaſſis non erunt pauci, qui dicant: Liber Bergenſis iam publicatus eſt cum tot ſubſcriptionibus: Quid ergo faciendũ, vt conſileſcant iſtæ turbæ? Non difficile eſt reſpõdere. Antiquum doctrinæ Corpus maneat eodem quo hactenus fuit loco, in Eccleſiis & Scholis; maneat conſenſus ſecundùm corpus doctrinæ conſtitutus, ab aduerſariis damnatus, ſed nunquam refutatus: Ad nouitates autem Bergenſes nemo adigatur: Et res omnis erit in vado. At, inquient, multum operæ & ſumtuum impenſum eſt Concordiæ Bergenſi: ſiccine oleum & opera perierit? Tolerabilior

eſt

eſt iactura laboris & ſumtus, quàm vera doctrina, fauoris diuini, & ſalutis Eccleſiarum. Amazias rex Iuda conduxerat auxilia Iſraëlitica cẽtum talentis argenti: cumq́; à Deo prohibitus eorum uti opera, diceret Prophetæ; quid autem fiet de centum talentis? reſpondetur ei; Poteſt tibi Deus plura iſtis dare. Atqui non rarò à furibus, à latronibus, à peculatoribus damna accipiunt Principes & Reſpublicæ, quæ vel ſine compenſatione ferenda ſunt. Minus ergo hic erit, cuius eos pœniteat: quia ſaltem hanc honeſtiſſimam laudem conſequentur & nunc, & apud poſteros, quòd nihil in ſe claudi fuerint paſſi, quod ad ſalutarẽ Eccleſiarum pacem pertinere videretur. Si qui autem recta ipſorum voluntate ſunt abuſi, illi Deo & Eccleſiæ rationem ſunt reddituri. 2. Chr. 25.

Neq; eſt quòd perſuadeant iſti Principibus & Ordinibus Imperij, fore ipſis indignũ ab incœpto deſiſtere. Nam quemadmodũ à rectis ad praua deceptos recedere, deplorandum eſt, ſic ab errore animaduerſo, ad priſtinam rectitudinem reuerti, laudabile eſt; Sicut rectè ab Auguſtino dictum eſt: Magnæ ſapientiæ eſt, reuocare hominem, quod malè loquutus eſt. *Idem eſſe Illuſtriſſ. Principum iudicium, declararunt ſatis, cum à Theologis Bergenſibus falsò perſuaſi, Corpus doctrinæ aduerſari Scripturæ & Auguſtanæ Confeſſioni, autoritatem illi abrogarunt: declararunt idem in abolendo conſenſu cum Corpore congruente: idem in abolendis articulis Torgenſibus, qui iuſtè aboliti ſunt. Quantò igitur plures & grauiores ſunt cauſſæ exautorandi librum Bergenſem; in quo præter alia, quæ trahit mala, nouum & monſtroſum Vbiquitatis dogma, Eutychiana & Schvuencfeldiana confuſio naturarum in Chriſto ſtabilitur, tantò honeſtius erit huius Libri exequutionem non vrgere. Sic teſtatum facient ad omnem poſteritatem, ſeriò ſibi cordi fuiſſe Eccleſiarum concordiam, ſi Corpori doctrinæ, quod concordiæ fouendæ ac ſarciendæ profuit, autoritatem ſuam reſtituerint; libro autem Bergenſi, qui diſcordias concitat, & maiores deinceps neceſſariò concitaturus eſſet, ſi potentes* Decret. Cau. 22. q. 4. c. 10.

defenſores haberet, eam abrogauerint. Ad hæc, ſanè magis fuerit honorificũ, optimis de cauſſis & prudenti conſilio, propugnatione decretorum Bergenſium ſuperſedere, quàm Deo reluctante, fruſtra eam perſequi. Non minori conatu potentiſſimus Imperator Carolus V tentabat ſtabilire in Germania librum qui nominabatur Interim. Sed quomodo ille poſt magnas turbas datas exploſus eſt? quomodo euanuit, etiam non habens inter ſuas doctrinæ corruptelas, dogma aliquod tam abſurdum quàm eſt Vbiquitas? Non eſt ergo exiſtimãdum, ab hac magis quàm ab illa Sphinge abfuturum præcipitium.

Sed hoc modo nondum videtur peruentum ad ſcopum, hoc eſt, ad pacem & conſenſum Eccleſiæ. Imò pax inter Eccleſias iam erit, cum nemo damnabitur, nemo erit hæreticus, nemo excludetur à pace Eccleſiaſtica & Politica, qui profitebitur eam de perſona & Cœna Chriſti ſententiam, quæ continetur in Scriptura, in ſymbolis, in ſcriptis orthodoxorum veterum, & in Corpore doctrinæ, cùm ſeueriter inhibebuntur vtrinq; in ſuggeſtis & in ſcriptis conuitia & condemnationes mutuæ, & omnia quæ ad exacerbationem animorum magis quàm ad doctrinam & ædificationem ſpectant. Vt verò cõſequatur etiam paulatim conſenſus de doctrina, non interdicendum erit lectione librorum qui de controuerſis articulis vtrinq; ſcribuntur, neq; placida & fraterna de illis collatione ſiue ſermonum ſiue ſcriptorũ. Explicationes enim & defenſiones dogmatum, ſine virulentia & maledicẽtia ſcriptæ, ſupplere poterunt vices actionum Synodicarum, de quibus ſuprà diximus, atq; ita ex his etiam iudicare ſtudioſi veritatis poterunt, vtra pars fundamentis ſolidioribus nitatur. Theologi ergo, qui ſunt autores Magiſtratibus, vt ſcripta de lite pendente & nondum legitimè deciſa, legi ab Eccleſiis prohibeant, perinde faciunt ac ſi in Synodo ſe ſolos audiri poſtulent, aduerſarios autem ſuos nõ auditos condemnari. Nunquam apud nos librorum lectione interdictum eſt: quin potiùs hortamur noſtros auditores, vt aduer-

ſario-

ſariorum ſcripta legant, ſed ita vt conferant argumenta & reſponſiones illorum cum noſtris, & amplectantur ea quæ conſcientiam ipſorum de veritate conuicerint. Qui hoc faciunt, ad veritatis cognitionem facilè perueniunt, & vltrò ad nos accedunt. Itaq; à libris aduerſariorum nunquam ſenſimus, neque nunc metuimus periculum, apud illos qui noſtros quoq; audiunt & legunt. Proſunt potiùs noſtræ cauſſæ, & lectores veritatis cognoſcendæ cupidos, in eius amplexu confirmant, ſuo conuitiorum ſtrepitu & argumentorum infirmitate ac vanitate. Cur igitur illi noſtros libros tam ſeueriter arcent à ſuis finibus? Manifeſtum eſt quòd metuunt ne admota lux veritatis, tenebras ipſorum detegat ac diſcutiat,

Si legitima Synodus obtineri non poteſt, quæ componantur diſsidia; conſilium ad maximorum malorum publicorum & priuatorum, Eccleſiaſticorum & Politicorum auerſionem, aliud non reſtare, niſi hanc moderationem ac mutuam tolerantiam, plurimæ & grauiſsimæ cauſſæ euincunt. Si enim inſtigationes Theologorum, perſequutionem aduerſus diſſentientes ab ipſis commouerint; premi veritas poteſt, opprimi nunquam poterit. Sic autẽ non modò laborem & inquietudinem inanem ſibi creabunt perſequutores, ſed etiam gladio flammam fodient, & magis accendent certamina, turbas & diſtractiones, ſauciabunt non tantùm alienas, ſed etiam ſuas conſcientias. Nam & ratio recta & pietas dictat omnibus, neminem eſſe damnandum, nedum lædendum, propter cõtrouerſiam nouam, nunquam legitimo iudicio examinatam, cognitam & deciſam: Neque debere quenquam eſſe iudicem in cauſſa propria, neq; decreti à tali iudice facti exſequutorem. Deniq; quicunq; ſuam conſcientiam ſeriò excutiunt, non inueniunt in hac cõtrouerſia fundamentũ vllum, cui tutò aduerſus nos poſsint inſiſtere, neque cauſſam vllam nos perſequendi, in qua poſsint acquieſcere. Duo ſunt argumenta, quibus nituntur aduerſarij noſtri, τὸ ῥητὸν verborum Chriſti, & vbiquitas corporis.

Ad hæc duo capita redit omnis ipſorum diſputatio: quæ præter hæc inferciunt, argumentorum ne quidem nomen merentur. At horum vtrũque ipſis aduerſatur. Nam ſi propriè & ſine figura loquendo, ipſe panis eſt corpus Chriſti: non iam caro in pane latens erit Chriſti corpus. Si autem panis propriè ac proinde ſubſtantialiter eſt corpus Chriſti, aut ad Papiſtas ipſis tranſeundum erit ex profeſſo (quanquam τὸ ῥητὸν neutram ſententiam parit, neq; in pane videlicet, neq; in ſpecie panis latêre corpus Christi) aut omittendum τὸ ῥητὸν, & ſequenda διάνοια: Id quod reipſa faciunt & facere cogũtur. Hoc ergo cum ſole meridiano clarius ſit, quantumuis fortiter aſſeuerent, ſe retinere τὸ ῥητὸν: cur non pacatiſſima conſcientia, in διανοίᾳ ab ipſo Chriſto expreſſa acquieſceremus, qui docet, panem eſſe μνημόσυνον traditi pro nobis, & in cibum vitæ æternæ nobis communicati ſui corporis; quam vniuerſa Scriptura, vniuerſa antiquitas orthodoxa Eccleſiæ, ſummo & perpetuo conſenſu in ſermone de hoc & de omnibus aliis Sacramentis explicando retinet, & tota fidei analogia confirmat ac poſtulat? Fatentur ipſi Pontificij, à quibus præſentiam corporalem mutuatus eſt Lutherus, aut ſuam aut noſtram ſentẽtiam in verbis Chriſti neceſſariò retineri; tertiam, quæ iſtorum eſt, non poſſe conſiſtere. Hoc ergo fundamento depulſi, tranſiliunt ad alterum, videlicet ad vbiquitatem corporis, vt ex ea probent, corpus Chriſti eſſe etiam in pane. At quemadmodum τὸ ῥητὸν præſentiam corporis in pane, ſic Vbiquitas eſum oralem euertit. Cur ergo repudiata interpretatione Chriſti, quæritur alia cum Scriptura pugnans? Cur verba Chriſti contra mentem ipſius? cur vnus locus Scripturæ contra totam Scripturam torquetur? Cur Cœna à Chriſto ad confirmationem articulorum fidei & fundamenti conſolationis ac ſalutis noſtræ inſtituta, in horum labefactationem & deſtructionem conuertitur? Nullum ab illis argumentum proferri poteſt, quod non millies refutatum ſit. Multis modis ipſos aduerſari Scripturæ principiis, oſtẽdimus in falſis dogmatibus libri Bergenſis

gẽſis & abſurdis quæ illa conſequuntur: Multis modis eos ſibi ipſi repugnare, in Antilogiis ipſorum demonſtrauimus: Nullo fundamento eos niti, cum in calumniis quibus nos onerant, manifeſtum fecimus, tum vel ex hac ſumma totius cauſſæ ipſorum cuiuis eſt conſpicuum, dum videlicet corporalem Chriſti præſentiam in pane per vbiquitatem, & vbiquitatem per corporalem præſentiam confirmare nituntur.

Hæc omnes prudentes & pios, meritò permouere debẽt, ad fundamenta huius cauſſæ diligentiùs inquirenda, & euoluendam ex dubitationibus conſcientiam, ne præcipitantes conſilium, ſibi & aliis creent ſeram pœnitentiam. Sed interea, dum certam veritatis cognitionem inueſtigant & à Deo petunt, ſaltem Gamalielis illius moderatum & ſalutare conſilium ſequantur; rationem habeant ſui ipſorum in faciendo iudicio de maiori parte fidelium, eũdem Chriſtum, idem Euangelium cum ipſis aduerſus hoſtes cõmunes profitentium, eodem Chriſti ſanguine redemtorum, eiuſdem corporis Chriſti membrorum, quibus non tantùm credere in Chriſtum, ſed etiam pati propter ipſum eſt datum: cogitent iam olim in Eccleſia tot exortas eſſe hæreſes, quæ omnes diſſolutæ & in nihilum redactæ ſunt: ideoq́; tolerent fraternè, diſſentientes à ſe in vno doctrinæ capite, & nondum refutatos; ne fortè etiã cum Deo pugnare cõperiantur; ſiquidem ſi eſt ex hominibus doctrina noſtra, diſſoluetur; ſin ex Deo eſt, non poterit à quoquam diſſolui. Act. 5. 35.

Quapropter & Illuſtriſſimos Principes, Ordinesq́; ceteros ſacri Imperij, & omnes Chriſtianos proceres ac magiſtratus, omnéſque viros pios & honeſtos, præſertim verò Eccleſiarum & Scholarum doctores ac miniſtros, in Germanicis & aliis Eccleſiis, per Dei gloriam, per Chriſti amorem & vulnera, & ex his fuſum pro ipſis & pro nobis ſanguinem, de quo triſte hoc certamen decertatur, per ſuam ipſorum & poſterorum ſuorum ſalutem, & honorificam vſq; ad finem mundi exiſtimationem ac memoriam, per

Eccleſiarum omnium, & Rerumpublicarum Chriſtianarum pacem & felicitatem, obſecramus atq; obteſtamur iterum atque iterum, vt quantum in ipſis eſt, ſuo quiſque loco ne patiantur ob diſſenſionem de manducatione orali carnis Chriſti, ob defenſionē cauſſæ tam inualidæ, ſchiſmate pernicioſiſſimo Chriſti ouile diſtrahi & diſſipari, lupisq; laniandum ac deuorandum obiici; propter vnum dogma oralis & impiæ manducationis carnis Chriſti, tot nouis opinionum portentis doctrinam Chriſtianam conturbari & corrumpi; Eccleſias & Confeſſionem Auguſtanam deformari, hoſtiumq; ſannis & iniuriis exponi; tot ſcandalis infirmorum & vulneribus conſcientiarum Spiritum ſanctum contriſtari, & inuocationem Dei coniunctam in plurimorum cordibus impediri; Conſiderent quàm triſte ſit, ſacram Domini Cœnam, inſtitutam ab ipſo vt ſit vinculum dilectionis inter membra ſui corporis, in diſtractionis & lacerationis viſcerum ipſius occaſionem commutari; per accuſationem hæreſeos, nullis vnquam veris rationibus probatam, confirmari tyrannicam ſæuitiam communium hoſtium, aduerſus tot millia ſanctorum, qui propter ſinceram Chriſti confeſſionem & inuocationem fundere ſanguinem, adire ſupplicia, perpeti omne perſequutionis & immanitatis genus maluerunt, quàm execrabile & in Filium Dei contumelioſum illud Idolum Babylonicum, fictitium in ſpecie panis Chriſtum colere & adorare; illorum rogos accendi, buſtis inſultari, dum cōdemnantur & traducuntur tanquam martyres diaboli: Cogiderent quantum periculum ſit, ne hac Idolomaniæ ac tyrannidis Antichriſti ſtabilitione, irritetur aduerſus communem patriam
Ps. 137. 7. *ira & vindicta Diuina, de qua dixit Propheta; Memento Domine filiis Edom, diem Ieruſalem, quo dicebant; Nudate nudate, vſq; ad fundamentum in ea: Ne aſpernentur vota & gemitus ſupplices Eccleſiæ Chriſti, internis diſſidiis, externis oppugnationibus lacerata, ſcandalis & luctu ſqualentis, & præceptum Domini, ex quo diſcipulos ſuos vult agnoſci & à Filiis huius ſecu-*
li

li diſcerni, vt diligant ſe inuicem: reputẽt apud animum, quàm ſibi futurum eſſet graue, ſi cogerentur aut contra conſcientiam, quod verum eſſe de Deo & ipſius cultu iudicant, abnegare, aut perſequutionem pati: & quod nollent aduerſus ſe fieri, ne faciant aduerſus tot ſuos honeſtiſſimos ciues, fideliſſimos ſubditos, Eccleſiarum, Scholarum, politiarum idoneos ac bene meritos miniſtros, pios Chriſti cultores, paratos omnia potiùs dura perpeti, quàm conſcientiam ſuam ſauciare, abnegatione illius ſententiæ, in qua perſiſtendi multò firmiores habent rationes, quàm ipſorum aduerſarij: ne indicta cauſſa ex ſola quorundam Theologorum aſſeueratione & ſuggeſtione, ſine vlla probatione, condemnent tanquam hæreticos, indignos pace publica, tot regna, principatus, & Reſpublicas honeſtiſsimas, communi cum periculo & inuidia Eccleſiæ hoſpitia præbentes, partim domeſticis amicitiæ vinculis ſibi coniunctos, partim vicinos beneuolos: ne patiantur, optima ſua voluntate, pio concordiæ ſtudio, & animo fraudem non ſuſpicante, paucos quoſdam Theologos tam deformiter & indignè abuti, vt ipſos iniuſtiſſimorum ſuorum decretorum exequutores, & Pontificalis ſolij ſui baiulos & fulcra facere, & honeſtiſſima ipſorum nomina, tanquam perſonas ſcenicas, ſuis abſurdis dogmatibus & iniquis actionibus tegendis obducere conari audeant, quibus ſubnixi, & ipſos & Eccleſias fictis verbis negotientur, ad ſuas cupiditates explendas, adeo non obſcuras, vt etiam nec infimi nec poſtremi inter eos, qui hactenus doctrinã illorũ non improbarunt, actiones tamen ipſorum minimè probẽt, ac non dubitent palàm fateri, in libro Bergenſi nihil ſe videre, niſi quorundã Theologorum auaritiam & ambitionẽ.

Hoc illos orant multæ piorum in Germania, & in toto orbe Chriſtiano ſparſæ myriades, ex omnibus hominum ordinibus: hoc Lutherus infirmitatibus humanis exutus optat in vita cæleſti: hoc tota Eccleſiæ poſteritas, grata memoria celebrabit, & Filius Dei, de cuius gloria & membris agitur, cæleſti ac terrena be-

1.Sam.2. 30. *nedictione,ſibi placuiſſe,in ipſis & in ipſorum poſteris faciet teſtatum,ſicut à Deo promiſſum eſt; Honorantes me honorabo; con-*
Pſ.112.2. *temnentes autem me contemnentur: Et alibi; Potens in terra erit ſemen eius, generatio rectorum benedicetur: Opes & diuitiæ in domo eius,& iuſtitia eius manet in ſeculum. Quod ſi autem pœnæ fatales (quas vt mitiget ac differat, Deum oramus ſupplices) vrgent Germaniam, & earum inſtrumenta vult Deus eſſe hos Theologos: Fata viam inuenient, aderitq́ vocatus* IESVS. *Hic ſeruabit aliquos ipſum rectè inuocantes, etiam in mediis perſequutionibus, vſque ad mundi finem,& efficiet vt ſi taceant homines, lapides loquantur potiùs quàm veritas diuina conticeſcat. Iſti verò Theologi, & eorum applauſores, aut ſuum quem inſtituunt Pontificatum, reſiſtentibus Deo & hominibus, nunquam obtinebunt, aut quò ſublati fuerint altiùs, tantò grauiore lapſu corruent, & pro ea quam quærunt mundi huius gloria, conſequentur famam Heroſtrati,qui vt ipſius nomen celebraretur hiſtoriis, incendit templum Dianæ Epheſinum: ac tandem, niſi reſipiſcant, coram tribunali Chriſti, omnium illorum malorum, quæ in Eccleſiam inuehunt, Deo & Eccleſiæ rationes ſunt reddituri. Fortiter quidem illi oſtentant in Itinerario ſuo anni* LXX *reprehenſionum contemtum;quem in ipſis laudandum cenſemus,ſi modò cauerint, ne quid in illis ſit veri. Nam vt falſa crimina contemnere laudabile eſt,ſic vera contemnere duplum criminis eſt, ideoq́ euigilantis conſcientiæ morſum, & ſerioris pœnæ grauitatem geminat.*

Poſtremò autem,ſicut conſcij nobis ſumus, nos ſtuduiſſe nihil dicere, & confidimus nihil dictum eſſe in cuiuſquam iniuriam aut cõtumeliam:ita proteſtamur apud omnes hoc ſcriptum lecturos,ſiue amicos ſiue aduerſarios noſtros,nihil hîc nos vel in Illuſtriſſimos & laudatiſſimos Principes,ceteróſque Ordines, Auguſtanæ Confeſſionis ſocios, vel in quenquam virum honeſtum & bonum,dictum aut ſcriptũ velle, niſi quod honori & dilectioni,

quam

quam ſingulis debemus, conueniens ſit; ac ſi quis noſtras querelas, tanquam in eorum quenquam dictas interpretetur, eum verba noſtra contra mentem & conſilium noſtrum detorquere. Oramus etiam omnes & ſingulos, pro vniuſcuiuſque dignitate & loco, debita cùm ſubiectione & reuerentia, ne vel ipſe tale quidpiam de nobis ſuſpicetur, vel aliis ſuſpicantibus aſſentiatur. Neque de magiſtratibus, neque de ſubditis aut quoquam alio querimur, ſed de Theologis autoribus libri Bergenſis. Iniquos enim fore nos ipſi iudicaremus, ſi illos accuſaremus, quos laudabilem ſcopum habentes, callidè excogitatis technis, phaleratis dictis, & plauſibili ſpecie religionis & concordiæ, circunueniri, calumniis & odioſis clamoribus aduerſus nos incitari, & omni ſtudio aduerſariorum à cauſſæ noſtræ cognitione auerti & arceri, & in illis ſolis audiendis quaſi captiuas eorum aures & mentes detineri videmus. Dolemus potiùs & deploramus vicem illorum, & cariſſimæ patriæ noſtræ, Germaniæ, cuius quietem & felicitatem turbari, & Eccleſiaſtica vulnera refricari videmus ab iis, quos horum coalitioni & ſanationi maximè ſtudere oportebat. Bergenſes autem Theologi, etiamſi aliquid aſperius rerum indignitas nobis extorſiſſet, quod de nobis conquerantur non habent, vt qui factis ſuis verba nobis dictant. Etenim ab ipſis noſtram doctrinam iniuſtè damnari, nos calumniis onerari, falſa dogmata defendi, denique ſi cauſſam tuerentur optimam & iuſtiſſimam, tamen modum agendi, quem ingreſſi ſunt, eſſe peſſimùm & iniuſtiſſimum, oſtendimus. De animis iudicium nobis non ſumimus: ipſorum verò ſcripta, dicta, facta, non poſſumus alia, quàm ſunt, prædicare. Hæc certè non tantùm nos, ſed etiam patroni & ſocij ipſorum, indicant & fatentur, non ad ſalutem Eccleſiæ, ſed ad ipſorum priuatas cupiditates perficiendas tendere. Si hæc de ſe dici nolunt Theologi, aliter ſuas actiones inſtituant neceſſe eſt. Si bonam cauſſam ſe tueri exiſtimant, ſicut gloriantur, quare à legitimo & libero Eccleſiæ iudicio Principes dehortãtur?

LLL 3

quare ad argumenta noſtra non reſpondent, ſed veteres ſuos & millies refutatos coccyſmos ſubinde repetunt, non ſecus ac ſi reſponſiones ad illos nũquam viſæ vel auditæ fuiſſent? quare libros noſtros ex manibus hominum extorquent? quare clamato nomine Lutheri, ſe quaſi vicerint defunctos putant? quare nos tot calumniis obruunt & odioſos faciunt? quare omnibus hæreticis, Arianis & Mahumetanis tetriores nos proclamant? quare apud Principes & ſua theatra, ſoli audiri volunt? quare omiſſa legitima ex verbo Dei de dogmatibus diſceptatione, ad brachium ſeculare confugiunt, & illius robore ſua placita Eccleſiis tentãt obtrudere? Hæc & ſimilia facere non oportet eos, qui laudari volunt. Neq; tamen hoc tempore de iſtis, in publico Eccleſiarum conſpectu dicere aliquid ſtatueramus, niſi inuiti ab illis in arenam protracti fuiſſemus. Nouæ enim condemnationi noſtræ doctrinæ, nouo modo publicatæ tot & tantis nominibus, tot ſubſcriptionibus munitæ, nouam reſponſionem non opponere nulla ratione potuimus, niſi condemnationem iniuſtam ſilentio noſtro comprobare, veritatis agnitæ confeſſionem abiicere, cauſſam Chriſti deſerere, multorum conſcientiis ſcrupulum & dubitationem de doctrina, quam hactenus profeſſi ſumus, iniicere voluiſſemus.

Hanc itaq; Admonitionem, neceſſitate coacti edidimus, nulla ſpe præmiorum mundanorum nobis propoſita, ſed inuidiæ potiùs & malæ gratiæ periculo circunſtante, illa tamen mercede copioſa, quæ in cœlis eſt, nos conſolante; vt ſi ad retardandum impetum publicorum malorum aliquid adiumenti afferat, DEO *agamus gratias, Eccleſiæ autem & patriæ gratulemur; ſin minùs quàm ſperamus proficiat, ſaltem in conſcientia bonæ cauſſæ acquieſcamus, & noſtro erga Deum & Eccleſiam officio, quoad potuimus, non defuiſſe videamur. Nouit Dominus, ad cuius tribunal nos omnes ſiſti oportet, nos aliud non loqui, niſi de quo teſtimonia diuina nos conuincunt. Ideo vel Synodum liberam, vel tolerantiam petimus; toti Eccleſiæ Chriſti, & omnibus cordatis & ho-*

neſtis

ſtis viris, æſtimandum relinquentes, an æquum petamus.

ORAMVS *Deum pacis, vt ignorantia peccantibus ignoſcat, & oculos ad videndam veritatis iucundiſſimam lucem aperiat; id quod futurum ſuo tempore in omnibus eam ſeriò quærentibus, non dubitamus: Veritatem verò contra conſcientiam oppugnantibus aut diſſimulantibus, etiam ſine cauſſa nos odio perſequentibus, det ſeriam peccati ſui agnitionem, vt videntes quantum faciant mali, & quas rationes ſupremo Iudici reddituri ſint, reſipiſcant in tempore, & iram futuram effugiant; vt in his & aliis regionibus numeroſa Chriſto Eccleſia colligatur, quæ vnum ſit in ipſo, eúmq; rectè agnoſcat & inuocet in terris, donec ipſe de cælo veniens, ſicut aſcendere conſpectus eſt, eam ab omnibus Idolis, ſcandalis & miſeriis liberatam, ac ſuo corpori glorioſo conformatam aſſumat ad ſe ipſum, vt vbi ipſe eſt, ſimus omnes cum ipſo in æternum.*

Amen.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITT. EMANUELE

Εἰς τὴν Ἡφαίστου Ὁμόνοιαν.

Χαλκεὺς ἠπεροπεὺς ὅτε τεῦξεν ἄγαλμ' ὁμονοίας,
Ἐξ ἐρέβους στυγερᾶς φῦσαν ἔπλησε πνοῆς·
Τῷ ῥ' οὐκ εἰρήνην, βλαβερὰν δ' εἰργάσατ' ἐριννύν.
Τῆς δὲ κακῆς τέχνης οὐ τέλος ἐστὶ καλόν.

Ἄλλο.

Ἡφαίστῳ στυγίῳ οὐ λημνίῳ ἄκμονα χαλκεύς
Σφῦράν τ' ἐκ τέχνης ἄνθετο παυσάμενος.

Corrigenda.

Pag. 3. lin. 11. pro, Carmeli, lege, Chermonis. 7.14. ex ortu, exortu. 17.19. in margine, Liberum arbitrium. 17.28. dele in margine, Mediator. 18.5. dele, cum Chriſto. 18.23. In margine, Beneficia Chriſti. Deſcenſus Chriſti ad inſeros. 18.28. In marg. Libertas Chriſtiana. Adiaphora. 23.8. In margine, Immota, Communicationis Idiomatum. 28.21. In marg. Act. 1.10. lege, 1. Pet. 3.22 Hebr. 1.3. Heb. 8.1. 35.30. igitur. igitur ibi. 65.21. excelſiſſimo, excellentiſſimo. 68.25. immortalis eſt. mortalis &c. 68.26. Corpus, & mortalis eſt. Corpus, eſt immortalis &c. 83.9. In marg. Vide S. vide ſupra. 107.21. reſpiciunt. recipiunt. 110.28. refutatæ. reſutata. 170.21. Ergo primæ quoque Aug. Confeſſ. τὸ ῥητὸν, quo. 216.25. detonauit. detonuit. 219.13. cogitare. cogitari. 222.20. ſacra. ſacra, ſuam de Cœna ſententiam. 224.3. quam Lutherus ponit. cum Lutherus ponat. Ib. 4. propoſitionibus. propoſitionibus cōmunicationē. Ib. 12. quidem. quidam. 320.30. ſe Chriſtum. Chriſtum ſe. 334.24. δὲ. τοὶ.

10-3-1